
8
3 B
11

Franciſci
TVRRIANI
SOCIET. IESV

Contra Andream Volanum Polonum
Caluini Diſcipulum

DE SANCTISSIMA EVCHARISTIA
TRACTATVS

AD REVERENDISS. D. D. VALERIANVM
EPISCOPVM VILNENSEM.

Eiuſdem contra eundem Volanum, & omnes Metonymicos
Alter tractatus de eadem Sanctiſſima Euchariſtia

AD ILLVSTRISSIMVM, ET REVERENDISSIMVM D.
D. GEORGIVM RADIBILIVM.

Ex legato



Ill.mi Cocini

Cum Priuilegio, & Licentia Superiorum.

ROMÆ, In Ædibus Populi Romani.
Anno Domini. M. D. LXXVI.



REVERENDISSIMO

D. D. VALERIANO EPISCOPO VILNENSI.

Franciſcus Turrianus Societatis Ieſu.





ON eſt mirandũ Reuerendiſsime D. ſi Volanus Polonus librũ ſectæ ſuæ blaſphemũ, & peſtiferum D. V. Reuerendiſsimæ auſus eſt dedicare, cum ſit è numero eorũ, quos beatus Petrus dicit audaces, ſibi placentes, ſectas non metuentes introducere blasphemantes, imitatus eſt Caluinum magiſtrum ſuũ, qui inſtitutiones ſuas peſtilentes, & hæreticas, de quibus idem Volanus hauſit, Chriſtianiſsimo regi Gallorũ ſimili audacia, & impudentia dedicauit. non D. V. Reuerendiſsimæ ſed Chriſto iniuriam fecit iſte cõtumelioſa librj ſui hæ

retici dedicatione. ex qua non gratiã à D.V. inire sperauit, cuius hostile in omnes istas sectas odiũ ignorare non poterat, sed potius, id quod Apostolus in epist. ad Rom. de ijs, qui dißensiones prater doctrinam, quã catholici didicerunt, faciũt, scripsit, sperabat per dulces sermones & benedictiones seducere corda innocentiũ. dulcis.n. sermo videtur, & benedictio quadã salutatio per epistolã cũ libri nuncupatione, qua Volanus apud illos, qui eũ audiunt, et quorũ minister est, auctoritatẽ sibi conciliare voluit; vt maiore pondere resisteret veritati, sicut Iannes, & Mãbres restiterũt Moysi: sed vt Apostolus de alijs similibus dicit, vltra nõ proficiet, insipiẽtia enim eius manifesta erit omnibus, sicut & illorũ fuit. immo iã patefacta, & conuicta est non à me solũ, sed ab infinitis, qui de sanctißima Eucharistia cõtra Caluinum scripserunt. Quin potius ista ipsa Ecclesia Vilnensis auctoritate, & testimonio apostolica traditionis grauißimo, sectam istam ἄθεον conuincit. Siquidẽ ea, qua ab initio tradita ei sunt, & (vt Apostolus ait) per multos testes audita, & fidelibus hominibus, qui idonei essent alios eadẽ docere, cõmendata, per succeßionẽ Episcoporum catholicorũ, tanquã depositũ apostolicum, & diuinũ vsq; in hodiernum diẽ fidelißime seruat, quod D.V. Reuer. vigilantißime vice sua curat: & in futurũ Ecclesia sua prospiciens, consiliũ salutare, quod omnes vehemẽter laudant, prouidenter

iniuit deligẽdi, & adhibedi sibi nũc coadiutorẽ, postea vero futurum successorem talem, ac tãtum, vt nesciã, vtri magis gratulari debeã Reuer. D. Valeriano, qui tã illustri laude religionis catholicæ, et virtutũ omniũ, & tanta generis claritate cõmendatũ in Ecclesia sua successorem relicturus est, an Ill. & Reuer. D. Georgio Radibilio, qui tam catholico, & pio, ac tam prouidenti Episcopo est successurus, cuius aures, optamus, vt iam nunc illis vocibus circunsonent, quæ de Iosue successore Moysis scriptæ sunt; Sicut fui cum Moyse, dicit dominus, ita ero tecum: non dimittã, neque derelinquam te. Confortare, & esto robustus: tu enim sorte diuides populo huic terram, pro qua iuraui patribus tuis, vt traderem eã illis. Patres dico nunc Episcopos catholicos, qui in Ecclesia Vilnensi semper fuerunt, quos ille deinceps patres suos, quibus succedet, appellaturus est. Confortare inquit, & esto robustus valde, vt custodias, & facias omnẽ legem, quam præcepit tibi Moyses seruus meus. & iterũ paulopost, Confortare & esto robustus: noli timere, & noli metuere, quia dominus tecũ est in omnibus, ad quæcunq; perrexeris. & quæ sequuntur. quæ non sunt propter Iosuem tantũ scripta, sed propter omnes Episcopos, qui sunt duces parochiarum, qui per parochias suas presbyteris ceu sortes quasdam ecclesias diuidunt; quos ita fortes, & robustos esse oportet, vt si vel Apostolus, vel Angelus de cælo euangelizauerit

præter id, quod à sanctis Apostolis ab initio euangelizatum est, & Ecclesiæ catholicæ traditũ, continuo anathema sine ullo timore, aut dissimulatione fiat. Accedit etiã altera causa gratulationis meæ præter eã, quã dixi; quod Volanus Polonus, in quem hunc librũ, quẽ ad D. V. Reuer. mitto, scripsi, D. Palatini patrui D. Georgij minister, vel potius deceptor est, qui (quantũ audio) nũquam euangeliũ audiuit: nec enim euãgeliũ est, in quod Lutherus, & Caluinus euangelium Christi, quod ecclesia Vilnensis cũ reliquis cuncti orbis ecclesijs catholicis habet, conuertere, vel potius dicam peruertere, voluerũt, qui Poloniam cum nõnullis alijs regnis & prouincijs conturbarunt. nunc vero in spem venio, auditurũ esse Volanum euangelium: aut certe D. Palatinum ministeriũ, et synagogam Volani repudiaturũ. in quã curam, ut Ill. D. Georgius incũbat, ipsa quoq; nobilitas generis, quo iuncti sunt, nõ mediocriter incitare debet: dignitas .n. antiqui, & clari generis splendorem à fide, & religione accipit, & vicissim reddit. Si enim ad honorem fidei, & ad Philippensiũ, qui in Christum crediderant, gratulationẽ pertinebat salus missa ab ijs Christianis, qui de domo Cæsaris erant, quãto magis pertinuisset, si non solum ex domo, sed ex ipso genere, & familia gentilitia Neronis fuissent? & fortassis erant, ut quidem fuit Clemens Ecclesiæ Ro. Episcopus, & beati Petri successor. quo Pontifice nobilissi-

mi Romani, & nobiliſſimæ matronæ, vt memoriæ proditum eſt, ad fidem Chriſti venerunt: quæ fuit vera, & cæleſtis nobilitas. Quamobrem & ſi propter ſtirpis claritatem, confidentiam in carne, ſicut Apoſt. ait, habeat, ſi quis alius videtur confidere, magis tamẽ in Chriſto gloriari poteſt; quod fides apoſtolica eccleſiæ Romanæ habitat in eo, & habitauit ſemper in maioribus eius, auis, proauis, attauis. Cuius fidei, & virtutibus præclarũ ſempiternæ laudis teſtimoniũ D.V. Reuerẽdiſſima dedit. cũ eum coadiutorẽ ſibi elegit. Hortetur ergo eum, ut Paulus Timotheum etiã adoleſcentem, vt ſit exẽplũ fidelium in verbo, in conuerſatione, in charitate, in fide, in caſtitate; vt collaboret Euãgelio, & Epiſcopo, cui ſucceſſurus eſt, ſecundum virtutem Dei: & bonum depoſitum cuſtodiat per ſpiritũ Sanctũ qui habitat in eo. admoneat eum D.V. Reuer. vt vtramq; epiſtolã ad Timotheũ ad ſe ab Apoſtolo ſcriptã cogitet: eas meditetur: in eis ſit. hoc enim ſi fecerit, nemo adoleſcentiam eius contẽnet, quod idẽ Paulus Timotheum, vt daret operã, monuit. Sic enim ſeipſum ſaluum faciet, & eos, qui eum audient: & cum gaudio D.V. Reuerẽdiſſimã in euangelio adiuuabit. Societas vero noſtra, quæ iſtic tãquã in ſtatione à D.V. Reuer. collocata eſt, vt ei, ſicut par eſt, omni tẽpore præſto eſt, ſic illi nunc Coadiutori, et poſtea ſucceſſori ſemper in Chriſto præſto erit. Dominus Ieſus conterat cito Satanã ſub pedibus veſtris. Amen.

Auctores in his libris citati.

Adrianus Papa
Adrianus siue Andronicus *auctor Ecclesiasticus*
Ambrosius
Anastasius Patriarcha Anthioch.
Andreas Cæsariensis
Andronicus Philosophus
Aristoteles
Athanasius
Augustinus.
Basilius Magnus
Basilius Seleuciæ Episcopus
Bernardus Abbas.
Cæsarius frater Gregorij Nazan.
Chrysostomus
Clemens Romanus
Clemens Alexandrinus
Cyprianus
Cyrillus Alexandrinus
Cyrillus Hierosolymitanus
Damascenus
Diadochus Episcopus *Photinensis*
Dionysius Areopagita
Dionysius Alexandrinus.
Ephræm *Syrus*
Eusebius *Cæsariensis*
Eusebius Emessenus
Eutychius *Patriarcha* Cōstantinop.
S.Franciscus
Fulgentius
Gaudentius Episcopus.*Brixien.*
Gregorius Nyssenus
Gregorius Nazianzenus
Gregorius vij.
Heruæus Britannus
Hesychius, presbyt. Hieros.
Hilarius
Hieronymus
Hippolytus martyr.
Ignatius
Ionas *Aurelianen* Episcopus
Iosephus Iudæus
Irenæus
Isidorus Pelusiota
Iustinus.
Leo primus
Leontius Aetholius.
Macharius Aegyptius
Macharius Episcopus
Magnetes
Marcus *Anachoreta*
Maximus
Methodius Martyr
Missa B. *Petri*
Missa B. Iacobi.
Missa B.Marci
Nicephorus
Niceta Coniates
Nilus Monachus
Origenes
Paschasius Corbetensis
Philastrius
Philo Alexandrinus
Photius Constantinopol.
Rabanus *Maurus*
Remigius Episcopus *Antisiodor.*
Seuerianus Gabalonen.
Syritius Pont.
Teodorus Meliten. Episcopus
Teodotus Patriarcha Antioche.
Tertullianus
Theodoretus
Theoleptus Episcopus Philadelp.
Theophilus Alexandrinus
Theophylactus
Thomas Aquinas
Timotheus *Archiep. Alexandrin.*
Titus Bostremus
Concilium Florentinum
Nicenum
Romana tria
Vercellense
Turonense.



QVomodo & quibus exemplis Metonymia Volani hæretici redarguitur: & quomodo, qua licentia negat proprietatẽ verborũ Christi in sacramento Eucharistiæ, eadem cogatur negare in sacramento baptismi; aut in vtroque cõfiteri: et quomodo baptismus, & S. Eucharistia sunt duæ radices nouæ creaturæ secundum Dionysium: et quomodo Dominus cum aliud intelligendũ erat quàm quod dicebat, vt in parabolis, ipse, ne errarent, quibus loquebatur, interpres erat; & quod hoc in sacramento S. Eucharistiæ non fecit, et quare. Cap. 1.

Quomodo intelligendum sit quod Apost. ait, Petra autem erat Christus: & quomodo is locus non adiuuet metonymiam Caluini, sed potius refellat; & quomodo Volanus Caluinista ex Christiano se Iudæum sua metonymia facit: & quomodo ex supplicio, quod Deus minatur S. Eucharistiæ contemptoribus colligitur esse verũ corpus Christi in sacramento; & quomodo id plane Apostolus ibidem dicit: & de loco Pauli ad Hebræos de veritate corporis Christi in sacramento, & qui sint auctores ex antiquis Patribus. cap. 2.

Acuta interpretatio loci Pauli, quoniam vnus panis, vnum corpus multi sumus, & eorum quæ sequuntur, auctore Photio: & quomodo intelligendum sit factos nos esse concorporales in Christo, quod Apost. dicit, & de argumẽto Petri Martyris contra veritatem corporis Christi in sacramento à lege naturæ petito quibus exemplis scripturæ S. coarguatur: & quomodo quod Aug. dixit in libro. 3. de doctrina Christiana de figurata locutione, nisi manducaueritis carnem filij hominis, contra Caluinianos, qui hoc obyciunt, sit ipso Aug. interprete. cap. 3.

Quomodo metonymiã Volani hæretici redarguit titulus psalmi. 33. & de interpretatione Eusebij Cæsariensis: quomodo quod Volanus ait, nusquã apud auctores antiquos legi accidentia sine subiecto in sacramento, falsum est: & quomodo Volanus ignorat, quid nomen species significet latine: & quomodo in hæresim Pauli Samosatensis, & Theodori Mopsuestiæ incidit Volanus imprudens & nolens, dum suam metonymiam defendit, male Cyprianum interpretando; & de repugnantijs Volani. cap. 4

Quomodo Volanus Philosophia contra veritatem corporis Christi in sacramento

turalem

turalem patris & filij: & quomodo probat duplicem vnionem cũ Christo corporalem per participationem carnis in sacramento nobiscum corporaliter communicatæ, & vnionem alteram spiritualem per spiritum S. secundum habitudinem fidei & charitatis. cap. 9.

De duplici dilectione Christi erga nos, & de duplici communione, vna naturæ nostræ, & altera corporis eius in sacramento: & quomodo vtriusque rationem diuine Dionysius explicat: & quomodo secunda dilectione priorẽ ad summum perduxit, & secunda item communione priorem; & quomodo hinc intelligitur quod Ioan. ait, cum dilexisset suos, in finem dilexit eos: & quomodo Caluiniani hos gradus dilectionis, & vnionis per suam metonymiam tollũt contra scripturam: item de hæresi Pauli Samosaten. qui sanguinem Christi in sacramento corruptibilem esse tradebat: & quomodo eum confutauerit Dionysius Alex. & quomodo hæc hæresis renouata postea fuit, & quando, & à quo, & de quibus patrum testimonijs damnata sit in synodo: & quomodo hæresis Pauli Samos. de sanguine Christi corruptibili in sacramento minus absurda erat quam hæresis Caluini. cap. 10.

De duplici exinanitione Christi in sacramento, & in cruce: & quæ Dionysius Alexand. de illa priore exinanitione diuine scripserit interpretans locum Pauli ad Philipp. & quomodo Volanus hanc exinanitionem, qua Christus etiã glorificatus est, tollat contra scripturam per suam metonymiam: & qui auctores meminerint exinanitionis Christi in sacramento, quæ omnino conuincit, ibi esse Christum vere & realiter: & quomodo qui ista exinanitione Christum priuant, gloria etiam eam secuta eundem priuant: & quomodo non sit hyperbole, vt hæretici dicunt, quod præ nimio in Christum amore carnem eius manducare dicimur, sed res ipsa, & miraculum obstupendi beneficij: & quomodo locus ille euangelij Ioannis, sicut misit me viuens pater, & ego viuo propter patrem &c. hæreticam esse metonymiam Caluini conuincit. cap. 11.

Responsio ad id quod Volanus obiecit, Christum quod de manducatione corporis sui in euangelio Ioannis prolixe disseruit, ad fidem retulisse, quia dixerat prius, amen amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam. explicatur ratio exemplis scripturæ, quare de fide prius meminit Christus, quam de sacramento Eucharistiæ dissereret. item responsio ad id, quod secundo loco obiecit ex Aug. vt quid paras dentes, et ventrẽ, crede, & mãducasti: et ibi de duplici cibo fidei et operũ fidei, et de cibo ex carne Christi. itẽ respõsio ad tertiã obiectionẽ ex libro 3. Aug. de doctrina christiana, carnẽ Christi edere, & sanguinẽ

eius bibere idem eße, quod paßioni Christi per fidem communicare. item respon sio ad alia quæ quarto loco obiecit. cap. 12.

Responsio ad illud quod ex Aug. contra Maximum Arianum obiecit Volanus, in sacramentis, nō quid sint, sed quid ostendant, attenditur, & ibi de dupli ci genere sacramentorum. item responsio ad illud quod ex Irenæo obiecit: & quomodo ex eo. quod ait Irenæus Eucharistiam constare ex re terrena & cælesti, Volanus à suo teste redarguitur: & de panibus propositionis comparatis cum pane sacramentali hæreticorum ad redarguendum eos. item responsio ad id quod obiecit ex libro institutionum Rabani: & quomodo testimonium productum in Volanum retorquetur, & alio testimonio eiusdem testis reuincitur: & quomodo qui à philosophia naturali argumenta contra transubstantiationem petit, ab eadem Philosophia redarguitur: & quomodo transubstātiatio, non est metamorphosis, sicut protestantes dicunt. cap. 13.

Responsio ad id, quod Volanus obijcit, non poße locum habere similitudinē illam mutuæ coniunctionis inter membra Christi, de qua Apost. loquitur, cū ait, quoniam vnus panis, multi vnum corpus sumus, si nullus panis in sacramento percipitur: & ibi quomodo intelligendus sit Apostoli locus cum apostolica constitutione collatus; & de vocabulo speciei; & quid in eo Volanus ignorauerit. item responsio ad locum Aug. ex libro sententiarum Prosperi obiectum, & collatio interpretationis Volani cum verbis Augustini, qua collatio ne ipsa interpretatio plane conuellitur: & quomodo conuincitur ignoraße Volanum, quæ Philosophus de sensibilibus per se, & per accidens tradit. cap. 14.

Responsio ad locum epistolæ Augustini obiectum de nominibus rerū, quæ accipiunt sacramenta propter similitudinem: & confutatio quatuor exemplorum, quæ ex scripturis per ignorantiam ab hæreticis obijciuntur. cap. 15.

Responsio ad id quod ex epist. Aug. contra Adimandum obijcitur, vbi sacramentum vocat signum corporis sui: & quomodo Aug. signum pro sacramento accepit: & quomodo conuincitur transubstantiatio panis in corpus Christi verbis illis quæ Volanus dißimulauit: et quomodo auctoritate Ambrosii lib. 4. de sacramētis, et auctoritate Cypriani rursus redarguatur Volanus. cap. 16.

Responsio ad id quod ex Cypriano obiecerat Volanus: & quomodo conuincitur non intellexiße locum Cypriani obiectum: & de analogia siue similitudine panis communis corpus nutrientis cum pane viuifico nutriente animam, et

qui

quod Petrus Martyr ex Tertull. obiecit, & quomodo in se ipse testem citauerit: & locus Tertulliani os hæreticorum obstruat, & Caluinus cum Marcione cogatur dicere non impleuisse dominum legem, sed destruxisse, cum sic interpretatur, hoc est corpus meum, idest, figura corporis mei. cap. 22.

De loco Apostoli, qui manducat, & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit non diiudicans corpus Domini, quid responderit Petrus Martyr magister Volani, vt negaret malos summere corpus Christi in sacramento: & quomodo responsio eius redarguitur. item de loco Augustini expresso contra eundem errorem, quomodo conatur Volanus eludere eum, sed non potest vllo modo, ipso Augustino interprete: & quomodo non distinguit hæreticus corpus Christi sumere, & fieri participem Christi, sicut neque distinguit sumere solum sacramentum, & sumere corpus Christi sacramento tenus: & de hæresi quorundam veterum, qui aiebant simul esse in corde spiritum gratiæ, & spiritum peccati. cap. 23.

De interpretatione loci Aug. ab hæreticis obiecti ab ipso Aug. facta; & quis dicatur ab eo vere manducare corpus Christi: & quomodo idem corpus Christi aliis est odor vitæ in vitam: alijs odor mortis in mortem: & quomodo ratione philosophicæ theologiæ ex Paulo demonstretur, malos corpus Christi sumere in sacramento; & quomodo sacramentum absolute, nunquam nisi proprie, & sine figura vlla pro toto sacramento, & non pro parte accipitur, vt volunt hæretici: & quomodo intelligendus locus August. ex sententijs Prosperi. cap. 24.

Vbi, & quomodo dominus Iesus verbis suis declarauit, & aperte dixit, nõ se loqui figurate, sed proprie de sacramento corporis sui, præuidens futuros Metonymicos: & quàm inepta & periculosa sit metonymia ad tradendum dogmata: & quomodo in pane, cum accidentia tantum substantiæ panis significat, nõ sit metonymia, sed homonymia: & quomodo hanc homonymiam dominus docuerit, idest, panem esse, & vocari accidentia panis sine substantia: & quare dominus salua esse voluerit; & quare nomen panis carni suæ imposuerit, cum dixit, panis, quem ego dabo, caro mea est: & de sinecdoche figura in pane visibili pro toto sacramento ex specie sensibili panis & re insensibili constante: & quomodo hæretici metonymiam adamant hic, & synecdochen oderunt. cap. 25.

Quo-

CAPITA POSTERIORIS TRACTATVS.



& corporali in sacramento, vtraque à Dionysio diuine explicata, & post eum à Cyrillo: & quomodo aliud sit, esse vnum spiritum cum Christo, & aliud vnũ corpus, contra Metonymicos, qui hæc distinguere non possunt. cap. 5.

Disputatio aduersus eosdem ex epistola ad Ephesios c. 3. & 5. et quomodo quos Apostolus ibi dicat factos esse concorporales in Christo, non possit ab hæreticis aliò detorqueri, sed necessario intelligendum sit de participatione corporis Christi in sacramento: & quomodo Christus nutriat Ecclesiam, & ipso nutriente efficiamur nos membra corporis eius, de carne eius, & ossibus eius: & de coniungio Christi, & Ecclesiæ mystico, quomodo per communionẽ corporis eius in sacramento consumetur. cap. 6.

Quæ Methodius martyr scripserit ad explanationem loci Pauli de sacramento magno in Christo & in Ecclesia; & quæ alij Patres de eodem magno sacramento coniugij mystici per communionem corporis Christi in sacramento participati scripserint: & de dote sponsæ Christi à beato Chrysostomo descripta: & quomodo Metonymici sponsam, quod in ipsis est, dote spolient, & fame ac siti enecent: & quomodo ex verbis Pauli concludatur, alimentum, quo Christus Ecclesiam sponsam nutrit, ore etiam corporali capi. cap. 7.

Disputatio contra Metonymicos ex epist. ad Colos. c. 3. quod per communionem corporis Christi in sacramento vocati sumus in pacem in vno corpore: et explicatio Dionysii de osculo mystico in sacrificio Missæ ad locum Pauli pertinente: & quid differat induere Christum ab eo, quod est fieri corpus Christi: & quomodo Metonymici non possunt esse grati, quod Apost. præcipit hic dicens, grati estote. quomodo comedere corpus Christi sine ore, sine dentibus, sine palato, sine stomacho, quod Metonymici in suo sacramentali pane introducunt, ad hæresim Manichæorum pertinet, & ad hæresim illorum, qui aiebant; angelos qui Abraæ apparuerunt, vere pransos esse. cap. 8.

Ex epistola ad Thessal. de loco, in quo Thessal. obtestatur Apost. per nostrã congregationem in Christum: quomodo per participationem carnis Christi in sacramento communicatæ congregamur in vnum corpus Christi indiuisibile; & quòd ex eo dicta sit communio, & synaxis: & quomodo secundum Metonymicos non plus coniunctionis cum Christo efficiat Eucharistia quàm baptismus: et unde intelligi possit quantã vim habeat contactus carnis Christi viuificæ: & quare obtestatus est Thessalon. per congregationem istam in Christum, id est, per sacram communionem. cap. 9.

Disputatio contra Metonymicos ex epistola Pauli ad Hebraeos c. 10. & quomodo necesse fuit, vt in ea Paulus, de corpore Christi, quod in sacramento est, & immolatur, meminisset: & quare reliquit se nobis Christus in sacramento, & quis inde fructus: & qui auctores viam nouam & viuentem, quae sit fiducia ad ingrediendum in caelum, de sancta Eucharistia à Paulo dictum esse interpretati sint: & quomodo hic locus Apostoli redarguat & conuincat haeresim istam metonymicam: & de vocabulo viae, quo vsus est in Eucharistia Paulus: et quomodo inde rursus redarguitur metonymia haereticorũ. itẽ de praeparatione accedẽdi ad Eucharistiã cũ vero corde, et plenitudine fidei. cap. 10.

Quàm apposite praeceptum dederit hoc loco Apostolus de non deserenda Ecclesia: & explicatio de hostia, quae non relinquitur voluntarie peccatibus, quomodo de hostia mystica accipiatur; & qui dicantur hic voluntarie peccantes; & quomodo hunc locum constitutio apostolica declarat, & consuetudo Ecclesiae: & quare Apostolus de mystica hostia post illam cruentam meminit: & de ratione institutionis hostiae mysticae, ex Dionysio: & quid sit, quod Ecclesia in oratione quadam dicit, opus redemptionis in Missa exerceri, & de minis supplicij ei propositis, qui indigne communicat. cap. 11.

De alio loco eiusdem epist. ad Hebr. c. 12. quomodo Christum esse in ecclesia vere, & corporaliter concluditur: & de ecclesia, quomodo sit vna in caelo, & in terra secundum Apostolum; & quomodo hoc Metonymici ignorant: et de argumentatione Petri Martyris ad probandum esse Christum in caelo tantũ. item quomodo communione corporis Christi in sacramẽto, ecclesia quae in terra est, cum caelesti copulatur, & efficitur vna: & quae sit communio sanctorum, quam in symbolo fidei profitemur: & quomodo hanc negare cogantur Metonymici, sicut etiam vnam ecclesiam in caelo, & in terra: & quomodo quod Apostolus ait, accessisse nos ad sanguinis aspersionem melius loquentẽ quàm Abel, metonymiam haereticorum euertat. cap. 12

Quomodo qui Christum in sacramento esse negant, de caelis loquentem contra Apostolum recusant, quos horribile supplicium manet: & quomodo quod Apostolus ait hic, habere nos gratiam, per quam seruiamus Deo placentes. de S. Eucharistia, quae est gratia per se subsistens, intelligendum sit. & vnde hoc constet: & quomodo hic etiam locus Metonymicos redarguat: quid significet in loco epistolae metus, & reuerentia, cum quibus praecipit adhibere cultũ Deo per sanctam Eucharistiam: & quomodo ex isto loco conuincitur esse Metonymicos idololatras; aut panem eorum sacramentalem non esse Eucharistiã, vt ipsi putant, & tradunt. cap. 13.

Disputatio contra eosdem Metonymicos ex alio loco eiusdem epistolæ ad Heb. c. 3. quomodo hic auctoritate Pauli conuincatur, habere nos in altari ad sacrificandum, & comedendum, quod Christus immolauit in cœna, & discipulis ad comedendum dedit, id est, corpus Christi: & quomodo si illud, quod dedit, non fuit corpus suum, sed figura corporis, plane sequatur, non præstare Christum Aaroni qui figuras etiam immolabat. Quomodo Apostolus doceat hic Christum esse hostiam, & eundem cibum: & quomodo Metonymici nullã hostiam laudis habeant ad offerendum in altari contra auctoritatem Apostoli: & quomodo hostia laudis, de qua hic loquitur Apost. non possit referri ad preces, siue orationes, vt nec altare, de quo ibidem fit mentio, non potest referri ad altare spirituale cordis, sed ad externum. cap. 14.

Disputatio ex cap. 7. eiusdem epis. ad Heb. aduersus eosdem Metonymicos, & responsio ad id quod obijciunt, quare non meminerit de pane, & vino, quæ Melchisedec obtulit Abraæ, si figura fuerunt S. Eucharistiæ: & quomodo quæ Melchisedec protulit, tanquam sacerdos, & non tanquam rex protulit, teste scriptura, & idcirco vim verbi offerendi, quod hæretici requirunt, in verbo proferendi ibi positi contineri. item de antiquis auctoribus, qui testantur oblationem Melchisedec figuram fuisse oblationis Christi in cœna: & quomodo teste & interprete Cyrillo in benedictione, qua Melchisedec benedixit Abraæ præbens ei panẽ & vinum, continetur mentio panis, & vini; & quare Apostolus non indicauit opus esse, vt expresse meminisset: & quomodo sequatur frustra fuisse sacerdotem Melchisedec, si in illo loco Genesis nõ sacrificauit, cum nusquam alias mentio de eius sacerdotio in scriptura fiat: & quomodo non esset Christus factus sacerdos secundum scripturam ad similitudinem Melchisedec nisi appareret similitudo oblationis Christi & oblationis Melchisedec: & demũ, quõ ex similitudine sacerdotij Christi cũ sacerdotio Melchisedec, cõcludatur esse corpus Christi verũ in sacramẽto sub specie panis et vini. cap. 15

Disputatio ex epistola priore beati Petri contra Metonymicos, quomodo demonstretur ex verbis eius, Christum esse præsentem in sacramento, licet oculis corporis non videamus: & quomodo qui hoc credunt, à Petro laudentur: & quomodo S. quoque Thomas sic intellexit hunc locum, loqui scilicet beatum Petrum hic de præsentia corporis Christi in sacramento, tametsi non videmus: & quomodo videre per speculũ in ænigmate est videre Christum in sacramẽto Theodoreto interprete: & quomodo hæretici Metonymici non vident nunc per speculũ in ænigmate contra auctoritatẽ Apostoli: & quõ lex euangelica non potest habere ipsam imaginem rerũ in sacramentis, sicut, Apost. dicit nisi sint

res

res præsentes: & quomodo qui videt per speculum, ipsam imaginem rerum præsentium videt: & quomodo Metonymici cum panem suum sacramentalem figuram corporis absentis faciunt, præsentiam rei separant ab imagine, & imaginē ab speculo: & quòd isti quia nunc non vident Christum præsentem per speculū, nec in futuro per speciem videbunt. cap. 16.

Continuatio interpretationis loci propositi ex epistola B. Petri: & quomodo magis adhuc patefit loqui beatum Petrum de præsentia Christi in sacramento: et quomodo Dionysius interpretatur, quod beatus Petrus ait, reportare nos nunc finem fidei nostræ salutem animarum nostrarum. item diuina explicatio eiusdē Dionysij de mysterio incarnationis, & de sacramento S. Eucharistiæ: & quomodo aperte dicit præsentem esse Christum in sacramēto: & quomodo salus, siue vita animarum nostrarum, quam præstat nunc digna participatio Christi in sacramento, finis est nunc fidei nostræ; idque testimonio etiam S. Maximi, & beati Cyrilli. cap. 17.

Quomodo de salute ista, siue vita animarum, quam S. Eucharistia tribuit prophetæ prædixerunt: & exemplum ex prophetia Ezechielis de sacramento Sanctissimæ Eucharistiæ: & quomodo in disciplina Metonymicorum locum prophetia ista non habeat: & quomodo quod beatus Petrus ait, In quæ angeli desiderant videre, de corpore, & sanguine in sacramentis dixerit; & qui sint auctores, & testes ex veteribus. cap. 18.

Quomodo hoc, quod de angelis in epis. B. Petri in sacramenta corporis, & sanguinis prospicere desiderātibus tot patrum testimonio confirmatum est, Metonymicos plane redarguit: & quomodo ipsa rerum, & verborum consequentia, & connexio interpretationem comprobet: & quomodo cærimoniam comedendi agnum veterem accinctis renibus transferat Petrus allegorice ad corpus Christi, quod in sacramento comeditur: & quomodo, quod beatus Petrus iubet, perfecte sperare in gratia, de qua loquitur, non possit intelligi nisi de S. Eucharistia, quæ est gratia substantialis, ac per se subsistens, quæ αὐτόχαρις est, & dicitur: & quod Metonymici non habent nec habere possunt gratiā, in qua perfecte sperare possint, quandiu Christum in sacramento negant. cap. 19.

Continuatio epist. B. Petri contra Metonymiam hæreticorum, de præparatione ad communionem sacram: & quomodo S. Eucharistiam vocauerit lac rationale, & quare: & quomodo consuetudo Ecclesiæ orientis hoc confirmet: & de communione infantum in Ecclesia illa: & de communione grandiorum in no

stra: & quomodo lac non potest hic accipi de doctrina rudi, & inchoata, sicut in alio loco epist. ad Heb. accepit Apostolus: & quare vocetur lac sine dolo sancta Eucharistia: & quomodo idem Petrus hoc ibidem docet. item de versiculo Prophetæ, gustate & videte, quem Petrus hoc loco citat, qui auctores ad sacramentum S. Eucharistiæ retulerint: & de lacte, & melle olim in symbolum Eucharistiæ dari solitis: & quomodo in panem sacramentalem hæreticorũ non potest conuenire esse sine dolo, cum non sit viuus, & rationalis, sed figura tantum, nec conuenire illud propheticum, gustate & videte quàm suauis dominus. cap. 20.

Quomodo in loco epistolæ B. Petri sancta Eucharistia, quæ dicta est prius, lac rationale sine dolo, dicitur nunc lapis viuus, sicut etiam dicitur in euangelio panis viuus: & quomodo quod Petrus vocauit lac rationale, & lapidem viuũ, clarius iam vocet hostias spirituales; & quare sic, & quis auctor: & quomodo ex ipsis verbis beati Petri hoc colligatur: & de duplici sacerdotio in vetere testamento; & item de duplici in nouo: & quomodo beatus Petrus de hostia proprij corporis cuiusque, & de hostia corporis & sanguinis domini in hoc loco meminerit; & quod illa prior sit præparatio ad hanc secundam: & quomodo locus epist. B. Petri de hostijs spiritualibus ad disciplinam Metonymicam hæreticorum nullo modo accommodari potest, ex quo fit, vt aliena sit à scriptura sancta. cap. 21.

Disputatio aduersus Metonymicos ex scriptura vetere collata cum noua, ac primum de iugi sacrificio veteris testamenti collato cum iugi sacrificio nouæ legis. quod est S. Eucharistia. cuius typus erat sacrificium vetus: & quomodo quæ de iugi sacrificio scripta, in nostro iugi sacrificio tanquam in veritate impleta sunt, in panem sacramentalem Metonymicorum non possint conuenire, nec in eo impleri: & quomodo secundum Metonymicos non est secundum Euangeliũ gratia, & veritas per Iesum Christum facta, sed figura in figuram mutata: & quomodo quod dixit dominus, ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi, de corpore suo quod in sacramento vsque ad consummationem sæculi habemus intelligendum esse ex eo, quod de iugi sacrificio vetere scriptum est, cognoscitur. tanquam ex typo veritas: quomodo item caro Christi dicitur in scriptura tabernaculum, & altare, quæ nos habemus, & non Metonymici: item collatio loci Apocalypsis cum euangelio Ioannis, & cum eo, quod de iugi sacrificio, & de lege agni Paschalis scriptum est: & explicatio loci Apocalypsis de Hierusalem sancta ciuitate noua descendente de cælo: & quomodo Metonymici visionem beati Ioannis frustrantur negantes esse corpus Christi in sacramento,

to: & de loco prophetico Danielis de iugi sacrificio corporis Christi in sacramento. cap. 22.

Loci Leuitici. c. 16. de duobus hircis collatis cũ sacrificio nostro mystico viuo: itẽ de duobus passeribus ex Leuitico cap. 14 & quomodo secũdũ Metonymicos typicũ sacrificiũ hirci viui, & passeris item viui; non est in Euangelio impletum, si dominus figuram corporis sui dedit discipulis: & quomodo Metonymici, quamuis ad naturam diuinam, quæ neque pati, neque mori potuit, confugiant, elabi non possunt. cap. 23.

De interpretatione legis Leuitici de panibus propositionis, vt consonet Euãgelio de sancta Eucharistia: & quomodo panis sacramentalis hæreticorum non potest esse sanctus sanctorum Deo, qui non est aliud, quàm figura Christi, quæ est sanctus sanctorum: & quomodo hoc loco redarguitur metonymia hæreticorum. cap. 24.

De loco Deuteronomij c. 15. collato cum Euangelio, qui Metonymicos redarguit, & errare conuincit: et quomodo eũ beatus Cyrillus interpretatus sit: & quomodo rursus non possint Metonymici interpretari eum, vt Euangelio consonet: & de duobus locis illustribus Cæsarij fratris Gregorij Naz. contra eosdem Metonymicos. cap. 25.

De psalmo 115. collato cum Euangelio ad redarguendum Metonymiam hæreticorum: & quomodo prophetaturus Dauid de corpore Christi in sacramento, prius de fide admonuit, sicut dominus postea in euangelio Ioannis fecit: & quomodo Ecclesia catholica semper fuit fixa, & immobilis in fide Eucharistiæ contra omnes hæreticos: & quomodo hæretici nolunt in excessu mentis, idest abducti, & seuocati à consuetudine sensus, contemplari corpus Christi sub specie panis, sed malunt potius excessum mentis, idest amentiam incurrere, & Simonem Magum imitari: & de excessu mentis, qui cecidit super Petrum in actis apostolorum, & de eo, qui cecidit super Abraam. cap. 26.

De loco psalmi 115. qui est proprius S. Eucharistiæ, Calicem salutaris accipiam, & de simili loco Ionæ prophetæ: & quomodo illæ prophetiæ non pertinent ad panem, aut calicem sacramentalem Metonymicorum: & quòd ecclesiastica mystagogia testis sit pertinere ad sacramentũ S. Eucharistiæ, quod Dauid dixit, calicem salutaris accipiam; & de versiculo, qui statim sequitur, Pretiosa in conspectu domini mors sanctorũ eius, quomodo ad commemorationẽ

sua-

sanctorum, quæ fit in sacrificio Missæ, interprete Dionysio, pertineat: & quomodo redarguatur amentia Metonymicorum, qui faciunt sua metonymia, nihil melius neque maius à Deo nos accepisse quod ei pro omnibus beneficijs retribuamus, quàm figuram corporis, & sanguinis, quo nihil amentius. cap. 27.

De insigni prophetia corporis Christi in sacramento ex psal. 21. & quomodo consonet psalmus Euãgelio, & de interpretatione 70. quid Eusebius in com. huius psalmi senserit; & de ijs, qui Iudaicos commentarios in exponendis prophetis sequuntur: & quomodo hic psalmus metonymiam hæreticorum euertat: & quomodo dominus vsus fuerit proprie, & non translate verbo comedendi in Manna; & in corpore suo, de quo in Euangelio disserebat: & quomodo quæ ad dogmata fidei pertinent, à prophetis proprijs verbis prædicta sint: & de interpretatione illius versiculi, manducauerunt, & adorauerunt omnes pingues terræ: quomodo hæc prophetia Dauid de cibo viuifico comedendo impleta sit comedendo proprie ore carnis corpus Christi in sacramento. cap. 28

Locus Esaiæ ex cap. 56. de S. Eucharistia: & quomodo ex eo concludatur corpus Christi esse in sacramento: & quomodo hostias altaris, de quibus prophetat Esaias hic, comedẽdas esse ore corporali, Paulus interpretatus est contra futuros hæreticos: & quõ Metonymici participatione diuinæ naturæ se spoliant negantes corpus Christi in sacramento: & quomodo in sacra communione duas Christi naturas participamus interprete Cyrillo, & Damasceno. cap. 29.

Altera prophetia Esaiæ de corpore Christi in sacramento, & qui sancti patres sic intellexerint: & de interpretatione beati Cyrilli: & de lætitia, qua sancte communicantes afficiuntur, quomodo eam prædixerit Esaias: & quomodo prophetiæ epistola Petri consonet: & quid illud sit, quod Esaias continuo post prophetiam de S. Eucharistia, subiunxit; cælum enim nouum, & terra noua erit: & quomodo hoc contra hæreticos Metonymicos, & figuratores valat: & quomodo parũ differant isti à Iudæis, & de loco Neemiæ de duabus placentis: & de loco prophetico, lupus, & agnus pascentur simul, quõ Metonymici prophetiam Esaiæ ridiculã faciunt sua metonymia, & figura. cap. 30.

Explanatio loci prophetici ad nouum testamentum pertinentis, ex c. 24. Esaiæ, collatis locis Pauli, Apocalypsis, & Euangelij: & quomodo quod ibi est de glorificatione domini in conspectu presbyterorum: expressa prophetia sit de corpore Christi in sacramento: & quomodo hæretici non possint in eo tergiuersari: & quod prophetans Esaias de nouo testamento, sacerdotes vocauit

pres

presbyterôs; & quare in scriptura noui testamenti presbyteri non fuerint voca ti à principio sacerdotes, & quando cœperunt vocari: & quomodo res admirabiles vocauit Esa. quas dominus in nouo testamento operatus est; & quæ illæ sint: & quomodo in illis rebus admirabilibus posuit glorificari dominum in cō spectu presbyterorum, & bibere vinum in lætitia in monte: & quomodo hæc ad corpus & sanguinem Christi in sacramento referenda sunt secundum prophetiam Euangelio consonantem: & quomodo consequentia in loco prophetico mirifice cōueniunt cū ijs, quæ in Euāgelio de S. Eucharistia scripta sunt. cap. 31.

De loco prophetico eiusdem Esaiæ ad nouum testamentum pertinente ex c. 33. & quomodo panis fidelis, qui in eo promittitur, corpus Christi sit in sacramento & cur fidelis dicitur: & quare cibus & potus viuificus S. Eucharistiæ vocetur in scriptura panis, aqua, mel, lac: & quomodo hæc prophetia metonymiā hæreticorum redarguat, & c nuncat, nō habere eos Eucharistiā: & quomodo panis, & aqua fidelis, quæ hic promittuntur populo Christiano, non possint accipi de doctrina vllo modo: & quomodo qui nolunt videre hic Christum vili specie panis velatum, non videbunt eum in gloria et decore suo in cælo, iuxta prophetiam Esaiæ. item de capite 55. eiusdem prophetæ Esaiæ, quomodo in eo prophetet de corpore Christi in sacramento, cum inuitat ad emendū sine argento, et comedendum: et quomodo ipse idem Propheta hoc exposuerit, cum subiungit, et disponam vobis testamentum æternū sancta Dauid fidelia: et quomodo hoc intelligēdū sit Paulo, et euāgelio cum hoc loco collatis. cap. 32.

De loco Oseæ prophetæ ex cap. 14. de eodem sacramento corporis Christi, cū prophetans de nouo testamento, & de bonis eius, promittit victuros siue roborandos esse in eo fideles frumento, & quales esse oporteat, secundum Prophetam qui hoc pane mystico roborandi sunt: et quomodo hæc in panem sacramētalem hæreticorum cōuenire nequeāt: et de loco Greg. Nyßeni de corpore Christi in sacramento: et quomodo admiratio Oseæ prophetę, cum ait, quis sapiens, et intelliget hæc? ad illud de frumento, quo dixerat victuros esse, & roborandos fideles in nouo testamento, retulerit. cap. 33.

De loco Malachiæ, in omni loco offertur nomini meo sacrificium mundum, quomodo quod ibidem prophetauit glorificandum esse ab ortu solis vsque ad occasum nomen Dei, in hoc sacrificio impleatur: et quomodo Euangelio Ioānis mirifice hoc consonet: & quæ sint illa quæ in sacramento S. Eucharistiæ testificamur de gloria Dei: et de duplici glorificatione Christi secundum Euangelium in passione, et in S. Eucharistia. cap. 34.

FRANCISCI TVRRIANI SOCIETATIS IESV PROOEMIVM IN TRACTATVS DVOS DE SANCTISS. EVCHARISTIA.



PROOEMIVM.



QVI produxit à principio lignum vitæ in medio paradisi (ex quo, sicut Scriptura testatur, si Adam post peccatum comederet, viueret etiam in æternum, licet misere & ęrumnose, ne enim hoc contingeret, per misericordiã Dei eiectus fuit ex paradiso) idem nouissimis diebus instaurans omnia cumulate, in medio Ecclesiæ, quæ est quidam cælestis paradisus, posuit lignum vitæ, id est, Crucem Christi, quæ fructum tulit, qui dat vitam mundo. hæc est caro eius, quæ in sacramento S. Eucharistię ad recordationem mortis, quam in carne sustinuit, in Ecclesia comeditur. de fructu huius ligni, de quo Hieremias prænunciauerat, inquiens, Mittamus lignum in panem eius, dixit dominus Iesus, Qui manducauerit ex hoc pane, viuet in æternũ. & Esaias, Secundũ dies ligni vitæ erunt, inquit, dies populi mei. sic.n. est apud LXX. Lignũ enim vitæ produxerat dñs Deus, vt Adam non quidem voluptate aspectus, & amœnitatis, aut suauitate cibi caperetur, sed vt eo cibo vitam immortalẽ viuens, totus in contemplatione Dei versaretur: & sic tandem ad vitam traduceretur beatam; sic est populus Dei, habet enim, sicut dominus dixit, in Paradiso Ecclesiæ vitam æternam comedens digne ex fructu mystico ligni vitæ, quod est Christus sapiẽtia Patris, de qua ait Salomon, Lignum vitæ est omnibus, qui apprehenderint eam. æternitatem enim vocauit hic lignum vitæ, habet inquam, in hoc fructu & alimento, vt B. Ignatius in epist. ad Ephes. ait, pharmacum immortalitatis, & antidotum incorruptionis; habet, dico, in hoc cibo cælesti ad nutriendam animam, quod habet ad nutriendum corpus in cibo terreno.

Lib 8. de Repub. cuius vsus duplici de causa inquit Plato necessarius est, quia sine ipso vita non subsistit,& quia vtilis;& discipulus eius Aristoteles de alimento differens, Conseruat, inquit, substantiam; & est eo vsque profecto, quousque nutritur. Item, Alimentum, inquit, ad operandum præparare videtur, quapropter animal alimento priuatum esse non potest. hęc ille in libro de Anima 3. Dionysius vero Apostolicus Philosophus, cibum solidum Apostoli Pauli ad mensam illam, quam sapientia proposuit pertinentem, vt diuina contemplatione explicaret, explanatius & vberius vsum alimenti in epist. ad Titum exposuit, Omne, inquit, alimentum perficit ea, quæ aluntur, & quod in eis est imperfectum, & quod deficit, complet. Item, Debilitati eorum remedium adfert, eorumque vitam conseruat; & vt reuirescant, ac renouentur, facit, ac voluptatem eis vitalē prębet; & deniq; dolorem ac defectum eximit, & lętitiam ac perfectionem tribuit. Hæc igitur omnia, quę in humano alimento natura insunt, cum ad carnem domini, quæ in sancta Eucharistia editur, ἀναλόγως, id est, proportione scilicet spirituali referimus, facilius ea, quę hic cibus cęlestis in anima efficit; intelligimus. ab hoc enim cibo spiritum, quo viuit anima, haurit. Hic cibus in bello intestino, & domestico natura innato, carnis contra spiritum, & spiritus cōtra carnem vires animę ad superandū suppeditat. contra vero absque cibo isto, spiritus in nobis non elucet; neque se mens vegetam, & acrem præbet ad pugnandum cum gigantibus, vt quidam antiquus pater dixit, qui in mundo sunt, superbia, libidine, auaritia; quin potius otio, languore, desidia & cessatione torpet. hic cibus pulsa lassitudine, spiritua les vires redintegrat in pugna. Vt enim Marcus Anachoreta in libro de Melchisedec scripsit, Sicut Melchisedec redeuntibus ex bello, deuictis quinque Regibus Allophylis, obtulit panem & vinū; sic Christus redeuntibus ex bello spirituali & superato aduersario, dat panem sanctificatum, dicens, Comedite ex eo omnes. Rursus, Sicut Abraam ei, qui panem obtulit, decimas soluit; sic, inquit, qui fidem & obedientiam Abraæ imitātur, & à Christo vero Melchisedec hunc panem vitæ, qui est ipse Christus in sancta Eucharistia accipiunt, quinque sensus exteriores,

riores, & totidem interiores tanquam decimas naturæ nostræ, quæ olim fuerat ab Allophylis, id est, à dæmonibus capta, offerunt. Denique hunc multiplicem vsum cælestis huius alimenti paucis quidem verbis, sed altis sententijs Apostolica doctrina diuine cōplexa est. Sic enim lib. 8. Clem. de cōstitut. Apost. post sumptam Eucharistiam precari præcipit, & docet, vt proficiat scilicet ad salutem animæ & corporis, ad custodiam pietatis, ad remissionem peccatorum, ad vitā sæculi futuri. Huius ergo ligni vitæ, id est, Crucis fructum, qui est Christus crucifixus, qui in sancta Eucharistia efficitur cibus populi Dei tam necessarius ac tam vtilis, cum tantopere diabolus oderit, horreat, pertimescat, quis miretur, si tot hæreses in eum excitauerit; ac tot machinas fallaciarum varijs temporibus diuersis modis adhibuerit? Quin potius, quis non miretur, quòd tam pauci ex antiquis hæreticis, atque adeo illius Apostolicæ ætatis nulli, quod sciam, Eucharistiam penitus sustulerint? id est, ab ea corpus Christi excluserint? Ignatius enim martyr in epist. ad Smirnenses eorum tantum meminit, qui in Eucharistia carnem Christi non passam ponebant; discipulos, credo, dicit Basilidis, qui nō Christum passum, sed pro Christo Simonem Cyrenæum crucifixum esse tradebat. Paulus Samosatensis corpus Christi in Eucharistia esse fatebatur, sed sanguine corruptibili præditum. auctor est Dionysius Alexandrinus, qui eum in epistola illa mirabili, quam B. Hieronymus laudat, & adhuc extat, eruditissime confutat. Manichæi, vt beatus Athanasius testatur, corpus Christi non carneum in Eucharistia fingebant, quale Christus eorum opinione induisset: negabant enim carnem Christi, cū sanguinem eius negabant; siquidem nullius corporis sanguis esse potest, nisi carnis, vt Tertullianus lib. 4. contra Marcionē disputans ait. ob hanc enim causam cum ad sumēdam Eucharistiam inter Christianos dissimulanter accedebant, calicem respuebant, vt ex sermone 4 Leonis primi de Quadragesima perspici potest. istos namque notare pręcipit. Igitur quod aduersarius noster diabolus nullis superiorum temporum hęreticis aperte ante Berengarium suadere potuerat, hoc potuit Berengario; sic aptum eum & idoneum, cuius menti hoc venenum

mortiferũ instillaret, nactus est. Ergo prçter quatuor synodos, quç quatuor Pontificibus ordine succedentibus hanc hæresim & auctorẽ eius damnarũt, quã multi & fere innumerabiles viri docti & graues illius sæculi, & deinceps in hãc hæresim stilo inuecti, verũ corpus dñi in sancta Eucharistia defenderint, ex lib. Garetij cognosci potest, qui ex Bibliothecis vtriusq; Germaniç & Galliç illorũ libros summo studio & diligentia conquisitos, & mira fœlicitate inuẽtos protulit, & eorum testimonia nobis descripsit, & & recitauit. Hac industria, studio, & cura factũ est, vt pestifera ista hæresis tum auctoris sui cõfessione cõuicta, tum Cõciliorum auctoritate damnata & explosa, tum etiã libris infinitis confutata & conuulsa tot sæculis conticesceret, donec ille idem aduersarius diabolus Martinum Lutherum maledictionis filium, quem omni furore, audacia, elatione, libidine & ignorantia ad hæreses tum nouas introducendas, tum veteres reuocandas impleuerat, tentauit, vt ad negandum corpus Christi in sancta Eucharistia eliceret. quod quidem tametsi Lutherus vehementer cupiebat, vt in epist. sua ad Argentinenses spõte fatetur, tamen nunquam ausus est, quia nunquam hoc ei, vt idem testatur, persuadere potuit Carlstadius. Cum enim verbum Dei semper iactaret, & in ore haberet, non audebat tam expressum verbum Dei negare, aut vllo modo eludere, cũ aperte diceret veritas & sapiẽtia, ac virtus Dei, Hoc est corpus meũ. Nactus vero postea est satanas Zuuinglium, & Oecolampadiũ ex disciplina Lutheri profectos, qui panem suum sacramentalem, sic enim isti vocant, qui panis tantum natura est, quo corpus tantũ alitur, figurã corporis Christi facerẽt, & hanc esse dicerent Eucharistiam. Zuuinglius spatio trium annorum quadragies sententiam suam de sacramento Eucharistiæ variauit, vt Ioannes Faber in libro, quem de retractatione Balthazaris Pacimontani composuit, testatur, qui se dicit librum ducentarum paginarum aduersus Zuuinglium scripsisse. Oecolampadius ea ratione negabat panem in corpus Christi mutari posse, qua negabat ingressum Christi ad discipulos ianuis clausis. Narrat enim idem Ioãnes Faber, cum ad disputationem Vualdensem ventum esset, quæreretur que in ea, quomodo Christus

ad discipulos ianuis clausis ingressus fuisset, & id Oecolampadius suo intellectu, inquit Ioannes Faber, quomodo fieri potuisset, non inueniret, patuisse ianuam apertam respondit, & tunc primum, cum Iesus ingressus esset, clausam fuisse. Eodem tempore Ioannes Caluinus mirus artifex fallendi, instinctu diaboli genus sacramentariorum adinuenit, & introduxit, quod specie quidem nouum videretur, re tamen idem & vnum esset. tradebat enim esse corpus Christi per spiritum & efficaciam fidei in Eucharistia, sed corporaliter non esse præsens; in quorũ altero cum Lutheranis, in altero cum Zuuinglianis facere videbatur, vt vtrosque sibi adiungeret. Vnde magna pars Lutheranorum ad Caluinum defecit, si deficere est à satana ad angelũ eius transire. In causa vero est, quòd qui ad Caluini sectam se transferunt, dum credunt esse in Eucharistia corpus Christi pręsens per efficaciam fidei, & non esse re & veritate pręsens, in priore quidem, fidei, cui tantam vim tribuunt, vt quod absens sit, adesse faciat, satisfacere videntur: in posteriore vero, satisfacere iudicio sensus, cui tanquam animales homines & elemẽtis mundi huius affixi, repugnare nolunt. Contra hanc igitur hęresim inter cæteras omnes omnium sęculorum hęreses maxime pestilentem permulti docte & grauiter alius alio melius, sed nõ vno modo scripserunt. alij enim subtiliter & presse acutis rationibus disputant: alij testimonia vetustatis & inferiorũ temporum producunt, & recitant; quod vberrime & copiosissime fecit Garetius: alij aduersariorum argumenta & testimonia tantũ refellũt, quod vno volumine Stephanus Vuintoniẽsis Episcopus neque concise, neque diffuse, sed temperate & erudite executus est. Postremo Reuerendissimus D. Claudius Sanctes Episcopus Ebroicensis, diuturnis vigilijs & lucubrationibus studio scribendi de S. Eucharistia ex voto consecratis, ingens opus in libros decem digestum, ita ex optimis quibusque tum suis, tum alienis miro ingenio & industria ac pari labore compositum nuper emisit, vt nihil reliquerit, quòd vel in aliorum de eadem re libris, qui erant fere infiniti, quęrere opus sit; vel in multiplici rei quęstione desiderari possit. Ego vero aliã rationem scribendi contra eandem hæresim institui, non quidem


 dem

dem ab aliis, qui ante me scripserunt, neglectam, aut vsquequa-
que prętermissam; sed non præcipuo studio susceptam. Ea vero
est, vt auctoritate scripturæ sanctæ ita nostra defendamus, vt ex
defensione ipsa sponte sua sequatur causam aduersariorum
victam esse. idcirco enim solum verbum Dei in hac disputatio-
ne aduersus istos premo, & vrgeo; vt ex verbo Dei, quod solum
hæretici iactant, constet, non esse verbum Dei, quo isti corpus
Christi à sacramento exclusum cęlo includunt. Dei autem ver
bum prius ex noua scriptura in priore, & posteriore tractatu pe
timus; in posteriore vero etiam ex vetere, veterem cum noua
conferentes; & vtramque, vt altera alteri consonet, interpretan
tes, interpretatione locorum altius interdum repetitâ, vt ipsa li
nea interpretationis à principio tanquam perpendiculum du-
ctā ad propositum nobis, dirigat lectorem. Et quando isti huius
quęstionis, immo omnium iudicem esse volūt Dei sermonem,
in singulis locis scripturæ, id quod in altero tractatu studiosius
facimus, cum finita & perorata est cuiusque pertractatio, aduer-
sarios veluti in iudicium vocamus; & sic argumentis sententiā
concludimus, vt quemadmodum eos sermo Dei iudicet, nisi
cœci & surdi esse velint, facile intelligant. Sed hic mihi in mē-
tem venit, cauere a quibusdā, qui non existimant licere vnquā
sententias ex locis scripturæ sanctæ elicere, quas ipsi apud alios
bonos auctores non legerint. in quo quidem, vt quod sentio li
bere dicam, non videntur mihi satis alte & magnifice de altitu
dine scripturæ sanctę existimare, quasi fons sit, qui exhauriri
possit, aut tantū inde hauriri queat, vt metus sit, ne de fæcibus
tandem sit hauriendum, si quis etiam atque etiam haurire per-
gat. quanto magnificentius ille sanctissimus auctor Chrysosto-
mus sentiebat, qui de studio scripturam sanctam perscrutandi
in homilia de oratione Annæ disserēs, Omnia, inquit exhauri-
re non est possibile; fons enim, vnde diuini sensus iugiter ma-
nant, virtus diuina est, quę nunquam deficit, nunquam consu
mitur. Deinde si ii, qui in manibus omniū vulgo feruntur, pro-
bi alioqui auctores, & docti, non sic hunc, aut illum Pauli aut
Petri locum interpretentur, non continuo efficitur, vt nulli, an-
tiqui interpretes sic intellexerint: id enim affirmare, qui pe sti-
mus

mus, cum tam paucos eorum habeamus, & tam multos fuisse in Eusebio & Hieronymo, vt de alijs taceam, legamus? In illud potius volo istos intentos esse, si in primis interpretatio loci cum proposito scripturæ conuenit; deinde cum proprietate verborum, item figurarum & troporum; & quod potissimum est, cum ea, quę à Gręcis ἀκολουθία dicitur, cum scilicet antecedentia & consequentia omnia apte cohęrent; & tanquam filum quoddā à principio vsq; ad exitum ducitur, quod nō finit à proposito aberrare. hęc enim sunt pręcipua signa recte interpretādi, quę is, qui hoc agit, animaduersa & nota habere debet, quę Hadrianus siue Andronicus, non ille Philosophus, sed alius auctor ecclesiasticus, cuius Photius in Bibliotheca sua meminit, & adhuc extat, in Isagoge diuinarum scripturarum, quam composuit, notat. Pręterea cum ad hęc accedit, quod eiusmodi interpretatio ad dogma catholicum proficit defendendum, quis iam dicere audeat, contra consensum Patrum eam esse, quia non sic alij, sed aliter alioqui non male interpretantur? Non enim eò spectat Synodi Tridentinæ decretum, ne quis erret, vt in interpretāda scriptura nihil dicatur, sicut quidam Comicus dixit, quin prius dictum sit: sed ne quid pręterquam quòd à sanctis Apostolis Ecclesię traditum est, doceatur. Ille igitur contra eum sensum, quem tenuit, & tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu & interpretatione, & contra vnanimē consensum Patrum scripturam sacrā audet interpretari, quod totidem verbis Synodus Tridentina decreto suo vetat, qui sensum elicere conatur verę doctrinę, quā Ecclesia profitetur, repugnātē. quod quidē qui minime facit, nequaquā is cōtra normā & legē interpretādi hoc decreto sancitā facere existimādus est. Si quos ergo locos in epistolis Petri & Pauli, quos alij propter obscuritatem aliter expedierunt; nos de sancta Eucharistia, nō sine multa obseruatione & perscrutatione, neque sine vestigijs veterum interpretamur, si id scienter & apte fiat (quod ab alijs est iudicandum) gratulandum potius est, quàm reprehendendum, presertim cum contra eos scribamus, qui, vt in schola Lutheri vnde orti sunt, didicerūt, ne in scripturis sanctis interpretandis laborandum esset, & earum sensus verus, studio & sudore


dore eruendus, non esse eas obscuras tradiderunt: & qui, quod omne scelus & impietatem superat, summum donum sanctæ Eucharistię, quod vt ait diuinus Dionysius, solum est natura sua gratiarum actione dignum; vnde proprie & diuine nomen ei inditum est, quo Deus omnia dona & beneficia in Ecclesiam collata ita cumulauit, vt in eo eorum omnium virtus, commemoratio, confessio & laudatio contineatur, vsqueadeo contempserunt, vt iam sacramentum Eucharistiæ nonnihil esse dicant. Sic enim confessio Ecclesiarum Heluetiæ cap. 21. de cœna docens de sacramentali manducatione, Pręter manducationem, inquit, spiritualem, qui etiam accedit foris ad mensam Domini, accipit visibile corporis & sanguinis domini sacramentum; prius quidem dum credidit fidelis, viuificum alimentum percepit, & ipso fruitur adhuc; sed ideo dum sacramentum quoque accipit, nonnihil accipit. Hactenus confessio ista nefaria. En, quo euasit istorum Eucharistia, verius dicam achariſtia. diuinæ enim Eucharistiæ sacramentum, id est, immensum munus cæleste in nonnihil testimonio confessionis suæ commutauerunt, mercedem erroris sui, sicut Apostolus de alijs in reprobum sensum traditis dixit, in semetipsis recipientes; siquidem gloriam tanti sacramenti, in quo Dominus & Rex gloriæ latet alioqui præsens, in figuram corruptibilem corporis Christi absentis mutauerunt, pro carne Christi viuifica, qua se priuant, panem animæ & corpori pestiferum comedentes. e quorum numero est Andreas quidam cognomēto Volanus Polonus, qui nuper, vt hæresim istā in regno Polonię seminaret, & seminatam propagaret, librū pestilentem, & blasphemum cōtra sanctissimam Eucharistiam vomuit: quem ego priore tractatu, quē ad te Reuer. D. Valeriane mitto, ita cōfuto, vt prius nostra probem, & confirmem: Deinde quæcunq, obiecit, & omnia eius argumenta refello, & redarguo. altero deinde tractatu, quē ad Reuer. D. Giorg. Radibiliū coadiutorē tuū merito etiā mitto, eundem Volanum & omnes eius socios, & hęreticæ Metonymiæ consortes, & defensores persequimur, gladio spiritus, quod est verbum dei Golias istos iugulantes. Sed ut ordiamur iam sacri argumenti tractationem, conuertam me ad Volanum hæreticum, qui occasionem præbuit scribendi.

FRAN-



FRANCISCI TVRRIANI SOCIET. IESV, CONTRA VOLANVM POLONVM CALVINI DISCIPVLVM DE SANCTISSIMA EVCHARISTIA TRACTATVS.

Quomodo et quibus exemplis Metonymia Volani hæretici redarguitur, & quomodo, qua licentia negat proprietatem uerborum Christi in sacramento Eucharistiæ, eadem cogatur negare in sacramento baptismi; aut in utroq; confiteri: & quomodo baptismus, & S. Eucharistia sunt duæ radices nouæ creaturæ secundum Dionysium: & quomodo Dominus cum aliud intelligendum erat, quàm quod dicebat, ut in parabolis, ipse, ne errarent, quibus loquebatur, interpres erat; & quod hoc in sacramento S. Eucharistiæ non fecit, & quare. Cap. I.



SI Tvi solum habenda esset ratio, qui iam diuturna contumacia obduruisse videris, dissimulari poterat, & si cũ dolore, libellus tuus Volane venenatus, & pestifer ad Petrum Scargam de sacramento Eucharistię inscriptus. Sed quia nõ satis tibi esse videbatur, si ad ea priuatim responderes, quæ ad te ille priuatim, & docte, & amice prius scripserat, quin potius libellum edere & peruulgare, ac in manus omnium venire maluisti, & contra omne fas, ac sine vllo pudore Episcopo cum primis catholico, & sectę tuę contestato inimico dicasti, idest pastori lupum pro agno obtulisti, operę pretium mi-

hi uisum est tanquam vni ex numero Ecclesię, publicè respondere. faciet hoc etiam ille, ad quem scripsisti, si è re tua esse iudicabit; nisi iam forte fecit. Ego. n. non, vt nomine eius respondeam, cui alterius opera vicaria nō opus est, contra te scribo; sed quia communis aduersarius cum sis, qui fidem catholicam oppugnas, officium & studium respondendi commune cum eo mihi & omnibus catholicis esse existimaui. Emittet ille, vt spero, & opto, epistolam tuam repugnantijs, & inconstantia plenam, ac librū suum paruum quidem, sed eruditum, & grauem, quo tūc ad epistolam tuam respondit: vt omnes, quos cęlare, immo fallere cogitasti, legere possint. Cur.n.si tuę causę tantopere confidebas, non vnà cum tuis illius argumenta, & testimonia edebas, vt vtroque audito, causam cum causa, ij, quos iudices esse volebas, facile conferre posent? dices fortasse, te iam hoc in libello tuo fecisse: tu ergo iudex, & testis esse volebas? quid.n.aliud est, reum testes aduersarij arbitrio suo interrogare? aut testimonia eorū ita recitare, vt si quid nocet, taceat; si quid sperat posse eludere, id non taceat? & quod aduersarius interim vrget, hoc rursus dissimulet? sed de hoc postea suo loco videro, cum te ad rationes reuocabo. Nunc vero, quia video te in defensione causæ tuæ ita versari, vt totum eius præsidium in metonymia, & figurato sermone constituas, & hoc tanquam propugnaculū, & muros firmos nobis oppositos, & obiectos existimas, necesse est vt arcem istam tuam primum oppugnemus; præsertim cum nescio quæ aucupia, & tendiculas verborum (sic enim loqueris) nobis catholicis in libro tuo temere obiicias. Quis enim tendiculas solicite sectari, vt tu ais, potius existimandus, aut dicendus est, is ne, qui verborum proprietatem sectatur, an qui figuras? tu, si grammatici metonymiam non obseruassent, & te docuissent, causa cecideras. Causam enim tuam tuo iudicio figura defendit: nostram veritas testimonio scripturæ sanctæ, & iudicio Ecclesiæ catholicæ, quæ tot concilijs vos iam olim damnauit. Vnde inter eos es referendus, qui vt

„ beatus Basilius in homilia ix. in examerôn ait, Aquam nō
„ aquam dicunt, sed aliam quandam naturam; & piscem
„ interpretantur, vt eis videtur: & ortum serpentum, ac be-
„ stiarum peruerse ad ea, quæ suspicantur, referunt; sicut
„ coniectores somniorum, quę in somnis viderunt, ad pro-
„ positam sibi rationem interpretantur; ego verò, inquit
„ magnus Basilius, cum fęnum audio, fęnum intelligo, &
„ arborem, & piscem, & bestiam, hęc vt dicta sunt, ita acci-
pio. & beatus Ambrosius hunc locum, vt cętera eiusdem
operis partim vt interpres, partim vt auctor imitatus; Ego
„ inquit, simplices naturas vniuscuiusque generis accipio.
age verò nunc, cur credis domino dicenti, Nisi quis rena-
„ tus fuerit ex aqua, & spiritu sancto, non potest introire in
„ regnum cęlorum? cur inquam, cum aquam hic audis, a-
quam intelligis? & rursum cum dominum audis dicere,
sumpto pane in manus, Hoc est corpus meum, nō credis?
cur, inquam, cum hic corpus similiter audis, non item cor
pus intelligis? rogabo iterum, cur, cum aquam hic audis,
si tantopere tropis delectaris, non sapientiam scripturæ
diuinæ intelligis, sicut scriptum est in sap. Sirach, cap. 15.
Aqua sapientiæ salutaris potabit illum, vt hic nouum ge-
nus baptismi per doctrinā repurgantem instar aquæ pec-
cata introducas? aut non intelligis spiritū sanctum, sicut
ait Ioan. 7. Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina
de ventre eius fluent aquæ viuæ, hoc autem dixit de spiri-
tu sancto, quem accepturi erant credentes in eum: sic
enim ait Es. 44. Effundam aquas super sitientem; & conti-
nuo interpretans illas aquas, effundam, inquit, spiritum
meum super semen tuum. Cur ergo nō audes negare per
metonymiam tuam veram aquā baptismi, sicut Seleucus,
& Hermias Galatæ, quos Aug. & Philaster narrant? fortas
se prohibet, ne de spiritu sancto accipias, quia addidit ex
aqua, & spiritu sancto: at rogabo rursus, cur cum audis
hic spiritum sanctū, nō intelligis nubem? vt in hoc quo-
que sacramento eadē regula vtaris, quā te iactas ex Augu-
stino didicisse? scilicet, vt signū nomen rei, quam propter

De proprietate uerborum in scripturis ex Basilio, & Ambr.

De proprietate uerborum in sacramēto Eucharistiæ collata cum proprietate verborū in sacramento baptismi.

Quomodo baptismus, & Eucharistia radices dicū tur & sunt nouæ creaturæ secundū

Dionysium, qui in eccl. Hier. c. de cõmunione, Ioãnem ait conradicasse theologiam Euangelij sui sacra & diuina anagoge sacramẽtorum. hoc enim dixit quia in euãgelio Ioannis dominus Iesus de baptismo cum Nicodemo, & de sancta Eucharistia cũ discipulis, qui non credebãt, copiose disseruit, & nobis cælestem & diuinã intelligentiam de his duobus sacramẽtis tradidit.

aliquam similitudinem significat, induat. Sic enim scriptũ est ab Apostolo, omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari. Typus, inquit Theodor. hunc locum interpretans, erãt illa nostrarum rerum; mare aquæ baptismi; nubes spiritus sancti; Moyses sacerdotis; virga, qua mare percussum est, crucis; Israel traijciens mare, figura baptizatorum. hæc duo Sacramenta baptismus, & sacra Eucharistia duæ radices sunt nouæ creaturæ, illa ortus, & initij eius: hæc alimenti, neq; enim quod natum est ex Deo, sine diuino alimento viuere potest; nec alimentum capere, quod non cepit ortum. aut igitur proprietatem verborũ in vtroque sacramento serua; aut in neutro. cur enim dominus in vnius institutione aquam cum audiremus, aquã à nobis intelligi voluisset; in alterius vero, cum corpus audiremus, non reuera corpus, sed aliud? idest signum? erat ne hoc eius, qui aiebat discipulis, Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, vt videntes non intelligant? Si enim pertinet ad parabolam, cum non id, quod dicitur, intelligendum est, sed aliud propter similitudinem, vt cum verbum Dei dicitur semen propter similitudinem, quam habet cum semine: pertinebit igitur similiter ad parabolam, si panis dicatur corpus CHRISTI propter similitudinem, cum reuera non sit: vbi ergo dominus interpretatus est discipulis in euangelio, quæ esset hæc parabola? sicut illam de semine interpretatus est? dic tu Volane, si nosti? nunquid Zuinglio, aut Caluino datum est nosse hoc mysterium? & nobis dominus, quasi foris essemus, in parabola tradidit summum omnium sacramentorum, vt videntes non videremus; & audientes audiremus, & non intelligeremus? cur saltem non dixit illud, videte, quid audiatis, quod aliàs fecit, cum loqueretur parabolas? aut illud, qui habet aures audiendi, audiat? vt de spirituali intelligentia admoneret? sane quidem, cum discipuli interrogabant, quæ esset hæc parabola de semine, & dominus edisserens dixit, Est autem hæc parabola, semen est verbum Dei, ipse iam interpreta-

Quomodo dominus, cũ opus fuit, parabolas iterpretatus est, ne errarent audientes.

tus

tus est, non esse reuera semen verbum Dei, sed significatione; perinde enim erat hoc, ac si diceret, semen est verbum Dei significatione, siue, semẽ significat verbum Dei: at in cœna nulli aderant ex ijs, qui foris erant, quibus, vt ait Marcus Euangelista cap. 14. in parabolis loquebatur dominus; neque discipuli interrogarunt: neq; dominus, vt dixi, admonuit, sicut, solebat in parabolis, vt viderent, quid audirẽt: vnde ergo intellexerunt, perinde esse quod dominus tunc dixit, hoc est corpus meum, vt si diceret, hic panis corpus meum significat; & illud ipsum corpus exhibet per fidem, & in spiritu. an facilia hæc erant ad intelligendum, quæ vsque ad Berengarium in quinq; concilijs damnatum, & deinde nostra ætate vsq; ad Oecolampadium, Zuinglium, & Caluinum nemini in mentem venerunt? Sed dicet fortasse Volanus, non opus fuisse, vt dominus interpretaretur; neque rursus, vt admoneret de figura sermonis; sic enim dixisse de pane, hoc est corpus meum, sicut Paulus postea dixit cum imitatus de petra; petra autem erat Christvs.

Quomodo intelligendum sit, quod Apost. ait, Petra autem erat Christus: & quomodo is locus non adiuuet metonymiam Caluini, sed potius refellat; et quomodo Volanus Caluinista ex Christiano se Iudæum sua metonymia facit: et quomodo ex supplicio, quod Deus minatur S. Eucharistiæ contemptoribus, colligitur esse uerum corpus Christi in sacramento; et quomodo id plane Apostolus ibidem dicit: et de loco Pauli ad Hebræos de ueritate corporis Christi in sacramento; et qui sint auctores ex antiquis patribus. Cap. 2.

Sed videamus prius vtrum admonuerit Paulus, quomodo intelligendum esset, Petra autem erat Christvs, quod eò accuratius faciendum est, tum quòd in hoc loco in primis se iactat tuus presbyter, & doctor Bertramus, quem tu sequi voluisti cæcus cæcum, vt pariter cum eo in foueam inferni caderes; tum quod ex loco Pauli à capite repetito planum fiet, vt spero, esse Eucharistiam verum, & viuum Christi corpus. Nolo ergo

Quomodo Paulus admonuit figurate intelligendum esse quod idem dixit, petra autem erat Christus.

" go, inquit, vos ignorare fratres, quoniam patres nostri
" omnes sub nube fuerunt; & omnes mare transierunt: &
" omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari. paulo ante interpretationem Theodoriti apposui, ne eadem
" repetam. Sequitur, Omnes eandem escam spiritualem
" manducauerunt, & omnes eundem potum spiritualem
" biberunt; bibebant autem de spirituali consequente
" eos petra; petra autem erat CHRISTVS. Quia illud vetus Manna, quod pluit dominus de cælo, non erat re, & veritate corpus CHRISTI, sed in ænigmate, & parabola opertam rationem contemplationis habente, vt Dionysius de omnibus typis veteris testamenti in eccles. hier. cap. 4. dicit, idcirco Paulus escam spiritualem vocat: similiter potum illius aquæ, quæ ex petra fluxit, spiritualem appellat, quia in spiritu, idest, secundum mentis intelligentiã, & non, vt secundum sensum extrinsecus apparet, significabat potum sanguinis CHRISTI: & petra item spiritualis eadem ratione vocata est, quia CHRISTVM secundum sensum spiritualem repræsentabat. dixit itaque hic Paulus escam spiritualem, ac petram spiritualẽ, sicut dixit in epist. ad Rom. cap. 7. Scimus autem, quoniam lex spiritualis est. quem locũ interpretans doctus Tertull. libro. 5. contra Marcionem, Si autem, inquit, legem spiritualem confirmat, vtiq; & prophetiam esse; vtiq; & figuratam: debeo enim hic constituere CHRISTVM figurate prædicatum. Similiter dicendum est nunc, Si Paulus Manna escam spiritualem, & potum illius aquæ ex petra, potum spiritualem dicit, vtiq; & prophetiam esse cibi veri, & veri potus: debemus enim CHRISTVM ipsum in illis vmbris escæ, & aquæ, & petræ figurate prædicatum constituere. Sequitur, Sed non in pluribus eorum bene placi-
" tum est Deo, nam prostrati sunt in deserto. hæc autem in
" figura facta sunt nostri, vt non simus concupiscentes ma-
" lorum, sicut & illi concupierunt. Cum dixit, hæc autem in figura facta sunt nostri; & rursus paulopost, hæc omnia in figura cõtingebant illis, illa omnia dicit, quæ paulo ante

te commemorauerat, quæ sunt mare, maris traiectio cum Moyse, & nube; item esca illa spiritualis, & potus aquæ ex petra, & ipsa petra, & supplicium eorum, qui post illa beneficia accepta tam grauiter peccarunt. An non vides Volane, cum Paulus dixit, & quidem bis, hæc in figura contigisse illis, interpretatum esse, petram illam fuisse Christum figurate? ac sic planè accipiendum esse, quod dixit, petra autem erat Christus, vt si diceret, & si non dicit, quia non opus est, petra autem significabat Christum? aliquid ergo simile præmuniendum erat, cum dominus dixit, Hoc est corpus meum, vt cunctus orbis profiteretur, quod vos pauci tenetis. sed quia nihil de figura præceptor noster Iesus præmuniuit, cum audimus, Hoc est corpus meum, profecto corpus intelligimus, ac veram carnem ibi esse credimus. aut dic tu Volane, rationẽ, quare dominus non admonuit, in figura hoc fieri, ne vniuersa ecclesia, quacunq; subter cælum patet, exceptis vobis, errore laberetur, idque in potissimo, & omnium maximo sacramento. Sed redeo ad prosequendum locum Pauli propositum, vt quod paulo ante promisi, præstem; ac primum quidem, interrogabo te hic, & reliquos tuæ sectæ, quomodo fuit illa esca antiquis illis figura nostri, item potus ille aquæ ex petra? sanè quidem responderi aliud non potest præterquam, fuisse veterem illam escam, hoc est Manna de cælo, figuram veræ escæ nostræ, quæ de cælo
„ descendit: Lex enim, inquit Ioannes, per Moysem data est,
„ gratia, & veritas per Iesum Christum facta est. Interrogabo ergo te iterum Volane, quomodo si veram escam vos præsentem re, & veritate nõ habetis, illa tunc vetus esca figura illis vestri fuit? aut si illa vetus esca, idest Manna esca spirirualis erat, quia veram escam, quæ Christus est, figurate prædicabat, & qui illam escam manducabant, Christum tunc futurum iam spiritualiter per fidem manducabant, habebant enim eundem spiritum fidei, sicut scriptũ
„ est in psal. 115. Credidi, propter quod locutus sum, sicut Apost. 1. cor. 4. interpretatus est; Cum vos veram escam, idest,

idest, Christum, cuius illa vetus erat figura, per fidem tantum, ac secundum spiritum, non re, & veritate ore manducatis, quid inter vos, & Iudæos illos interest? aut quid magnificentius, & amplius quàm illi re ipsa præter signũ tantum, quod illi etiam habebãt, in hoc sacramento habetis? sic enim est apud vos Christus in sacramento, tanquam in signo tantum, sicut apud Iudæos in Manna: & sicut ille typus vetus ex Manna, & Christo solum significato constabat, sic tuum sacramentum ex pane, & corpore Christi solum significato constat; & sola fide percipi tradis, quam Iudæi quoque adhibebant. Vide, quemadmodum te cum tuis, quos à Satana decipiendos suscepisti, ex Christiano Iudæum facias, & pro sacramento merum signum re vaçuũ colas. Dices fortasse Volane, hoc tuum panem, idest signũ tantum, ab illo vetere Manna signo item tantum differre, quòd tuus panis cum sua metonymica significatione Christi carnem tibi per fidem exhibet; illis vero antiquis Manna cum sua typica significatione, quanquam eandem fidem, quam nos haberent, exhibere non poterat, quia nondum Christus venerat; ergo hoc saltem concedis, quod vt illis Manna, Manna tantum erat, sic vobis panis in altari verbis domini cõsecratus reipsa panis tantum est: quare vt modo dicebam, tuum sacramentum merum signum est re vacuum, instar Manna Mosaici, quẽ illi cibum leuissimum, siue secundum 70. διάκενον, idest, vacuum dicebant, qualis est vester cibus vacuus re, vt dixi; ita fit, vt secũdum sectam vestram nihil in se plus habeat veritas, quàm in se habebat figura veritatis. Sed pergam ad ea, quæ sequuntur, quia enim erant aliqui, qui facti participes communionis corporis Christi, postea esu idolothyti se polluebant, comparat peccatum, & supplicium illorum, qui contempserant Manna figurã corporis Christi, quod in sacramento manducatur, cum peccato, & supplicio eorum, qui rem ipsam, idest cibum cælestem, cuius Manna fuit figura, contemnebant; vt tanto grauius peccatum, ac supplicium horum esse crederent, quanto res ipsa

Quomodo in sacramento suo Caluinus & discipulus eius Volanus nihil plus habeant quã habuerunt Iudæi in Manna.

De graui supplicio proposito in epist. priore ad Cor. & in epist. ad Hebr. cõtemptoribus ueri corporis Christi in sacramento.

„ ipſa typo illo atque figura vetere præſtat, Neq; murmura-
„ ueritis, inquit, ſicut quidam eorum murmurauerunt, &
„ perierunt ab exterminatore, ſic autem ſcriptum eſt in li-
„ bro Num, de murmuratione iſta, locutuſq; eſt populus
„ contra Deum, & Moyſem, cur eduxiſti nos de Aegypto,
„ vt moreremur in ſolitudine: deeſt nobis panis,& nō ſunt
„ aquæ, & anima noſtra nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo,
„ quamobrem, miſit,inquit, dominus ſerpentes interficien
tes. Quòd ſi Deus tam graui ſupplicio affecit eos, qui panes, quos de cælo, ſicut ait ſcriptura, pluit Deus,qui erant typus, & vmbra panis viui, & veri, contemnebant, quanto ſupplicio digni iudicandi erant,qui ita contemnebant panem verum de cælo,ideſt,verum corpus Chriſti ſub ſpecie panis, vt cum ſcandalo aliorum idolothyto veſcerentur? quod erat fieri participes menſæ dæmoniorum,& idololatriæ? illos ipſos, quibus ſcribit, conſtituit iudices, prudentibus inquit, loquor, vos ipſi iudicate, quod dico. Quæſo te Volane,ſi illud de ſupplicio eorum, qui Manna typum veri, & viuifici noſtri Manna contempſerant, in figura noſtri contigerat illis, & ad correctionem noſtram, ſicut Apoſt. ait, ſcriptum erat,quomodo, quibus hoc ſcribebat Apoſtolus, grauius ſupplicium,vel ipſis iudicibus, pertimeſcendum erat, ſi nihil re vera præter figuram, & ſignum in noſtro cibo altaris erat?at eſſe in hoc ſigno,ideſt ſacramento aliam rem præter quam ſignum, & figuram, nempe veram, & glorioſam carnem Chriſti affirmat illis Apoſtolus; in qua re vt dixi,vel ipſorum teſtimonium, & iudicium requirit; poſtquam enim dixit, vos ipſi iudica-
„ te, quod dico, quærit, Calix benedictionis, cui benedi-
„ cimus,nō ne communicatio ſanguinis eſt? & panis,quem
„ frangimus, non ne participatio corporis domini eſt? non
dixit, non ne communicatio ſanguinis eſt per fidem tantum, & ſecundum ſpiritum? ſed ſimpliciter, communicatio ſanguinis, & participatio corporis domini, vt veram ſumptionem corporis cum ſigno panis, & veram ſanguinis cum ſigno vini intelligamus, & non metonymicam,

ac figuratam, vt Volanus dicit: si quæris Volane, vnde hoc scimus? respondemus, quia dominus, cui credimus, dixit sine parabola loquẽs, sumpto pane in manus, Hoc est corpus meum; & sumpto calice, Hic est sanguis meus noui testamenti. Similiter, & adhuc apertius minatus est grauius supplicium sacrę Eucharistię contemptoribus in epist. ad

Heb. 10.

» Hebr. cum ait, irritam quis faciens legem Moysis, sine vlla miseratione duobus, vel tribus testibus moritur, quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est? de sacramento enim sanguinis Christi interpretatus est Cyrill. Alexand. in 4. libro Pentabybli contra Nestorium; sic enim inscripsit, & beatus Chrysost. ac Theophylactus, & ante hos Dionys. Alex. in epist. contra Paulum Samosatensem. idcirco addidit Apost. in quo sanctificatus est, sanguine enim in cruce effuso redempti sumus: sacramento autem sanguinis testamenti, de quo dominus in illa cœna dixit, Hic est sanguis meus noui testamenti, quotidie sanctificamur; quod magis adhuc declarat Apost. subiungens, & spiritui gratię contumeliam fecerit, non enim dixit gratiæ spiritus contumeliam fecerit, vt quidem dicendum erat, si de gratia, quam spiritus sanctus tribuit, & donum eius est, loqueretur; & non potius de gratia substantiali, idest, de sacra Eucharistia, quæ est αὐτόχαρις, cuius spiritui, idest, diuinitati, quę in hoc sacramento cũ carne vnita est, contumeliã facit, qui indigne manducat, & bibit, non diiudicans corpus, & sanguinem domini: Si non esset in sacramento sanctæ Eucharistiæ verè, & substãtialiter diuinitas vnita cum carne, & sanguine, non dixisset de indigne sumente sacramentum, sanguinem testamenti pollutũ ducere; nõ enim pollutus sanguis duceretur, si in sacramento, quod sumitur, non esset re, & veritate: aut si propter signum tantum, quod ore sumitur, duceretur pollutus ab indigne cõmunicante, saltem nõ magis putandus esset iste, qui indigne bibit, deteriora mereri supplicia, sicut Apost. ait, quam

Interpretatio loci Pauli in Epist. ad Hebr. de ueritate corporis Christi in sacramento auctoribus Dionysio Alexand. Cyrillo Alexand. Chrys. Theophil.

ille

ille, qui Manna Moysis contemnebat; cum æque hoc atq; illud re significata vacuum esset; & vtrumq; signũ tantũ, præsertim cum tu dicas, malos non sumere sacramentũ.

Acuta interpretatio loci Pauli, quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, et eorum quæ sequuntur, auctore Photio: et quomodo intelligendũ sit factos nos esse concorporales in christo, quod Apost. dicit, et de argumento Petri Martyris contra ueritatẽ corporis christi; in sacramento a lege naturę petito, quibus exemplis scripturæ. S. coarguatur: et quomodo quod Aug. dixit in libro. 3. de doctrina christiana de figurata locutione, nisi manducaueritis carnem filij hominis, contra Caluinianos, qui hoc obijciunt, sit ipso Aug. interprete. Cap. 3.

REdeo ad locum epist. ad Cor. quẽ tu Volane in libello tuo vrges, & interpretationem Aug. quam nõ intelligis, producis, sed vt intelligas, modo velis, audi Photij Const. acutissimi interpretis, & infinitæ lectionis „ & eruditionis interpretationem. Quoniam vnus panis, „ vnum corpus multi sumus, demonstratio, inquit Photius, „ est eorum, quæ dixerat prius; vnde enim inquit, manife„ stum fit, quod panis, quem frangimus, participatio corpo„ ris Christi est? hoc est, nos in communionẽ corporis Chri„ sti copulat? vnde inquam hoc patet? nempe. Quia vnum „ corpus sumus, & vocamur omnes, qui cum Christo tan„ quam cum capite communis corporis vnimur. Si ergo nõ „ corpore, & sanguine eius in communionem copulare„ mur, quo alio vnum corpus essemus, & vocaremur? Quo„ niam vnus panis, vnus corpus multi sumus. Quia dixerat, „ panis, quem frangimus, non ne participatio corporis do„ mini est? quod autem participat, aliud videtur esse præter „ id, quod participatur, vult nunc demonstrare, quòd non „ participamus, sed potius ipsum idem vnum corpus Chri„ sti (scilicet in sacramento, quod vnum est) sumus omnes, „ sicut reuera corpus capitis est reliquum corpus. vt enim „ inquit, panis ex multis granis vnus panis efficitur; sic & „ nos, inquit, multi cum simus, vnum corpus Christi effici„ mur; si quidem omnes ex vno pane participamus. Postea

ſubiungit rationem,quomodo efficiamur corpus Chriſti.
„ quid enim inquit, eſt panis? ſanè corpus Chriſti: quid ef-
„ ficiuntur, qui participant? nempe corpus Chriſti. partici-
„ pantes enim corpus Chriſti, & nos illud efficimur, quan-
„ doquidem vnus panis Chriſtus. ad exemplum enim pa-
„ nis, qui ex multis granis fit, nos etiam multi ex ipſo vno
„ pane participantes efficimur vnum corpus Chriſti. quia
„ caro noſtra vetus corrupta fuit à peccato, opus nobis fuit noua carne. hactenus Photius. En quemadmodum ſecundum Apoſtoli ſententiam, niſi corporaliter corpus,& ſanguinem Chriſti participaremus, non poſſemus effici corporaliter vnum corpus Chriſti myſtice per ſacramentum; non eſſemus, inquam, concorporales ei, ſicut Paulus in epiſt. ad Eph. eſſe dicit, quod beatus Cyrill. in comment. Eſa. & in Ioan. lib. xi. cap. 17. per communionem corporalem corporis Chriſti fieri docet. Si enim non corporaliter, ſed ſolum ſpiritualiter, vt vos dicitis, corpus Chriſti participaretur, non debuit Paulus dicere, multi vnum corpus ſumus,ſed vnus ſpiritus:ſiue vnum ſumus ſpiritualiter. cum enim dixit, vnum corpus ſumus, vnum nos eſſe dixit corporaliter, alioqui illud exemplum panis non conueniret, ſicut ex multis granis fit vnus panis, ſic nos multos vnum corpus fieri; ex multis enim granis fit vnus panis corporaliter; quare, & nos multi vnum corpus efficimur corporaliter,hoc autē fieri non poteſt niſi per communionē corporalem vnius corporis. Sed hic tu Volane, quia Apoſtolus hoc loco panem vocat, & identidem repetit,obijcies mihi fortaſſe, quod ego tibi ex Baſilio in figuram tuam obiiciebam,ego cum fænum audio, fænū intelligo, ſic tu,ergo,inquies,cum panem hic audio,panem intelligo. rectè quidem, niſi dominum haberes interpretem. Paulus enim de ſacramento ſanctæ Euch. hic loquitur, vt vos etiam conceditis, quod tunc nobis tradidit dominus, cum dixit ſumpto pane in ſanctas, ac venerabiles manus ſuas, hoc eſt corpus meum, cui tu ſi crederes, vt cuncta Eccleſia catholica credit, conſequens neceſſario

Quod concorporales Chriſti,ſicut apoſt. in epiſt. ad Eph. c. 2. nos factos dicit, fieri nō poſſumus niſi per participationē ſpiritualem ſimul & corporalem corporis Chriſti in ſacramento.

Quare cum panē audimus in euangelio, & Paulo, ubi de ſacramento altaris ſit ſermo, non panem ſed ſpeciem panis neceſſe eſt intelligere.

eſſet, vt cum panem hic in epiſt. Pauli audis, non panem intelligeres, ſed ſpeciem panis cum corpore domini, in quod panis ſubſtantiam, quam in manus accepit, verbo omnipotentiæ ſuæ mutauit. ſed quia non credis, Apoſtolum ais mendacij coargui ab ijs, qui panem eſſe negant in hoc ſacramento: & contra auctoritatem ſcripturæ, & veterum patrum eſſe, quod à nobis de accidentibus ſine ſubiecto hic traditur, violariq; à nobis communis naturæ legem, neq; Auguſtinum taciturum de re hac fuiſſe, id eſt, de qualitatibus ſaluis abſq; corpore, ſi miraculum hoc agnouiſſet. Hactenus nugæ tuæ, qui ex Petro martyre didiciſti argumenta à naturæ legibus contra veritatem corporis in ſancta Euchariſtia petere. Sic enim ille obijcit, in tota ſcriptura nihil reperiri credendũ, ita contrarium ſenſibus, vt experientia ſenſuum affirmet, aliquid eſſe, cuius contrarium doceat fides, vt in tranſubſtantiatione; ſic iſte martyr. in tranſubſtantiatione enim experientia ſenſus affirmat panem eſſe, quod ſenſus corporis percipit, fides tamen noſtra non eſſe panem docet, ſed ſpeciem tãtum. ſed pulchre Stephanus Vintonienſis Epiſcopus ignorantiam magiſtri tui redarguit auctoritate Pauli, cum hortans ad
„ hoſpitalitatem, per hanc, inquit, latuerunt quidam ange-
„ lis hoſpitio receptis, de Lot enim, & Abraam dicit, qui angelos, tanquam eſſent homines, quia ſenſui, corporis homines eſſe videbantur, ad ea inuitarunt, ad quæ ipſi alios homines ſolemus. fidem vero ſcripturæ ſanctæ negaret, qui diceret, non fuiſſe angelos, licet ſpecie hominum apparerent. Sit alius locus ad redarguendam iſtius philoſophiam, & inanem fallaciam in Euangelio
„ Ioan. cum ait, ſurgit à cœna, & ponit veſtimenta ſua, &
„ cum accepiſſet linteum, præcinxit ſe; deinde miſit aquam
„ in peluim, & cœpit lauare pedes diſcipulorum. En Volane, iudicio ſenſus ſeruus eſſe videbatur Ieſus, cum ſpecie tantum, & habitu ſeruus eſſet; fides vero doceret, natura eſſe dominum. Addamus adhuc alium locum ſcripturæ maximè ad id de quo agimus appoſitum, vt illius & tuam philoſo-

Quomodo obiectio Petri martyris ducta ex Philoſophia per inanẽ fallaciã contra accidentia ſine ſubiecto in ſacramento exemplis ſcripturę s. coarguitur.

philoſophiam,& inanem fallaciam amplius adhuc redar guamus,ne per eã alios decipias, ſicut Apoſtolus monet, „ videte, inquiens, ne quis vos decipiat per philoſophiã, &
Coloſſ. 2. „ inanẽ fallaciam, ſecundũ traditionem hominũ ſecundũ „ elemẽta mundi,& non ſecundũ Chriſtũ. titulus ergo pſal. „ 33. hic eſt, Dauidi,cum immutauit vultũ ſuum coram Abi melech, & dimiſit eũ, & abijt. ita Dauid, vt ex lib. 1. Reg. cap. 21. apparet, corã Achis immutauit vultum ſuũ,vt geſtu, & habitu corporis iudicio ſenſus inſanus eſſe videretur, cũ eſſet alioqui ſapientiſs. Cui teſtimoniũ perhibens
Act. 13. „ dixit, inueni Dauid filiũ Ieſſe ſecũdum cor meũ,qui faciet „ omnes voluntates meas. quod multi quærunt,vbi ſcriptũ ſit, eſt autem ſcriptum non totidem verbis, ſed pari ſententia in lib. 2. Re. in principio cap. 7. vt etiã ab antiquis obſeruatũ reperi. itaque quod ſimulabat inſaniã,& ſapiẽtiã tegebat.ſapiẽtiſſimè faciebat.hic igitur fides ſcripturæ ſanctæ planè docet contrarium eius credere, quod ſenſui oculorum apparebat. quod ipſum in hoc ſacramẽto euenire, ipſe idem pſalmus, & interpres eius Auguſt. quem tu iudicem ex pacto, & conuento cum Petro Scarga delegiſti, docent. Aug. enim affirmat, Dauid figurate hic ſacramentum dominicum oſtẽdiſſe, & de Chriſto in immutatione vultus Dauid figurato interpretatur illud,dediſſe carnem ſuam ad manducandum, & ſanguinem ſuum ad bibendũ; quæ res inſania & furor illis videbatur,qui iuxta interpretationẽ verbi Achis(quod ſignificat, quomodo?) aiebãt & ipſi, quomodo poteſt hic dare carnem ſuam admanducandum? hoc quoque ipſe pſalmus conuenienter titulo, eodem Auguſtino interprete, teſtatur; cum enim „ ad illum uerſiculum accedit, guſtate, & videte, quoniam “ „ ſuauis dominus, aperte, inquit, modo de ipſo ſacramen- “ to vult dicere, quod ferebatur in manibus ſuis, guſtate,& “ videte, quoniã ſuauis eſt dominus. Lege Volane vtramq; Aug. concionem in pſ. 33. fortaſſe domino adiuuante cedes Auguſtino; vel ſaltem nunc tandem intelliges, quod in. 3. eius libro de doctrina Chriſtiana non intellexiſti, il-

lam

» lam locutionẽ, niſi, mãducaueritis carnem filij hominis,
» & biberitis eius ſanguinem, nõ habebitis vitam in vobis,
non eſſe figuratam, ſi de manducatione carnis Chriſti in ſacramento accipiatur, vt idem Aug. in hoc pſal. accepit, & accipiendum eſſe docet; ſed ſi intelligatur, vt quidam ex diſcipulis Chriſti male intelligebant, de comedendo ſcilicet carnem eius in ſpecie propria carnis; ſic enim flagitium, & facinus eſt. Immo ex ipſo loco euangelij, niſi te anticipatio erroris excæcaret, intelligere poſſes Volane,
» litigabant ergo inquit, adinuicem Iudæi, quomodo
» poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?
» at dominus docens (ait Photius Conſt. in ſcholijs in Ioan-
» nem) non eſſe impoſſibile, immo neceſſarium, ſubiun-
» git, Amen amen dico vobis, niſi manducaueritis carnem
» filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis
» vitam in vobis. Age nunc, Volane, ſi diſceptarunt Iudæi, quomodo poſſet dominus dare carnem ſuam ad manducandum, & hoc docuit dominus non eſſe impoſſibile, immo neceſſarium, inquiens, Amen amen, conſequẽs neceſſario eſt, vt non hoc reſponderit dominus, ſcilicet, poſſe dare ſe carnem ſuam ad manducandum ſpiritualiter, ac per fidem tantum; hoc enim non cadebat in diſceptationem; nec id mirum viſum eſſet, ne dum impoſſibile: quare neceſſario conſequens eſt, vt de carne ſua vera, & propria verè, & ore ſenſibili in ſacramento manducanda re-
» ſponderit. Sed recitemus Auguſtinum, Quando loqueba
» tur, inquit, dominus noſter Ieſus Chriſtus, de corpore ſuo
» ait, Niſi quis manducauerit carnem meam, & biberit ſan
» guinem meum, nõ habebit in ſe vitã æternam; caro enim
» mea vere eſt eſca, & ſanguis meus verè potus eſt: & diſci-
» puli eius, qui eum ſequebãtur, expauerunt, exhorruerunt
» ſermonem, & non intelligentes putauerunt, neſcio quid
» durum dicere dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, quòd
» carnem eius, quem videbant, manducaturi erant, & ſan-
» guinem bibituri, & non potuerunt tolerare, dicẽtes, quo-
» modo eſt? Audi Volane, cum dicit, putauerunt, quòd carnem

Quomodo, & ubi docuerit Auguſtinus, quando illa locutio, niſi manducaueritis carnem filij hominis &c. figurata ſit & quãdo non ſit.

Quomodo ex diſceptatione Iudæorum, quomodo poſſet dominus dare carnem ſuam ad manducandum neceſſario concludatur, non de ſpirituali manducatione per ſolam fidẽ, ut Caluinus tradit, intelligendum eſſe, ſed de uera & reali per os carnæ noſtræ.

nem eius, quem videbant, manducaturi erant; ideſt in propria ſpecie, in propria enim ſpecie carnis eum videbant; nunc autem non videmus, ſicut beatus Petrus ait de eo,
„ In quem nunc non videntes, creditis. Sequitur deinde, er
„ ror enim, & ignorantia, & ſtultitia erat in perſona Achis.
„ Vbi enim dicitur, quomodo eſt? non intelligitur; vbi au-
„ tem non intelligitur, tenebræ ignorantiæ ſunt, erat ergo
„ in illis regnum ignorantiæ, quaſi rex Achis; ideſt, regnum
„ erroris eis dominabatur. ille autem dicebat, niſi quis man
„ ducauerit carnē meam, & biberit ſanguinem meum, quia
„ mutauerat vultum ſuum, quaſi furor iſte, & inſania videba
„ tur dare carnem ſuam ad manducandum hominibus. Vides Volane, quomodo dominus, interprete tuo, & noſtro Auguſtino, de manducando carnem ſuam vultu immutato, ideſt, in ſacramēto loquebatur? ibi enim vultum ſuum immutat, quia ſub ſpecie panis, & vini ſe dat. meminiſti enim, quod paulo ante dixit idem Aug. Aperte modo de ipſo ſacramento vult dicere, quod ferebatur in manibus
„ ſuis, guſtate, & videte; Et quæ ſequuntur. Sequitur poſtea,
„ Ideo, quaſi inſanus putatus eſt Dauid, quando dixit ipſe
„ Achis, arreptitium hunc mihi adduxiſtis; nonne videtur
„ inſania, manducate carnem meam, & bibite ſanguinem
„ meum, & quicunq; non manducauerit carnem meam, &
„ biberit ſanguinem meum non habebit in ſe vitam? quaſi
„ inſanire videbatur; ſed regi Achis inſanire videbatur,
„ ideſt, ſtultis, & ignorantibus. ideo dimiſit eos, & abijt; fu-
„ git à corde eorum intellectus, ne eum poſſent comprehendere. Hactenus Auguſtinus, qui tecum locutus eſt Volane, & cum Caluinianis tuis: tu enim es Achis iuxta nominis interpretationem, qui dicis, quomodo? quomodo, in quis, accidentia ſine ſubiecto? quomodo leges naturæ violātur? tibi igitur in perſona Achis Auguſtinus inſaniam, furorem, & tenebras ignorantiæ exprobrat; & ideo dimiſit te Ieſus de ſemine Dauid, & à corde tuo fugit intellectus, ne hoc ſacramentū corporis Chriſti, qui vultum ſuū immutauit ſub ſpecie panis, & vini, comprehendere poſ-

ſes,

ſes, quia non credis; ſcriptum eſt enim in Eſaia, Niſi credideritis, non intelligetis. Redi ergo ad eum, qui te dimiſit, & abijt: redi, inquã, vt ad te redeat, quem prior dimiſiſti. Potes ne, Volane, ad ea, quæ hactenus ex Aug. audiſti accommodare iſtam tuam metonymiam, aut adiũctionem corporis ſigno externo per fidem, aut ſpiritum, aut alias huiuſmodi inſanas verborũ formas, quas in ſchola Achis ex Satana didiciſti? reſponde nobis, Volane, quem habes tu, qui in ſacramento tuo immutet vultũ ſuum? an qui eſt extra ſignum tuum, in eo ipſo ſigno immutat vultum? ſi ſub ſpecie vel facie panis tui ſubſtantia tantum panis eſt, quomodo ibi vultum immutat, qui ibi non eſt? ſed hæc paulopoſt adhuc vrgebo: nunc, quia in titulo pſalmi non eſt, quãdo mutauit vultum ſuum coram Achis, ſed corã Abimelech, qui fuit non rex, ſed ſacerdos, qui panes propoſitionis dedit Dauid, cum fugiens Saulem, ſimulauit venire miſſum ſe à Saule cum mandatis, quia hæc quoq; in figura contigerunt omnia, ſicut apoſt. Paul. in epiſt. ad Cor. priore nos admonet, de his quoque dicendum eſt.

Coarguit Volani Caluiniani commentum de ſpirituali cõmunione corporis Chriſti per ſolã fidẽ interpretatione Aug. in titulũ pſal. 33.

Quomodo metonymiam Volani hæretici redarguit titulus pſalmi. 33. et de interpretatione Euſebij Cæſarienſis. quomodo quod Volanus ait, nuſquã apud auctores antiquos legi accidẽtia ſine ſubiecto in ſacramento, falſum eſt: et quomodo Volanus ignorat, quid nomen ſpecies ſignificet latine. et quomodo in hæreſim Pauli Samoſatenſis, et Theodori Mopſueſtiæ incidit Volanus imprudens, et nolens, dum ſuam metonymiam defendit, male Cyprianum interpretando; et de repugnantijs Volani. Cap. 4.

AC primum quidem, ait Euſebius in cõmentarijs ſuis in pſal. eruditiſſimis (interpretabor latine) videri ſibi facinus audax, & temerariũ, pronũciare erratũ eſſe in ſcriptura, & quidem, inquit, graue erratum, vt pro viro alienigena ſacerdos Dei ſuppoſitus fuerit, præſertim cum lectio Hebraica, inquit, & reliqui oẽs interpretes habeant Abimelech. ait deinde, vertiſſe Aquilã titulum pſalmi ſic, ὅτι ἠλλοίωσεν τὸ γεῦμα αὐτοῦ εἰς πρόσωπον Ἀβιμέλεχ, id eſt, Quã

De interpretatione tituli pſa. 33. auctore Euſebio Cæſ. accommodate ad ſacramentum Eucharistię contra Caluinianos.

do immutauit gustum suum coram Abimelech, fortasse, inquit Euseb. immutasse gustum dicitur, quia comedit panes sacerdotales, quos alioqui non licebat nisi solis sacerdotibus comedere. Symmachum, dicit, vertisse, ὁπότε μετεμόρφωσεν τὸν τρόπον αὐτοῦ, Quando modum, siue morem suum transformauit; quia rogatus ab Abimelech Dauid, ad quid veniret, non dixit rē ipsam, quod erat à suo more
„ alienū. Ex his, inquit Eusebius, trāslationibus, & ex trāsla-
„ tione lxx. poteris accōmodare ad historiā Abimelech in-
„ scriptionē psalmi, quæ dicit, immutasse faciē suā Dauid co-
„ ram Abimelech, quia nō nunciauit ei veritatem fugæ suę
„ à Saule, sed potius aliud pro alio dixit, & Abimelech fefellit. Nunc ad rem, si hæc in figura contigerunt, & Dauid, qui faciem immutauit, cum panes propositionis accepit ab Abimelech, figura fuit Christi, sicut panes propositionis figura S. Eucharistię, & illis figuris, quę in lege per Moysem data, fuerunt vmbræ, successit gratia, & veritas; quæ, vt ait Ioannes euangelista, per Iesum Christum facta est; necesse est, verum esse, Christum, cuius figura fuit Dauid, faciem suam immutasse in sacramento Eucharistiæ coram Abimelech, idest, iuxta interpretationē nominis, in regno patris, quod est Ecclesia Christi; immutauit, inquam, faciem, quia, sicut Dauid dicebat, venire se a rege Saule missum, cum tamen non esset, sic Christus dicebat se esse panem è cælo missum, cum alioqui non sic esset panis è cælo, sicut erat Manna: & in sacramento Eucharistię faciem habet panis, & tamen non est panis: ac gustum fallit per speciem panis; Videmur enim gustare substātiam panis, quam tamen nō gustamus, nisi solas qualitates. Cū hac historia de Abimelech, & panibus ꝑpositionis sacerdotalibus, & cum inscriptione psalmi diuinè cōuenit versiculus psalmi, quem Dauid intuens prophetice in sacra-
„ mentum sanctæ Eucharistiæ, dixit, gustate, & videte, quo-
„ niam suauis est dominus; Quem versiculum Dionysius Areop. in ecclesi. hierarc. cap. de communione, de sancta Eucharistia accepit, beatū Petrum in epist. 1. cap. 2. secu-

tus

tus interpretē. Age nunc, Volane, si es tu scriba doctus in regno cælorū, interpretare nobis, quomodo Dauid, qui faciē immutauit corā Abimelech, & comedit panes propositionis, typus erat Christi: & quomodo Christus faciē immutauit, vt aliud pro alio diceret, & ostēderet; nisi quia panē se dicebat, non tamen erat: & panis faciem, siue speciem ostendebat, cum non esset panis, sed corpus verum, & caro vera cū diuinitate vnita. Audebisne dicere ad interpretandum ista, quæ in figura contigisse, confitearis necesse est, aliud pro alio dixisse, idest, corpus pro figura corporis? Si ita interpreteris, fuerunt igitur illi panes propositionis figura figuræ, siue figura signi re, & veritate vacui; atq; ita mendacem facis euangelistam, qui di-
„ xit, lex per Moysem data est, gratia & veritas per Iesum
„ Christum facta est; et Paulum, qui ait, Vmbram habebat
„ lex futurorum bonorum, nō ipsam imaginē rerum. Apostolus enim cum imagine dicit esse rem; tu ex re facis imaginem, & signum. Hoc ne est, esse scribā doctum in regno cælorum, proferentem noua, & vetera, idest, euangelium interpretari, vt consonet legi, & prophetis? & legem, ac prophetas, vt consonent euangelio, sicut apostolica doctrina lib. 2. de constitutionibus apost. præcipit? Disce igitur Volane, & crede, priusquam doceas.

Quomodo titulus psal. 33. cogit Volanum Caluinianū cōfiteri prǽsentiā corporis Christi in sacramento

Sed redeamus ad epist. Pauli ad Cor. vt veniamus iam ad species sine subiecto, quas in sacramento Eucharistiæ negas. ac primum quæro abs te, si, cum panē hic in Apostoli epistola audis, panem omnino intelligis, tametsi erras, cur in euangelio, cum hoc est corpus meum audis, non item corpus intelligis, ne erres? quod si dicis, te, cum corpus audis, signum, & figuram corporis accipere, quia
„ ita legis apud Aug. contra Adim. cap. 12. Non dubitauit
„ dicere, Hoc est corpus meum, cum signum corporis sui
„ daret; Et in præfatione psal. 3. figurā corporis sui discipulis commendauit; accidentia vero panis sine subiecto panis nusquam legis; Quid si legas non solum apud Aug. sed apud alios patres & quidem Augustino anti-

Quomodo probetur species sine subiecto in sacramēto, quas heretici negāt.

Qui ueteres patres testes sīt de specie panis, & uini in sacramento, sine subiecto, idest, sine substātia panis & uini.

quiores, & æquè graues, & celebres? Ex libro igitur sententiarum Prosperi, Nos autem inquit Aug. in specie panis, & vini cum videmus res visibiles, carnem, & sanguinem; honoramus: neque similiter comprehendimus duas has species, quemadmodum ante consecrationē comprehendebamus, cum fideliter fateamur, ante consecrationem esse panem, & vinum, post consecrationem vero carnem Christi, & sanguinem esse, quod benedictio consecrauit: Tu, Volane, nihil hic interesse putas inter species panis, & vini, & panem, ac vinum: miror profecto, virum latinitatis nō ignarum, & cuius oratio speciem quandam elegantię interdum habere videtur, non didicisse; aut obseruasse, significare frequentissimè speciē figuram, & faciem, & quā verbo non tā latino quàm trito vocare solemus apparentiā veritati oppositam; vt cùm Cicero in libro de Nat. Deor. 2. ait, Veritas auspiciorū spreta est, species tantū retenta: sed nō opus est exemplis, peruulgatum est hoc verbi hui⁹ significatū, similiter vt in Gręco εἶδος, quod verbū frequenter quoq; id quod extrinsecus apparet, significat. putabas ne Augustinū temere variasse verbū, vt post consecrationē bis species panis, & vini diceret; & ante cōsecrationē panem, & vinum? minimè Volane, non temere variauit, sed necessaria ratione; vt te doceret, post consecrationē similitudinem tātum panis, & vini saluā esse; cum ante consecrationē, panis, & vinum essent: ex quo continuo sequebatur, debere esse nos simul admonitos, vt, cum panem, & vinū post consecrationē legeremus, siue in scripturis sanctis, siue in scriptis veterū patrum, species panis, & vini intelligeremus. Sed producamus alium testē ad species, panis, & vini, idest, solas qualitates sine natura panis, & vini, post consecrationem probandas, sit is Cyprianus, quē tu Volane, quàm bellę interpreteris, mox videbimus; Panis iste, inquit, quē dominus apostolis porrigebat, nō effigie, sed natura mutatus, omnipotētia verbi factus est caro: Effigiem panis vocat, quam Augustinus in sentētijs suis ex libro Prosperi paulo ante vocabat speciem panis,

Species panis.


Effigies panis.

quæ

quę in sacramento sanctæ Eucharistię salua remanet, mutata natura, idest, substantia panis: in dogmatibus enim ecclesiasticis, vt ait magnus Basilius in epist. ad Amphilochium, idem est natura, & substantia. Idē obseruauit Anastasius Antiochenus in libro, quem, appellauit ὁδηγὸν, cū definitiones quorumdam verborū ecclesiasticorū tractat, ac citata epistola Basilij, notationem hanc apposuit; cum
„ inquit pater Basilius in dogmatibus ecclesiasticis, signifi-
„ cauit, in dogmatibus philosophorum non esse idem. Se-
„ quitur in Cypriano, &, sicut in persona Christi latebat di-
„ uinitas, ita in sacramēto visibili ineffabiliter diuina se in-
„ fudit essentia: Ex his Cypriani verbis concludebat Petrus Scarga, vt tu in libello tuo narras, substantiā panis in substantiā corporis Christi mutari; concludebat ille quidem rectè, ac necessario; sed videamus, quomodo tu occurras argumento conclusę transubstantiationis (vtendū est hoc verbo iam in ecclesia catholica Latinorū trito) sic enim
„ ais, Sed similitudo, quam Cyprianus affert, ad rem illu-
„ strandam, rite expensa, diuersum clamitat: dicit enim, si-
„ cut in persona Christi sola humanitas videbatur, diuini-
„ tate inuisibili, & vere tamen illi assistente, ita sacramenta,
„ siue externa signa, sola quidem videntur, ipsa tamen di-
„ uinitas, hoc est, verum corpus Christi, quamuis inuisibi-
„ le, signis ipsis cohęret, dum verè ad manducandum nobis exhibetur. Hactenus Volanus; dum dogma tuum peruersum vis defendere, non intelligēs quid loquaris, neq; de quo affirmes (vt de aliis tui similibus Apost. ait) in hęresim Pauli Samosatensis, & Theodori Mopsuestię nesciens ruis; cum inuisibilē diuinitatem personę Christi assistentem dicis, sicq; Corpus Christi sacramēto Eucharistiæ cohęrere. Paulus Samosatensis Episcopus Antiochię in Syria, eiusdem ętatis cum Manete, Christum hominem tantum, esse aiebat, & in eo verbum habitasse, vt in quouis propheta, esseq; in Christo duas naturas diuisas; ita, vt alius esset Christus, aliud verbum, vnde orti Monophysitę, & Dyphysitę. Theodorus Mopsuestiæ Cilix, Christum aiebat

Quod in dogmatibus ecclesiasticis idem sit natura & substātia, notatum á Basilio & Anastasio Antiocheno.

Quomodo Volanus, dū secundum Caluini sectam figurā suā, in Sacramento Eucharistiæ defendit, ad heresim Pauli Samosatēsis, & Theo



dori Mopſueſtię̄ ſis delabitur imprudens.

aiebat eſſe hominē, in quo deus habitaret κατὰ τὴν εὐδοκίαν, communicatamq; eſſe cum eo diuinam dignitatē, & adorationem: itaq; duas in eo naturas ſola habitudine beneplaciti; & dignitatis, inter ſe coagmentatas ponebat. Dogma vero catholicum eſt duas naturas in Chriſto eſſe, vnione hypoſtatica ſubſtantialiter vnitas, & non ſecundum aliquam habitudinem, qualis eſt iſta tua aſſiſtentia diuinitatis in Chriſto, cui ſimilem facis cohærentiam corporis Chriſti, quod extra ſacramentum ponis. Quare, ſi te à lapſu, & quidē periculoſiſſimo iam nunc reuocas, & nō vis eſſe Paulianiſta, aut Mopſueſtienſis, aliter accipienda tibi eſt Cypriani ſimilitudo; ſcilicet, vt ſicut in perſona Chriſti latebat diuinitas, latebat autem vnita cū carne vnione hypoſtatica, ſubſtātiali, & non σχετικῇ ideſt, non habente rationem habitudinis, vt habet qui aſſiſtit cum eo, cui aſſiſtit; ita ait Cyprianus, Sacramento viſibili ineffabiliter diuina ſe infudit eſſentia; ideſt, ita in uiſibili ſacramento diuina eſſentia latet, ſcilicet vnita cum carne, de qua idem Cyprianus proxime dixerat, Non effigie, ſed natura mutatus panis, omnipotentia verbi factus eſt caro. Neſcio, an ſis tam hebes, & tardus, vt non intelligas, hoc velle Cyprianum; an tam malitioſus, vt, quod intelligis, diſſimules. Sed non contentus, pergis interpretationem ſimilitudinis, errore alio cumulare, cum ais, Se-
» quitur ergo, ſicut in Chriſto ſunt duę naturæ integræ, vna
» quidem viſibilis, altera inuiſibilis, ita & in ſacramento
» duæ ſunt, vna externa, nempe viſibile elementum; altera
» cæleſtis, & inuiſibilis, nempe corpus Chriſti. Quæro abs te, Volane, ſi duæ naturæ integræ in Chriſto ſunt vnitæ, & quidem vnione hypoſtatica, & ſubſtantiali, vt modo dicebam, quod neceſſe eſt, confitearis, & non eſt corpus Chriſti, in quo ſunt iſtæ duæ naturæ humanitas, & diuinitas vnitæ, in ſacramento, quod videtur, ſicut humanitas Chriſti videbatur, quæ iſta ſimilitudo, quam ex Cypriano colligis, ſacramenti, & perſonæ Chriſti? tu corpus Chriſti extra ſacramentum ponis, quam igitur ſimilitudinem cū

Chriſto

Christo relinquis? ſentisne, quàm ſint iſta abſurda, & ra-
tioni repugnantia? Deinde, illud Cypriani de pane nō ef-
figie,ſed natura mutato,ſic interpretaris,Mutatur,inquis,
" natura ſua,ſiue conditione, vt ſublimiorē acquirat digni-
" tatem, ideſt,vt fiat corporis Chriſti ſacramentum. At quo
" modo mutatur natura panis, ſi remanet ſalua eadē natu-
ra, quæ prius erat, ideſt, ſi remanet panis? acquirere enim
dignitatem non eſt mutare naturā, ſed ornare eam : quid
ergo hoc monſtri eſt, mutari naturā ſalua natura? aut ſal-
uam eſſe naturam, & mutatam? ſi Oedipus es, interpreta-
re ſphingem.Si ſingulas libelli tui repugnantias & abſur
ditates perſequi vellem, ingens volumen conficiendum
eſſet. Adiungamus iam tertium teſtem de ſpecie panis,&
vini ſine ſubſtantia : Cyrillus Hieroſolymitanus in 4. ca-
thechesi myſtagogica, In typo, inquit, panis datur tibi Figura panis.
" corpus Chriſti, & in typo vini datur ſanguis, vt participa-
" to corpore, & ſanguine Chriſti fias σύσσωμος, καὶ σύναιμος
" Chriſti, ideſt, concorporalis, & conſanguis Chriſti; Non
" dixit,in pane datur tibi corpus Chriſti,& in vino ſanguis,
ſed, in typo,ſiue figura panis,& in typo vini; typum enim
panis,& typū vini vocat quam Cyprianus effigiē, Auguſt.
ac nos ſpecies panis,& vini vocamus. Vt fias, inquit, con-
corporalis, & conſanguis Chriſti; Ergo, qui non partici-
pat Chriſtum corporaliter in ſacramento, ideſt, in typo,
ſiue ſpecie, & effigie panis,non efficitur concorporalis, &
cōſanguis Chriſti,& paulo poſt, ὁ φαινόμενος ἄρτος οὐκ ἄρτος
ἐστὶν ἀλλὰ σῶμα χριστοῦ, ideſt,qui habet ſpeciem panis(hanc
vulgo vocant apparentiam) non eſt panis, inquit, ſed cor
pus Chriſti. τὸν φαινόμενον ἄρτον vocat,quem paulo ante vo-
cauerat typum, ſiue figurā panis. Sic quoq; Macarius Ae-
gyptius in homilia 27. καὶ μεταλαμβάνοντες ἐκ τοῦ φαινομένου
ἄρτου, πνευματικῶς τὴν σάρκα τοῦ κυρίου ἐσθίουσι, ideſt qui ſum
munt de eo, qui videtur eſſe panis, carnem Chriſti come-
dunt ſpiritualiter,ideſt,inuiſibiliter, πνευματικῶς enim di-
xit pro eo,quod eſt, ἀοράτως, quia ſolum ſpecies panis ap-
paret. habes igitur in teſtimonio Cyrilli Hieroſolymita-
ni teſti-

ni testimoniũ ecclesię Hierosolymitanæ, cui præfuit, quę sic accepit per prædicationem apostolicæ traditionis, scilicet, in sacramento corporis, & sanguinis Christi non panem, & vinum, sed figuram panis, & vini esse: idem acceperunt reliquę totius mundi ecclesię, egressa inde apostolica prędicatione, sicut scriptum est in Esaia propheta, ex Sion exibit lex, & verbum domini de Hierusalem. Itẽ Cyrillus Alexandr. in homilia de cæna dominica & lauatione pedum, τὸ ἑαυτοῦ σῶμα ὡς ἄρτον διανέμει, καὶ τὸ ζωοποιὸν ἑαυτοῦ αἷμα ὡς οἶνον ἐπιδίδωσιν, corpus, inquit, suum distribuit, ὡς ἄρτον, idest veluti panem; nemo ignorat, qui Gręcè norit, significare hic similitudinem ὡς, in similitudine igitur panis, & vini, corpus & sanguinem dedit, ait Cyrill. Alexand. Habes igitur testes veteres patres, & in eis ecclesiam Hierosolymitanã, Hipponensem, & Charthaginiensem, atque Alexandrinam; siquidem, vt ait beatus Cyprianus, in ecclesia est episcopus, & in episcopo ecclesia, qui tibi testantur, dari corpus in sacramento in figura panis. Cita tu vnum auctoritate, antiquitate, & doctrina ac sanctitate istis parem, qui dicat, dari in substantia panis.

Is. 2.

Similitu do panis.

De testimonio ecclesiæ Hierosoly. Alexãdrinę, Hipponẽsis, & Chartaginiẽsis in Episcopis suis, quod Christi corpus sit in sacramẽto Eucharistiæ sub figura panis.

Quomodo Volanus Philosophia contra veritatem corporis Christi in sacramento vtitur, & quid Hilarius, & Tertullianus de Philosophis scripserint: & quomodo traditio apostolica ecclesiæ catholicæ leges naturæ, & philosophiæ definitiones nõ sequitur in diuinis mysterijs Eucharistiæ; & de anathemate decreto in Concilio Florentino contra eos, qui secundũ philosophos contra dogmata ecclesiastica disputant, et docẽt.

Cap. 5.

SED hic ais sine vllo pudore, nos contra ipsum naturæ ordinem sophistice, & impudenter garrire, & communis naturę legem violare; Natura enim rerum, ita inquis, fert à domino ordinata, vt accidentia sine subiecto vi sua consistere non possint; &, si auferantur substantiæ, ipsa quoque accidentia deperire, & in nihilum redigi oporteat: Hanc querelam, & accusationem affert Volanus, melior naturæ patronus, quàm scripturę. Sed contra te, &

Quomodo sit Volanus secundũ Caluini sectam patronus naturæ contra scripturam.

te,& tui similes admonuit Paulus in epist. ad Colofs. cap.
„ 2. Videte,inquiens, ne quis vos decipiat per philosophiã,
„ & inanem fallaciam secundum traditionem hominum,
„ secundum elementa mundi,& non secundum Christum;
„ quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis cor-
„ poraliter. Hunc locum interpretãs beatus Hilar. in lib. 1.
„ de Trinitate,captiosas,inquit, & inanes philosophiæ quę-
„ stiones respuit fides constans, nec humanarum ineptiarũ
„ fallaciis succumbens, spolium se præbet veritas falsitati,
„ non secũdum sensum communis intelligentiæ Deum re-
„ tinens, neque de Christo secundum mundi elementa de-
„ cernens, in quo plenitudo diuinitatis corporaliter inha-
bitat;Hactenus Hilar. Hoc igitur tu Volane conaris, cum
naturæ ordinem, & leges opponis, vt per philosophiam
fidem constantẽ de corpore, & sanguine Christi sub spe-
cie panis, & vini apud simplices de vulgo labefactes. Di-
sce ergo Volane ex Tertulliano incredibilis eruditionis
auctore, esse philosophos Patriarchas hæreticorum; & in
„ libro de Præscrip. hæret. plerasq; hæreses ex philosophia,
„ ait, duxisse ortum; Inde, inquit, Aeones, & formæ nescio
„ quæ, & trinitas hominis apud Valentinum: hic Platoni-
„ cus fuit; Marcion Stoicus, qui Deũ introducebat de tran-
„ quillitate meliorem;interire animam,ab Epicureis venit;
„ negari resurrectionem, ab vna omnium philosophorum
„ schola; materiam cum Deo ęquari, Zenonis fuit discipli-
„ na; Deum ponere ignem,Heracliti: eędem, inquit, mate-
„ riæ apud hæreticos,& philosophos volutantur: Hactenus
Tert. Non accusamus Volane philosophiam, quæ Dei
donum est; & non mediocre adiumentum pietati afferre
potest, siquis ea rectè, & sobrie vtatur; sed illam, quam tu
adhibes tanquam ministram,ad tollendum fidem muta-
tionis substantiæ panis in corpus & sanguinem Christi,
saluis qualitatibus sensibilibus tantum panis,& vini;idq;
ne contra ordinem, & legem naturæ, vt tu ais, accidentia
fine subiecto reperiantur; nullum enim miraculũ hic pa-
„ teris. Sic enim scribis, Quod, si Aug. in sacramento Eu-

Quid de philosophis Hilarius & Tertullianus cõtra hereticos admonuerint: quod ad Volanũ Caluini sectatorẽ, & patronũ elementorum pertinet.

charistiæ naturæ cursum immutari sentiret, & hic saltem miraculo locũ concederet, procul dubio rem tam stupendam silentio non præteriret; & a perpetua naturæ legẽ hoc saltem miraculum, quod in sacramento effecit dominus, exciperet: Hæc tu. Audi nunc Anastasium Antiochenum, quem paulo ante memini: Ante omnia, inquit, scire oportet, quòd traditio catholicæ ecclesiæ nõ sequitur vsquequaque definitiones Gentilium philosophorum; nec in eis insistit, ac maximè in mysterio Christi, & in doctrina de Trinitate; quin potius in propria quadam euangelica doctrina, & apostolica regula Deum decẽte insistit: Supra naturales enim definitiones, & leges est mysterium diuinitatis; quod quidem hæretici cum non distinguerent, sed potius communibus notionibus, & physicis rationibus de Deo docerent, ad errores prolapsi sunt; idcirco aiebat Paulus, nõ se in persuasibilibus sapientiæ huius sæculi verbis Christum prædicare; quoniam stultitia est apud Deũ circularis philosophia. Prima itaq; huius sentẽtia est, quę natura sunt sibi contraria, fieri non posse, vt in vnum conueniant; vt ignis non potest cum fœno copulari, quin fœnum intereat: At qui prima salutis nostræ sententia primam sententiam philosophorum euertit, cum prædicat, virginitatis cum partu, & ignis diuini cum carne contraria copulationem: Hactenus Anastasius. Super sedeo reliquis Anastasij exemplis, ne longa fiant, quæ sunt perspicua: tu vero Volane, si nõ pateris in ecclesiastico dogmate leges naturæ violari, cur ista, quæ modo dixi, credis? aut quid tum, si nusquam diceret tibi scriptura, miraculum esse Deum fieri hominem? nã de partu virginis, scis quod in Esaia scriptum est, Propter hoc dabit vobis dominus ipse signum, ecce virgo concipiet, & pariet filium. An nõ satis dicit scriptura miraculum esse, vbi res ipsa loquitur? Sic nunc mutato pane, & vino in corpus, & sanguinem Christi, vt ecclesia catholica secundum verbum domini credit, saluis interim qualitatibus panis, & vini, quas sensus percipit, si res ipsa clamat, miraculum esse in istis acci-

De dogmatibus ecclesiasticis supra naturales philosophorum definitiones.

dentibus

dentibus sine subiecto, quid testimonium Augustini requiris? vt si non exceperit, vt tu ais, à perpetua naturæ lege hoc miraculū, cōtinuo id neges, idque, vt saluæ sint leges naturæ, quas fidei tanti sacramenti anteponis. Sed interim Volane, ne ignores, scias ad te, & tui similes philophysicos pertinere anathemata ix, quæ in Ioannē Italum philosophum multa secundum philosophos contra ecclesiastica dogmata docentem, in concilio Florentino ex ecclesia Græcorum & Latinorū cōgregato, decreta sunt, ex quibus sextum est, recitabo enim totidem verbis; iis, inquit, qui fide pura, & simplici, ac toto corde miracula stupenda Saluatoris nostri, ac matris Dei, quæ eum incorrupte peperit, ac reliquorum sanctorum non recipiunt, sed potius argumentis, & sophisticis rationibus conantur, tāquā impossibilia criminari, aut, vt ipsis videtur, male interpretari, anathema. Ex istorū numero est Volanus, qui sophistica ratione conatur fidē euertere de mutatione naturæ panis, & vini in corpus, & sanguinēChristi saluis accidētibus, quia Augu. inquit, Tolle ipsa corpora; qualitatibus corporū nō erit, vbi sint: & ideo necesse est, vt nō sint. At de vi naturæ hoc tradit Aug. nō de potestate auctoris naturę: de elemētis mūdi decernit, non de dogmatibus ecclesiast.

De anathemate decreto in Cōcilio Florētino contra Ioānem Italum, multa secundnm philosophos ad uersus dogmata ecclesiastica docētē, ad Caluinū, & sectatorem eius Volanum pertinente.

Quomodo ex euangelio Ioannis colligitur, miraculum esse in S. Eucharistia, quod Volanus negat: & quomodo dominus duobus miraculis in Euangelio Ioannis narratis mutationis aquæ in vinum, & multiplicationis panum fidē miraculi, quod in S. Eucharistia fit, præmunierit, & quid dominus dixerit in nuptijs illis Canæ Galilææ, intuens in miraculum gloriosæ mutationis panis in corpus Christi, & in nuptias mysticas, in quibus per communionem corporis Christi summa vnione cum Christo vnimur carne, & spiritu, & de ijs, quæ Ioannes euangelista ante lauationem pedum, & post cœnam mysticam scribit ad sacramentū S. Eucharistię pertinentia: & quomodo inde volanus cum metonymia sua redarguitur: & de ratione institutionis huius sacramenti ex Dionysio, & lauationis summorum digitorum sacerdotis cum S. Eucharistiam consecraturus est. *Cap. VI.*

SEd quia cupis fortasse odorari aliquid de hoc miraculo, videamus num quod vestigium sit in euangelio. Ac primum

Quomodo ex euangelio colligitur, in eo,

quod dominus dicebat de danda carne sua ad mãducandum, miraculũ esse, quod Volanus negat.

primum quidẽ illud occurit, quod dominus dixit ijs, qui post miraculũ illud in panibus & piscib' pridie eius diei æditũ, eũ quęrebant, Amen amen dico vobis, quæritis me, non quia vidistis signa (miracula vocat signa) sed quia mãducastis ex panibus, & saturati estis: operamini non cibũ, qui perit, sed qui permanet in vitam æternã, quẽ filius hominis dabit vobis. En Volane, illud miraculum in panibus, & piscibus ad alendum corpus, & explendã famẽ ędi tum cõparat cum alio longe maiore, multoq; magis stupendo miraculo, quod promittit, dandi cibũ, qui non perit, idest, qui nõ vadit in ventrẽ, nec in secessum emittitur; vt de cibis terrenis dixit dominus in euãgelio Matth. sed qui permanet, inquit, in vitam æternam. hic cibus est, de quo dixit postea, Accipite, & manducate, hoc est enim corpus meum, Quod in hoc loco euãgelij Ioannis daturum se promittit, inquiens, Quem filius hominis dabit vobis: Probat autem, posse facere, quod promittit, quia sit Deus Dei filius, hoc enim significat, quod subiungit, Hũc enim pater signauit Deus; Dixerat enim supra, sicut pater haberet vitam in semetipso, ita dedisse habendam filio: signauit enim, ait Hilarius lib. viii. de Trinit. hunc locum interpretans, per sacramentum natiuitatis eiusdem naturæ vnitatem. hæc est enim, inquit, natura sigillorum, vt omnem in se impressæ speciei exprimant formam: Immo hunc sensum, ait idem Hilar. accepisse Paulum, cum dixit, qui cum in forma Dei esset, & quæ sequuntur in epist. ad Philip. eodem pertinet, quod dixit de eodem filio, cum sit splendor, & character, siue figura substantiæ eius, hunc characterem pater signauit secundum euangelium. Ergo quia miraculum, & quidem longè illo in panibus facto maius promittebat, necesse erat, de omnipotentia sua admonere, nè dubitarent, quibus promittebat: quare si miraculũ est, cur Volane de mutatione panis in corpus Christi specie sine subiecto salua dubitas? Rursus quia illi miraculum de Manna, quod pluit, Moysi assignabant, dominus autem aliud maius miraculum promittebat de cor-

pore suo vero Manna ad manducandum dando, dicit,nō
Moysem,sed potius se miraculum illud de Manna ędidis-
se. Sic enim aiebant, cū cuperent elicere à domino aliud
simile miraculum,vt illud, quod pridie illius diei in pani-
» bus,& piscibus fecerat, Quod ergo tu, signum facis, vt vi-
» deamus, & credamus tibi? quid operaris? patres nostri
» manducauerunt Manna in deserto, sicut scriptum est,pa-
» nē de cęlo dedit eis manducare;dixit ergo eis Iesus,amen
„ amen dico vobis, nō Moyses dedit vobis panem de cęlo,
sed pater meus dat vobis panem de cęlo verum; proxime
vero dixerat, filium hominis, quem pater signauit Deum,
idest, filium hominis, & Dei, hominem inquam,& Deum
daturum panem, qui non periret, sed permaneret in vitā
„ ęternam; & paulo post,patres vestri mãducauerunt Man-
„ na in deserto, & mortui sunt; hic est panis de cęlo descen
dens, vt siquis ex ipso manducauerit, non moriatur; ergo
cum miraculo de Manna, quod pluit, rursus comparat
aliud infinito interuallo excellentius,scilicet de vero cor-
„ pore suo dando ad manducandum, illud enim Manna
„ non pręb ebat,ait Photius in scholiis in Ioannem,ξένην τι-
„ νὰ χρείαν. idest,vsum aliquem inusitatū,at hic panis,inquit
„ non sinit mori. addidit vero in deserto, vt doceret,ait idē
Photius, non esse hunc qualis erat ille cibus, qui in terrā
promissionis non est introductus, neque diu durauit; at
hic cibus,inquit, ęternus est,quo qui nutriuntur,in patriā
„ cęlestem admittuntur. Si igitur miraculum est,& quidem
„ quod omnem admirationem superat, in sacramento al-
taris, vt ex comparatione eius cū Manna perspicitur, cur
de specieb⁹ sine subiecto ambigis? & ad naturę leges pro-
uocas? Sin vero panis tantū est in sacramento, quid istud
miraculi est, quod in eo ponis secundum euangelium?
aut quomodo cum illo in panibus,& piscibus ędito,& cū
Manna e cælo tanquam maius miraculum cum minore
comparas, si salua est panis substantia cum sua specie,ne-
que quicquam aliud ibi est præter merum panem? illud
enim quod fingis manducare non ore, sed spiritu, & quæ

Quomodo miraculum carnis Christi in sacramēto cum aliis miraculis in euangelio cōferatur.

erant, vt tu ais, ſimplicia, & profana elementa, accedente verbo Dei fieri ſacramenta, ideſt, rerum ſacrarum ſigna, quid miraculi eſt? quis ordo naturæ in ea re mutatur? potes enim videri tibi capere cibum ore, cũ minime capias, ſicut qui ſomniant, & potes facere, quaſcunq; res volueris, eſſe tibi aliarum rerum etiam ſacrarum ſigna: immo potius ludificatio eſt, non manducantes corpus Chriſti corporaliter, ſed tantum per fidem ſecundum ſpiritum, concorporales tamen ei effici ſicut Apoſt. in epiſt. ad Eph. ait. in tuo igitur ſacramento non miraculum, ſed ſomnium, & ludificatio eſt: in noſtro miraculũ ingens panis in corpus Chriſti ſola verbi ſui virtute mutati non ad alendum carnem, ſed ad paſcendum, & roborandum animas ſaluis interim qualitatibus ſiue accidentibus panis, & vini.

Quomodo in ſacramento Volani ſecundum ſectam Caluini nõ miraculum, ſed ludificatio ſit.

Sed premamus adhuc contra iſtum euangelium Ioannis, qui cum ſcripturus eſſet, quæ dominus ſexto capite prolixe diſſeruit de corpore ſuo edendo, & ſanguine bibendo, in quæ panis, & vinum myſtica benedictione ſacerdotali vertuntur, duo miracula ad præfulciendam fidem huius ſacramenti, & miraculi, quod in eo fit, accommodatiſſima prius diuino artificio deſcripſit, alterum eſt de aqua in vinũ mutata in Cana Galilææ in nuptiis, de quo miraculo dixit euangeliſta, hoc fecit initium ſignorum Ieſus in Cana Galilçæ, & manifeſtauit gloriã ſuam, & crediderunt in eum; quod vero hoc miraculum ad præmuniendam fidẽ illius ſummi miraculi conuertendi vinum in ſanguinem Chriſti ad bibendum illum ſub ſpecie vini pertineret, admonuit dominus licet obſcure more ſcripturæ ſanctæ, vt ſtudiũ inquirendi, & intelligendi excitaret, cũ matri miraculum vini in nuptiis deſideranti reſpondit; Quid mi„ hi & tibi mulier? non dum venit hora mea. ſignificabat „ enim, cum veniret hora ſua, ideſt, cum mors inſtaret, hoc enim ſignificat in euangelio venire horam, vt cum dixit, venit hora, clarifica filium tuum, vt annotauit Baſilius Seleuciæ in explanatione hebdomadum Danielis, ſignificabat inquam, cum mors inſtaret, in alio excellentiore conuiuio

De duobus miraculis à Ioãne euangeliſta deſcriptis ante miraculũ conuerſionis panis, & uini in carnem, & ſanguinem Chriſti ad præfulciendam fidem ſacramẽti.

Interpretatio illius loci in euang. Ioã. Quid

uiuio nuptiali,& præstantiore zelo,zelum enim significat Cana, daturum se aliud vinum præstantius, mysticum scilicet,hoc est sanguinem suum in specie vini;quo vino magis opus esset hominibus,quàm illo, quod mater tunc requirebat, & desiderabat; & in quo maior gloria domini appareret; quid enim inquit,mihi,& tibi mulier?quasi diceret, quid me, aut te de vino isto materiali, quod in his nuptiis carnalibus desideratur, solicitos esse oportet?non dũ venit hora mea: idest, veniet tẽpus mortis meæ, cũ huiusmodi vinum, quale hic desideratur,conuertã in vinum mysticũ ad celebrandas nuptias spirituales, ad copulandum, inquam, in ecclesia summa copulatione hominem cum Christo. hanc enim summam vnionem significabat dominus, cum disserens paulopost de hoc sacramento, aiebat,Qui manducat meam carnem;& bibit meum sanguinem,in me manet,& ego in eo; quod quidem perinde esse,vt si dixisset,erunt duo in carne vna,sicut de coniugio corporali scriptum est,Paulus interpretatus est,cum illud in epist. ad Eph. ad hoc sacramentum mystice retulit. cũ enim dixisset,quia membra sumus de corpore eius,de carne eius, de ossibus eius, propter hoc relinquet homo patrem, & matrẽ suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna, subiunxit statim, sacramentum hoc magnũ est, ego autem dico, in Christo, & in ecclesia, quod beatus Methodius martyr in libro,quem inscripsit Symposiũ decem virginum,de sacramento sacræ communionis corporis, & sanguinis domini interpretatur;sed de hoc loco disserã postea in altero tractatu. hæc summa vnio per cõmunionem corporis, & sanguinis in sacramento, vnionẽ illam per fidẽ, & gratiam spiritus cum Deo, consummat, & ad perfectum adducit instar coniunctionis corporum, quę coniugiũ carnale consummat,& perficit. Ad hanc autem interpretationem excitauit nos Volane,ne à me excogitatam esse suspiceris, ipse idem Ioãnes euangelista, qui hoc miraculũ aquę in vinum conuersę scripsit; quia enim scripserat dixisse dominum Iesum in illo conuiuio, cum desidera-

mihi & tibi mulier?nõdum uenit hora mea.

De loco Pauli ad Ephe. ad sacramentum Eucharistię pertinente, auctore

Quod summa unio per cõmunione corporis & sanguinis Christi unionẽ per fidem, & gratiam spiritus consummat.

desiderabat mater, vt aquam in vinum verteret, non dum venit hora mea, quod, vt dixi, ad illud tempus spectabat; cum dãdum erat illud mysticum vinum. idest, faciendum miraculum mutãdi vinum in sanguinem Christi, intuens in hoc Ioannes, cum vellet narrare lauationem illam pedum discipulorum post cœnam agni typicam, cum datũ est hoc sacramentum, & si de eo copiosius, quàm reliqui euangelistę cap. 6. euangelij sui narrauerat, tamen ne omnino loco proprio silentio illud prçteriret, voluit saltem, quãtum satis visum est, attingere, admonens venisse tunc horam illam, quã dominus Iesus in miraculo illo muta-
» tionis aquæ in vinum dixerat. Itaque sciens, inquit, Iesus,
» quia venit hora, vt transeat ex hoc mundo ad patrem, cũ
» dilexisset suos, qui in hoc mundo erant, in finem dilexit
» eos: dilectionem dicit illã, qua Christus voluit pro nobis omnibus impijs, & peccatoribus mori, sicut idem Ioan-
» nes dixit, sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum
» vnigenitum daret: & Paulus, commendat autem charita-
» tem suam Deus, quoniã cũ adhuc peccatores essemus, se-
» cundũ tempus Christus pro nobis mortuus est. Sed quia
» passus est pro nobis, sicut beatus Petrus ait, nobis relin-
» quens exemplum, vt sequamur vestigia eius, qui peccatũ nõ fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, qui cũ maledi ceretur, non maledicebat, cum pateretur, non cominabatur; & paulopost, vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus; sic autem passionem, & exemplum vitæ eius imitari non poteramus, ait Dionysius Areop. in cap. de communione, nisi memoria semper operum diuinorum sacris sacerdotum lectionibus, & consecrationibus renouaretur, sicut ait scriptura, hoc facite in meam commemorationem, idcirco illam, quam dixi, dilectionem alia summa cumulauit dãdo nobis sub speciebus panis, & vini corpus suum ad manducandum, & sanguinem suum ad bibendum in commemorationẽ vitę, & mortis, ac resurrectionis eius. hanc ergo summam, & cumulatam dilectionẽ significauit, cũ dixit, in finem dilexit eos, Grçce est εἰς τέλος, quod signi-

De causa sacramenti Eucharistię instituti auctore Dionysio

significat in finem, siue in summum. vt autem de hac dilectione quam dixi, acciperemus, statim narrat lauationem pedum, quæ erat preparatio quedam illius magni sacramenti, quod dare volebat Christus; idem enim significabat lauare tunc pedes, quod significat nunc lauare summos digitos, cum sacerdos vult accedere ad consecrationem, vt diuinus Dionysius interpretatus est; sic enim ait,
" lauat sacerdos manus, quia vt euangelium dicit, qui lo-
" tus est, non indiget, nisi vt lauet summa, hoc est extrema
" sua; & paulopost, lauare inquit manus episcopum, & sa-
" cerdotes significat in enigmate, oportere eos, qui ad pu-
" rissimam consecrationem accedunt, vel extremas etiam
" animæ imaginationes purgatas habere. Deinde, vt nos excitaret euangelista ad contemplandum omnipotentiam Dei, qua Christus sacramentum corporis, & sanguinis sui nobis ad manducandum, & bibendum operari volebat,
" subiungit, & cœna facta (typicam cœnam agni Mosaici di
" cit, quam secuta est lauatio pedum, & mystica ac domini-
" ca cœna) cum diabolus iam misisset in cor, vt traderet eũ
" Iudas Iscariotes, sciens, quia omnia dedit ei pater in ma-
" nus, & quia a Deo exiuit, & ad Deum vadit, surgit à cœna,
" & ponit vestimenta sua, & cum accepisset linteum, præcinxit se, &c. his verbis, sciens Iesus, quia omnia dedit ei pater in manus, excitauit nos, vt iterum dicam, euangelista ad contemplandum potestatem Iesu, qua fecit omnia cum patre, vtpote Deus, Dei filius; qua potestate sacramentum corporis, & sanguinis sui post lauationẽ pedum operaturus erat. Respõde nobis Volane, quid hoc loco opus erat de omnipotentia Iesu admonere, si non erat ingens aliquod miraculũ facturus? quorsum illud procemiũ, quod omnipotentiam Dei declarat? an opus erat omnipotentia ad deponendum vestimenta, & accipiendum linteum, & precingendum se, vt eiusmodi forma, & habitu serui indutus pedes discipulorũ lauaret? aut opus erat omnipotentia ad dandum signum, & figuram tãtum corporis & sanguinis sui? Si tu nullum miraculum ibi pateris, ne or-

Idem significasse in ænigmate lauare dominũ Iesum pedes discipulorũ, antequam daret eis sacramẽtum; & lauare nunc sacerdotem summos digitos ante consecrationem auctore Dionysio.

Quid sibi voluerit Euangelista Ioannes, cũ ait, sciẽs Iesus, quia omnia dedit ei pater ĩ manus, & quõ hoc negantes miraculum in sacramẽto Eucharistię coarguit.

do naturæ, cuius es studiosius patronus, mutetur, & leges eius violentur, quid igitur isto procemio opus erat, sciens Iesus, quia omnia dedit ei pater in manus? significat enim vt dixi, hoc, omnia, quæcunq; vellet, facere posse, sicut Deus pater, siquidē manus est symbolū potestatis, huc pertinet, quod per Apostolicā traditionē accepit ecclesia catholica, vt dicat sacerdos ad altare operaturus verbo domini idem sacramentum, qui pridie quàm pateretur, accepit panem in sanctas, ac venerabiles manus suas, & eleuatis oculis in cęlum ad te Deum patrem omnipotētem, quod quidem eadem mente, & proposito dicit, qua euangelista dixit hic, sciens Iesus, quia omnia dedit ei pater in manus. Præterea etiam; quod ibidem addidit idem euangelista Ioannes, & sciēs, quia a Deo exiuit, & ad Deum vadit, causam significat, cur dominus Iesus sacramentum corporis & sanguinis sui nobis relinqueret, vt scilicet; quia ascensurus esset in cælum, præsentem eum vsque ad consummationem sæculi nobiscum in sacramēto sanctæ Eucharistiæ haberemus.

Quomodo sacerdos operaturus uerbo dei sacramentū, eadē mente, & proposito dicit, accepit panē in sanctas, ac uenerabiles manus, sicut dixit Ioannes, sciens Iesus, quia omnia dedit ei pater in manus &c.

Ad huc de miraculo S. Eucharistiæ, quo modo illud dominus docuerit conferens cum miraculo ascensus sui in cęlum, & quomodo quod dominus dixit post cœnam mysticam egresso Iuda, nunc clarificatus est filius hominis ad gloriosam mutationem panis in corpus Christi pertinebat, & vnde id probatur: & quomodo Christum hac gloria priuare conantur Zuingliani & Caluiniani, & de duplici hæresi vetusta in Sacramento S. Eucharistiæ; & quomodo hæresis Caluini tertio loco ad illas accessit, & de duplici glorificatione Christi per sacramentum S. Eucharistiæ, & per passionem notata distincte in euangelio Ioannis verbis Christi: & de miraculo in panibus multiplicatis comparato a Christo cum miraculo dandi carnem suam ad manducandum. Cap. VII.

PRæterea, nonne plane dominus docuit miraculum esse hoc, & quidem ingens, quod de carne sua manducanda, & vitam afferente dicebat, ac proinde fidē postulare, cum comparans hoc, quod illis incredibile videbatur, cū ascensu suo ad cælos virtute propria, ait, hoc vos scandalizat? Si ergo videritis filium hominis ascendentem,

dentem, vbi erat prius? quod perinde erat, vt si dixisset, si putatis nō posse me dare vobis carnem meam viuificam ad manducandum, quomodo credetis posse me per aerē penetrare ascendentem tanquam volucrem in cælum? in hanc sentētiam Cyrillus; hoc verò Volane, de ascensu domini in cælos, quin miraculū esset, tu quidem non dubitas, igitur nec illud prius negare vllo modo potes, nisi domino vtrumq; comparanti contradicas; cōparatio enim, vt Philosophi, & Theologi tradunt, τῶν ὁμοφυῶν est, idest, eorum, quæ sunt eiusdem naturæ, & conditionis, vt miracula, quæ sunt omnia diuinæ potestatis ac supra naturæ, & elementorum leges. at in tua figura Volane, quod miraculum est? Aliud præterea notauit hic euangelista Ioannes, quod ad illud gloriosum corporis, & sanguinis Christi sacramentum post lauationem pedum discipulorum retulit, illud scilicet, quod cum exisset Iudas, dixit Iesus,
„ nūc clarificatus est filius hominis, & Deus clarificatus est
„ in eo: & Deus clarificabit eum in semetipso; & continuo
„ clarificabit eum. quia enim scripserat Ioannes de illo miraculo mutationis aquæ in vinum, & manifestauit gloriā suam, & crediderunt in eum, & illud, quod illic dominus Iesus dixerat, nondum venit hora mea, ad tempus instantis mortis eius, quando vinum in sanguinem eius mutandum erat, retulerat dominus, vt iam explicatum, & obseruatum est; idcirco ratio diuini spiritus, quo Ioannes scribebat, postulabat, vt gloriam quoq; huius summi miraculi mutationis vini in sanguinē Christi viuum notaret; quę tanto maior illa gloria aquæ in vinū mutationis fuit, quanto Deus creatura sua maior, & præstantior est. Itaque siue statim, vt exiuit Iudas, istud mirabile, & omnium maximum sacramentum dedit, vt Clemens Rom. in 5. libro de constit. apostol. & Dionys. Areopag. in cap. de communione, & Hilarius in comment. Matthęi affirmant, siue cōtinuo vt dedit, exiuit Iudas, vt alij sentiunt, vtrocunq; modo ad gloriosum sacramētū corporis Christi, in quod panem mutauit Iesus, pertinet hoc, quod ait, nunc clari-

Quomodo cōparatio sacramēti cum ascensu domini in cælū conuincat miraculum esse in sacramēto, quod Volanus secundum sectā Caluini negat.

De comparatione glorię Christi ostēsę in mutatione uini, & aquę in sanguinem suum cum gloria ostēsa in mutatione aquę in uinum in nuptiis Cana Galilęæ.

ficatus,siue glorificatus est filius hominis; & Deus clarificatus est in eo. in hoc enim sacramẽto carnem suam pro nobis passam,impassibiliter nobis dedit. De hac gloria siue claritate, dixit idem in eodem euang. Ioan. cap. 17. & „ ego claritatem,siue gloriam,quam dedisti mihi, dedi eis, „ vt sint vnum,sicut & nos vnum sumus; ego in eis, & tu in me, vt sint consumati in vnum; hoc autem fit per corporalem, siue substantialem sumpsionem corporis Christi; vt beatus Hilarius,& Cyrillus Alexand. contra Arianos disputantes,demõstrant;vt paulopost docebo. Tu ergo Volane cũ tuis Zuinglianis,& Caluinianis clarificatione ista Christum priuas,dum in sacramento carnem eius corporaliter habere non vis; & nos item priuas vnitate per carnẽ eius, quam dicit euangelium. Nescio,an leuius quàm vos peccarent illi, qui, vt ait beatus Ignatius in epist. ad Smirnẽses, vt Theodoretus quoq; in tertio dialogo Polymorphi testatur, non confitebantur Eucharistiã esse carnẽ Saluatoris nostri Iesu Christi pro peccatis nostris passam,quam pater suscitauit. Deinde subiũgit Ignatius. qui „ igitur cõtradicunt dono Dei, *συζητοῦντες ἀποθνήσκουσι*, idest, „ in quęstione versantes intereunt: sic vobis accidit. Illi igitur carnẽ passam negabant in sacramento; Paulus Samosat. corruptibilem in eo sanguinem ponebat, vt Dionys. Alexandr. testatur, qui eum in epistola sua confutat; tertium deerat, vt essent scilicet nõ qui carnẽ in Eucharistia non passam,neq; qui corruptibilem,sed qui nullam dicerent. Sed age nunc Volane, si illa aquę in vinũ in nuptiis illis mutatio fuit vera mutatio, qua gloria Iesu tũc manifestata est, & crediderunt in eũ, quomodo nõ fuerit facta hic vera mutatio panis,& vini in verum corpus,& sanguinem Christi, sicut ipse suis verbis propriis declarauit, inquiens, Hoc est corpus meũ? siquid em magis hic quàm illic gloria Iesu manifestata est,quod nõ credo, negare audebis. An gloriosior,& admirabilior est mutatio panis in corpus Christi secundum fidem,& per spiritum,quàm vera mutatio secũdum substantiam panis? cur igitur quod glorio-

Quomodo glorificatione Christi ex sacramento, quam dicit euãgeliũ, Christũ priuabt, qui cum in ipso sacramento negant.

Sic est in exemplari uetustissimo bibliothecę Florẽtinę Medicęę sicut Theodoretus citat.

De duplici hæresi uetusta in sacramento, ad quã accessit ætate nostra tertia Caluini.

gloriosius est, & verbis domini proprie acceptis significatur, non concedis; & quod minus gloriosum est, & verbis figurate acceptis significari dicis, concedis? Sed dices fortasse, in loco isto Ioannis non de glorificatione, siue manifestatione gloriæ Iesu per sacramentum sanctæ Eucharistiæ, sed per passionē sermonem esse, sicut Apost. in epist. ad Heb. ait, videmus Iesum per passionem mortis gloria, & honore coronatum: verùm ne hoc modo tantum intelligeremus, hanc glorificationē per passionem ab illa per admirabile mysterium panis, & vini in corpus, & sanguinem viuum, & viuificū mutati ibidem euangelista distinxit; de illa enim priore dixit in præterito, nunc clarificatus, siue glorificatus est filius hominis, & Deus clarificatus est in eo; & de posteriore adiunxit in futuro, & Deus clarificabit eum in semetipso: & continuo clarificabit eum. Ergo qui a Ioannes, vt ante dixi, de carne domini Iesu in sacramento edenda, & de sanguine eius bibēdo, copiose cap. 6. scripserat, & cœnam dominicam reliqui tres euangelistæ narrauerant, istis, quæ exposui, ad illud ipsum sacramentum spectantibus contentus fuit in eo loco euangelij sui, vbi lauationem pedū in ea cœna factam ab alijs euangelistis prætermissam narrauit, quæ omnia tuam frigidam, & prophanam metonymiam plane coarguūt. Cur enim non credis primùm domino dicenti post acceptum panē in manus, Hoc est corpus meum, & post acceptum calicem, Hic est sanguis meus? deinde Ioanni euāgelistæ, qui intuens in hoc sacramentum, de omnipotentia filij Deo patri, consubstantialis, vt antea dixi, admonuit; quia panem non edendo, digerendo, & modificādo, in corpus suum naturaliter mutaturus erat, sed immutato cursu naturæ solo verbo. Præterea vt architriclino credis, qui gustauit aquam vinum factam, crede infinitis, qui gustantes carnem domini in hoc venerabili sacramēto, mirabiliter in omni genere continentiæ, ac virtútis proficiunt: vestrū vero panem qui comedunt pro sacramento, quomodo proficiunt? an perseuerant in doctrina, quam ecclesia patrum,

De duplici glorificatione Christi notata in euang. Ioannis.

trum, ac maiorum ab initio accepit, & eis tradidit? an potius quotidie, sectas mutant, & ex Lutheranis Caluiniani; aut rursus ex Caluinianis Lutherani fiunt? Sed veniamus iam ad alterum miraculum de panibus, & piscibus multiplicatis, quo etiam euangelista fidem sacramenti Eucharistiæ præfulciendam esse diuinitus iudicauit, antequam ea, quæ dominus de eo disseruisset, narraret. ait igitur, accepit ergo Iesus panes, & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus, similiter, & ex piscibus, quantum volebant. Matthæus euangelista ait, benedixit, & fregit, &c. rogo te Volane, si credis factum esse hic miraculum à domino in panibus benedictione eius multiplicatis, cur nō credis factum item miraculum à domino in pane accepto in manus, & benedictione in corpus eius mutato? cum ita dixerit in cœna, corpus suum esse, quod dabat discipulis, & nō signum, sicut dixit panes esse, quos dabat discipulis turbæ distribuendos, & non figuras panum? Cur pateris fieri ex improuiso benedictione Dei omnipotentis tantam multitudinem panum ex quinque panibus sine terra, sine aqua, sine aratione, sine satu, sine semente contra naturæ, quæ cernitur, leges; & non pateris eiusdem Dei omnipotentis benedictione species panis saluas, mutata panis natura in corpus Christi, illud, vt saturarentur corpora, hoc, vt saturarentur animæ? Aliud præterea miraculum de Manna in deserto commemorauit euāgelista post illud superius de panibus, cū quo dominus comparauit tanquam maius cum minore, quod in pane viuo, & viuifico corporis sui facturus erat, de quo erat à domino paulopost in eodem capite euangelij disserendum: sed de miraculo Manna, & de eius comparatione cum miraculo veri Manna in sacramento dixi supra, ne eadem repetantur. Dominus aperiat tibi sensum Volane, vt intelligas, euangelij scripturam te negare, cum miraculum panis in carnem Christi mutati, & vini in sanguinem negas.

De miraculo in panibus, & piscibus multiplicatis cōparato cū miraculo in mutatione panis in corpus Christi.

Quomo-

Quomodo Caluiniani & Zuingliani similes sunt in errore suo Arianorum: & quomodo, quibus argumentis ex ueritate corporis Christi in sacramento sumptis confutati sunt Ariani ab Hilario, & Cyrillo, eisdem confutantur, & reuincuntur a nobis Caluiniani: & quomodo Caluiniani negantes carnem Christi in sacramento coguntur cum Arianis negare patrem & filium esse unum natura.

Cap. VIII.

SEd age iam, quia sæpe in libro tuo audes dicere, sic omnes veteres patres de sacramento Eucharistiæ, vt tu cũ Caluino magistro tuo, sensisse, videamus, quomodo ecclesia catholica occidentalis in persona Hilarij clarissimi, & eruditissimi patris, & orientalis in persona Cyrilli grauissimi, & illustri laude synodi Ephesinæ celebrati ex vera carne Christi in sacramento Eucharistiæ participata firmissima argumenta aduersus Arianos duxerint. illi enim sic patrem, & filium vnum esse ponebant non per naturam, sed per habitudinem consensus, & vnitatem voluntatis, sicut ipsi ponitis, vnum corpus Christi vos fieri in sacramento per habitudinem fidei, & spiritus, non autem per ueritatem carnis in sacramento manducatæ. vt intelligas Volane, sectam istam tuã viam munire Arianis, & telum grauissimum in eos ab vtraque ecclesia coniectum conari de manibus extorquere. audi ergo iam Hilarium in Arianos argumentantem; Si verè, inquit, verbum caro factum est, & nos verè verbum carnem cibo dominico sumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est, qui, & naturam carnis nostræ inseparabilem sibi homo natus assumpsit, & naturã carnis suæ ad naturam æternitatis sub sacramẽto nobis communicandæ carnis admiscuit? quod beatus Petrus dixit, vt efficeremur diuinæ naturæ consortes, dixit hic Hilarius, ad naturam æternitatis admiscuisse nobis carnem suam sub sacramento. Subiungit deinde, ita enim omnes vnũ sumus, quia, & in Christo pater est, & Christus in nobis est. Quisquis ergo naturaliter patrem in Christo negabit, neget prius, non naturaliter (idest, non secundum veritatẽ naturæ

Quomodo ecclesia Occidẽtalis in ꝑsona Hilarij, & ecclesia Oriẽtalis in ꝑsona Cyrilli Alex. argumenta duxerint cõtra Arianos firmissima ex veritate carnis Christi in sacramento participatæ.

„ naturæ carnis) vel se in Christo, vel Christum sibi inesse,
„ quia in Christo pater, & Christus in nobis vnum in his es-
„ se nos faciunt. Si verè igitur carnem corporis nostri Chri-
„ stus assumpsit, & verè homo ille, qui ex Maria natus fuit,
„ Christus est, nosq; vere sub mysterio carnem corporis sui
„ sumimus, & per hoc vnum erimus, quia pater in eo est,
„ & ille in nobis, quomodo voluntatis vnitas asseritur, cum
„ naturalis per sacramentum proprietas, perfectæ sacra-
mentum sit vnitatis? similiter nos in te Volane nunc, &
in Zuinglianos, ac Caluinianos condiscipulos tuos argu-
mentamur, si vnum sumus in Christo secundum verita-
tem carnis in sacramento nobiscum communicatæ, vt
ecclesia catholica occidentalis in persona Hilarij aduer-
sus Arianos disputans prædicat, quomodo vultis, esse nos
vnum in Christo per fidem tantum, in sacramento Eucha
„ ristiæ communicato? Subiungit ergo Hilarius, non est hu-
„ mano aut sęculi sensu in Dei rebus loquendum; neq; per
„ uiolentam, atque impudentem prędicationem, cęlestium
„ dictorum sanitati, alienæ, atque impię intelligentię ex-
„ torquenda peruersitas est. Quæ scripta sunt, legamus; &
„ quę legerimus, intelligamus: & tunc perfectę fidei offi-
„ cio fungemur. de naturali enim in nobis Christi veritate
„ quę dicimus, nisi ab eo discimus, stulte atque impie dici-
mus: non dixit Hilarius de spirituali, ut tu Volane, sed de
naturali, idest, corporali in nobis Christi veritate. Sequi
„ tur, ipse enim ait, caro mea verè est esca, & sanguis meus
„ verè est potus. qui mãducat meam carnem, & bibit meũ
„ sanguinem, in me manet, & ego in eo; de veritate carnis,
„ & sanguinis non est relictus ambigẽdi locus. nunc enim,
„ & ipsius domini professione, & fide nostra verè caro est,
„ & verè sanguis est, & hęc accepta, atque hausta id efficiũt,
„ vt & nos in Christo, & Christus in nobis sit. an ne hoc ve-
„ ritas non est? contingat planè his verum non esse, qui
„ Christum Iesum verum esse Deum negant. est ergo in no
„ bis ipse per carnem, & sumus in eo, dum secundum hoc,
„ quod nos sumus, in Deo est. Vbique dicit Hilarius euan-

gelium

gelium ſequens, eſſe in nobis Chriſtum in hoc ſacramento per carnem naturalem, ideſt, veram, & nuſquam per ſpiritum, & ſecundum fidem tantum, vt tu Volane cum tua metonymia. Sequitur in Hilario, quod autē in eo per ſacramentum communicatæ carnis, & ſanguinis ſimus,
„ ipſe teſtatur dicens, & hic mundus me iam non videbit,
„ vos autem me videbitis, quoniam ego viuo, & vos viuetis;
„ quoniam ego in patre meo, & vos in me, & ego in vobis.
„ ſi voluntatis tātum vnitatem intelligi vellet, cur gradum
„ quendam, atque ordinem conſumandæ vnitatis expoſuit,
„ niſi vt cum ille in patre per naturam diuinitatis eſſet, nos
„ contra in eo per corporalem eius natiuitatem, & ille rur-
„ ſus in nobis per ſacramentorum ineſſe myſterium crederetur? ne autem Volane extremum hoc, quod adiunxit, & ille rurſus in nobis per ſacramentorum ineſſe myſterium crederetur, more tuo arripias, & ad fidem tuam ſolam, & ſpiritualem tantum, carnis per ſacramentum manduca-
„ tionē referas, audi, & intellige, quæ ſequuntur; ac ſic per-
„ fecta per mediatorem vnitas doceretur, cum nobis in ſe
„ manentibus, ipſe maneret in patre, & in patre manens,
„ ipſe maneret in nobis; & ita ad vnitatem patris proficere-
„ mus; cum qui in eo naturaliter ſecundum natiuitatem
„ ineſt, nos quoque naturaliter ineſſemus, ipſo in nobis na-
„ turaliter permanente. Deinde ſubiungit, quod autem in
„ nobis naturalis hęc vnitas ſit, ipſe ita teſtatus eſt, qui man
„ ducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me
„ manet, & ego in eo; non enim quis in eo erit, niſi in quo ipſe fuerit quod ſic intelligendum eſt Volane, ne quid hic per inſcitiam vel malitiā calumnieris, niſi in quo ipſe fuerit, ſcilicet ſecundum carnem, & ſpiritum; non autem ſecundum carnem ſolum, quæ nihil prodeſt, vt eſt in indi-
„ gne manducantibus: ſequitur, perfectæ autem huius vni-
„ tatis ſacramentum ſuperius iā docuerat, dicens, ſicut mi
„ ſit me viuens pater, & ego viuo propter patrē, & qui man-
„ ducat me, & ipſe viuet propter me; viuit ergo propter pa-
„ trem, & quomodo per patrem viuit, eodem modo, & nos

" per carnem Christi viuemus. ne autē hoc Volane ad figuratum sermonem tuū, & spiritualem tuam per fidem solam manducationē accōmodare posses, subiungit; omnis
" enim comparatio ad intelligentiæ formā præsumitur, vt
" id, de quo agitur, secundum propositum exemplum asse-
" quamur. hęc ergo vitę nostrę causa est, quod in nobis car-
" nalibus manentem per carnē Christum habemus victuris
" nobis per eam ea conditione, qua viuit ille per patrem. &
" paulopost, hęc autē idcirco à nobis commemorata sunt,
" quia voluntatis tantū inter patrem, & filium vnitatem hę-
" retici mentientes, vnitatis nostrę ad Deum vtebantur exē-
" plo, tanquam nobis ad filium, & per filium ad patrē obse-
" quio, ac voluntate religionis vnitis, nulla per sacramentū
" carnis, & sanguinis naturalis cōmunionis proprietas in-
" dulgeretur. Cū, & per honorem nobis datum Dei filij, &
" permanentem in nobis carnaliter filiū, & in eo nobis cor-
" poraliter, & inseparabiliter vnitis mysterium verę, ac natu-
" ralis vnitatis sit prędicandum. Hæc Hilarius in Arianos; quæ, vt antea dixi, in Zuinglianos, & Caluinianos, & in te Volane eorum condiscipulū valent. qui vnitatem nostrā cum Deo per carnē Eucharistiæ nobiscū corporaliter vnitam tollitis, vos enim traditis, nō per carnem Christi viuificam vniri nos vere cum eo, & vnum effici corporaliter, sed per fidem tantū, & secundum spiritum, quasi non corporaliter in sacramēto, sed per fidem tantū, & per spiritū à nobis caro Christi manducetur, ex quo fit, vt secundum Arianos, vna hæresi aliā trahente, negare quoq; vos cogamini, patrem, & filium esse vnum, & per naturam patrē in Christo, & Christū in patre esse; sicut negatis per sacramētum verę, & viuificę carnis nobis corporaliter cōmunicatę fieri nos vnum cum Christo, & per Christum cū patre. atq; ita, quod dominus dixit in euangelio de vnitate naturæ suæ cum patre, & de consortio, siue participatione corporali eiusdem naturæ per sacramentum carnis, non de vnitate vera, & corporali per corpus eius viuificum, sed de vnitate spirituali per fidem tantum accipiendum erit: vt iam

Quomodo Caluiniani cum Arianis faciunt, cum Christi carnem in sacramēto negant.

Quomodo Caluiniani coguntur negare patrem, & filiū esse unum natura negantes fieri nos unum cum Christo per sacramētum carnis corporaliter nobiscum communicatæ.

vt iam per ſacramentum neq; concorporales Chriſto ſimus, ſicut Paulus ait: neque diuinæ naturæ conſortes, ſicut beatus Petrus; neque Arianos reuincere poſſimus. contra vnitatem naturæ diuinæ illud in euang. Ioannis interpretantes, vt ſint vnum, ſicut, & nos vnum ſumus. Hilarij vero quanta fuerit apud Auguſtinum, cuius tu teſtimonijs abuteris, auctoritas, vel ex eo intelligi poteſt, quod ſæpe eius teſtimonio, & auctoritate in libris ſuis vtitur.

Quomodo quod Caluiniani tradunt, Chriſtum fide tantum accipi in ſacramento, Cyrillus eisdem argumentis refellit, quibus Arianos negantes vnitatem naturalem patris & filij: & quomodo probat duplicē vnionem cum Chriſto corporalem per participationem carnis in ſacramento nobiscum corporaliter communicatæ, & vnionem alteram ſpirituale̅ per ſpiritum. S. ſecundum habitudinem fidei & charitatis.

Cap. IX.

Videamus deinceps, quemadmodū beatus Cyrillus Alexand. ſimiliter contra Arianos diſputans hoc ipſum auctoritate ſcripturæ ſanctæ refellat, quod vos dicitis, Chriſtū in ſancta Euchariſtia fide ſolum accipi per ſpiritū, & nō per carnem ipſam. Sic enim ait lib. 10. in Ioan. cap. 15. Non negamus recta nos fide charitateq; ſyncera Chriſto ſpiritualiter coniungi; ſed nullam nobis coniunctionis rationem ſecundum carnem cum illo eſſe, id profecto pnegamus; idq; à diuinis ſcripturis omnino alienū eſſe dicimus. Quis enim dubitauit Chriſtum etiā ſic vitem eſſe, nos vero palmites, qui vitam inde nobis acquirimus? iam hic Volane, plane refellit Cyrillus doctrinam tuā, quam in principio libelli tui tanquam fundamentum cauſæ tuæ poſuiſti: poſtquam enim vim huius parabolæ, ſiue ſimilitudinis, vt tu vocas, explicaſti, ſubiunxiſti: non diſſimili figura, & inuolucro coniunctionem ſecum noſtram in alio quoq; loco demonſtrat, niſi, inquit, manducaueritis carnē filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, nō habebitis vitam in vobis; qui manducat meā carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam ęternam,

Quomodo Cyrill Alex. ſimiliter ut Hilarius diſputans cōtra Arianos, per euangelium refellat, quod Caluiniani tradunt, Chriſtum in Euchariſtia fide ſolum accipi per ſpiritum, & non p carnē ipſius. Quomodo fundamentum doctrinę, quod Volanus in principio ſui libelli heretici iecit, à Cyrillo auctoritate euāgelij cōuellitur.

„ quemadmodum ſiquis igne liquefactam ceram aliæ ceræ
„ ſimiliter liquefactæ ita immiſcuerit, vt vnũ quid ex vtriſq;
„ factum eſſe videatur, ſic communicatione corporis,& ſan
„ guinis Chriſti ipſe in nobis eſt,& nos in eo. Age nunc Volane, potes ne accommodare huc tropũ tuæ metonymię? cõmiſcetur ne Chriſti caro cũ carne noſtra inſtar ceræ cũ cera, per ſolam fidem, & in ſpiritu? an potius neceſſarius eſt contactus corporis Chriſti in Sacramento? quod quidem Chriſti corpus non in noſtrum corpus manducando mutatur, ſed cum eo per contactum vnitur. Cum contactum corporis Chriſti in Sacramento, ſiue corpus Chriſti in Sacramento tangi dico, ad ſpecies, ſub quibus eſt corpus & ſanguis Chriſti, referri volo contactum, & tangi; id eſt ſpecies ipſas proprie tangi, non autem ipſum corpus, & ſanguinem Chriſti. Pergit Cyrillus, non po-
„ terat enim aliter corruptibilis hęc natura corporis ad
„ incorruptibilitatem, & vitam traduci, niſi naturalis vitæ corpus ei coniungeretur. Deinde quaſi alloquẽs te, & tui
„ ſimiles, vt illum Arianum, cum quo diſſerebat, nõ credis,
„ inquit, mihi hęc dicenti? Chriſto, te obſecro, fidem præ-
„ be; amen, amen, inquit, dico vobis, niſi manducaueritis
„ carnem filij hominis,& biberitis eius ſanguinem, non ha
„ bebitis vitam in vobis: qui manducat meam carnem, &
„ bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego re-
„ ſuſcitabo eũ in nouiſſimo die; in vobis dicit, id eſt, in cor-
„ pore veſtro; vita autem iure ipſa vitę caro intelligi poteſt;
„ hæc enim nos in nouiſſimo die ſuſcitat, & quomodo? di-
„ cere non grauabor: caro vitæ facta vnigeniti caro ad vir-
„ tutem vitæ traducta eſt: non poteſt igitur morte ſuperari;
„ propterea in nobis facta, interitum à nobis expellit. Idem rurſus lib. 11. cap. 17. probans aduerſus Arianos eſſe nos vnum in patre, & in filio, ſecundum euangelium, non ſolum ſpiritualiter, id eſt, ſecundum habitudinem fidei, & charitatis; ſed etiam naturaliter, id eſt, per naturam ſiue ſubſtantiam carnis dominicę nobiſcum in ſacramento corporaliter communicatæ, ſicut pater, & filius vnũ ſunt

natura.

„ natura. age igitur, inquit, cum trinitas vnum natura ſit,
„ conſideremus, quomodo etiam nos ipſi inter nos corpo-
„ raliter, & cum Deo ſpiritualiter vnum ſimus; ex Dei pa-
„ tris ſubſtantia vnigenitus prodiens, & totum in ſua natu-
„ ra genitorem poſſidens caro factus eſt; ſeq; ipſum naturæ
„ noſtræ ineffabiliter coniunxit, atq; vniuit; ſic quæ inter
„ ſe plurimum natura diſtant, in ſe ipſo vno coniunxit: &
„ naturę diuinę participes nos effecit. communicatio enim
„ ſpiritus, & vt ita dicam, manſio primum in Chriſto fuit,
„ & ab eo in nos penetrauit: ipſe templum ſuum proprio
„ ſpiritu perunxit, atq; ſanctificauit. Origo igitur, & via, qua
„ ſpiritum ſanctum participamus, & Deo vniti ſumus, Chri
„ ſti myſteriū eſt; omnes enim in illo ſanctificamur. Vt igi-
„ tur inter nos, & Deum ſingulos vniret, quamuis corpore
„ ſimul, & anima diſtemus, modum tamen adinuenit con-
„ ſilio patris, & ſapientiæ ſuæ congruentem; ſuo enim cor-
„ pore, credentes per communionem myſticā benedicens,
„ & ſecum, & inter nos, vnum nos corpus efficit. Hic fortaſ-
ſe Volanus noſter putabit ſe aliquid, quod ſecum faciat,
habere, quia dicat Cyrillus, credentes per communionē
myſticam vnum efficit, quaſi per fidem dicat communi-
cari carnem Chriſti nobiſcum. At vide Volane, quid ſe-
quitur, quod iſtam tuam fidem, per quam externo ſigno
dicis adiungi corpus Chriſti, & ita nobis exhiberi, exclu-
„ dit; quis enim inquit, eos, qui vnius ſancti corporis vnio-
„ ne in vno Chriſto vniti ſunt, ab hac naturali vnione alie-
„ nos putabit? audis naturalem vnionem, ideſt, ſubſtantia-
lem, & corporalem fieri in nobis vnione vnius ſancti cor-
„ poris Chriſti? Sequitur; nam ſi omnes vnum panem man-
„ ducamus, vnū omnes corpus efficimur. diuidi enim atq;
„ ſeiungi Chriſtus non patitur. idcirco etiam eccleſia, Chri-
„ ſti corpus eſt facta, & nos ſinguli membra Chriſti ſecun-
„ dum Paulū; vni enim Chriſto per corpus ſuum coniuncti,
„ quoniam in nobis illum, qui eſt indiuiſibilis, accepimus,
„ ipſi potius, quàm nobis membra noſtra accommodātur.
„ & paulopoſt, quod autem corporalis hęc vnio ad Chriſtū,

» participatione carnis eius acquiritur, ipse rursus Paulus
» de mysterio pietatis differens testatur, cum ait, quod aliis
» generationibus nō est agnitum filiis hominū, sicut nunc
» reuelatū est sanctis apostolis eius, & prophetis in spiritu,
» esse gentes cohæredes, & concorporales, & comparticipes
» promissionis in Christo. Si autem omnes inter nos in
» Christo vnum sumus corpus, nec inter nos solum, verum
» etiam cum eo, qui per carnem suam ad nos transiuit, quomodo
» vniuersi, & inter nos, & in Christo vnū non erimus?
» Christus enim est huius vnionis vinculū, qui Deus simul,
» & homo est. Cyrillus ecclesiæ orientis lumen, & in eo ecclesia
Alexandrina, cui præfuit, dicit Christum Deum, & hominem esse vinculum huius vnionis, qua vniuersi inter nos, & cum Christo vnum sumus, & Volanus tradit vinculum eius esse spiritum sanctum, sic enim dicis Volane, ac
» propterea spiritualem hanc corporis, & sanguinis Christi
» in sacramento, siue visibili signo à domino instituto vocamus
» manducationem, nostramq; cum Christo in vnū corpus
» coniunctionem, quia solus spiritus sanctus est, cuius
» vinculo res ipsæ tā procul disiunctę mutuo connectuntur,
» & conglutinantur; hæc tu, sed vtri potius credendum erit?
es ne tu cum magno Cyrillo comparandus? aut probas ne per scripturas, aut sanctos patres hoc, quod ais, vt beatus Cyrillus per tot locos euāgelii, & Pauli demonstrauit, & sententiam suam conclusit? Sed pergamus recitare, quę
» in Cyrillo sequuntur, sed de vnione, inquit, corporali, satis.
» de spirituali autem eandem viam sequentes, dicimus,
» quod spiritu sancto recepto, & inter nos quodam modo,
» & cum Deo vnimur; nam quamuis vnicuique nostrum
» patris, & suum spiritum Christus distribuit, indiuisibilis
» tamen spiritus est, & distributus singulis spiritus, in seipso
» vnit; & omnes, quibus distributio facta est, vnum in seipso
» efficit, & sicut virtus sanctissimæ Christi carnis vnum
» corpus efficit participantes, eodem arbitror pacto, in quibus
» indiuisibilis Dei spiritus habitauit, eos omnes ad vnitatem
» spiritualem conducit. ideo rursum Paulus nobis
scripsit,

De duplici dilectione Christi erga nos, & de duplici communione, vna naturæ nostræ, & altera corporis eius in sacramẽto: et quomodo vtriusq; rationem diuinè Dionysius explicat: & quomodo secunda dilectione priorem ad summum perduxit, & secunda item cõmunione priorẽ; & quomodo hinc intelligitur quod Ioan. ait, cũ dilexisset suos, in finem dilexit eos: & quomodo Caluiniani hos gradus dilectionis, & vnionis per suam metonymiam tollunt contra scripturam: item de hæresi Pauli Samosaten. qui sanguinem Christi in sacramẽto corruptibilem esse tradebat: & quomodo eum confutauerit Dionysius Alex. & quomodo hæc hæresis renouata postea fuit, & quando, & a quo, et de quibus patrum testimonijs damnata sit in synodo: et quomodo hæresis Pauli Samos. de sanguine Christi corruptibili in sacramẽto minus absurda erat quàm hæresis Caluini.

Cap. X.

HAnc nostram cum Deo summam vnionem per cõmunionem carnis Christi in sacramento communicatæ longè ante Cyrillum, & Hilarium, ac cæteros Dionysius Areopagita explicauit; sic enim ait in ecclesiastica hierarchia, cum interpretatur, quid in ænigmate significet illa hostiæ in Missa ostẽsio, & partitio. illud enim vnũ, inquit, & simplex, & occultum diuinitatis Iesu verbi summi Dei, cũ factum est homo nostræ naturæ, egressum est bonitate, ac charitate sua erga homines, vt fieret sine mutatione sui cõpositum, & visibile; hactenus Dionys. hęc est illa charitas de qua ait Ioan. sic Deus dilexit mundũ, vt filiũ suum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in eum, nõ pereat; sed habeat vitã æternam, non enim misit Deus filium suum in mundũ, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. hęc, inquã, est charitas illa Dei in genus humanũ, quod creauerat; qui voluit fieri homo, vt quia nos cõmunicauimus carni, & sanguini, ipse similiter participaret eisdem, vt per mortẽ destrueret eum, qui habebat mortis imperium, idest, diabolũ. verum non contentus ista cõmunione naturæ nostræ, vt mori pro nobis posset, & moreretur, negotiũ etiam communionis, inquit, idem Dionysius, beneficè confecit, quo genere cõmunionis suam in nos charitatem filius Dei ita cumulauit, vt eã

Quomodo Dionysius Areop. ante alios ecclesiasticos scriptores summam unionem nostrã per communionem carnis Christi in sacramento explicauit.

ad ſummum perduceret,quod Ioannes euangeliſta ſigni-
„ ficauit, cum dixit, ante diem paſchæ ſciens Ieſus, quia ve-
„ nit hora, vt tranſeat ex hoc mundo ad patrem, cum dile-
„ xiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. dile-
xit quidem eos, qui in mundo erant, quos ſuos vocat ra-
tione creationis,ſicut in principio euãgelij ſui idem Ioan.
dixerat, in propria venit, & ſui eum non receperunt, quia
propter eos miſſus erat à patre, vt fieret homo, vt homo
factus, pro eorum poſtea ſalute moreretur, de qua dile-
ctione dixerat idem Ioan. vt ſupra iterum dixi, ſic Deus
dilexit mũdum, vt vnigenitum ſuum daret, vt omnis, qui
credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam;vbi
non ſolum aduentum eius in carne ſignificauit Ioannes,
ſed mortem quoque, non enim Deus filium ſuum vnige-
nitum ob eam cauſam ſolum dedit, vt homo fieret,ſed vt
pro mundi vita moreretur.quare cũ dilectio hęc Ieſu non
ſolum incarnationem, ſed etiam mortem incarnati ver-
bi pro nobis impiis, & peccatoribus, contineat, qua dile-
ctione nulla ſecundum humanitatem, vt Paulus in epiſt. „
ad Rom. cap. 5. docet, maior eſſe poteſt,& de hac ipſa di- „
lectione dixerat, ſciens, quia venit hora,vt tranſeat ex hoc „
mundo ad patrem, cum dilexiſſet ſuos, qui erant in mun-
do,reſtat,vt ſciamus,quid illud ſit,quod ſtatim ſubiungit,
in finem dilexit eos. hic enim acceſſio, & cumulus dile-
ctionis omnino ſignificatur, ſiquidem qui factus erat pro-
pter nos homo,ſicut nos,ex oſſibus noſtris,& ex carne no-
ſtra, cum eſſet pro nobis moriturus, & iam inſtaret mors
pro nobis ſubeunda,hanc dilectionem alia adhuc cumu-
„ lare voluit; etenim quia dilectionem eius,& vitam,& paſ-
„ ſionem imitari, vt ait Dionyſius, non poteramus, niſi me-
„ moria eorum nobis renouaretur, ſicut ipſe dixit,hoc faci-
„ tę in meam commemorationem,confecit nobis,vt antea
„ dixi, communionem, qua nos κατ' ἄκρον vt ait idem Dio-
„ nyſ. Areopag. ideſt,ad ſummum cum diuiniſſima carne,
„ & membris ſuis, propter bonitatē ſuam vniret. Si tamen,
„ inquit, & nos tanquam membra corpori, ſimilitudine, &
imitatio-

Quomodo in eo; quod ait Ioã. in finem dilexit eos, acceſſio, & cumulus dilectionis ſignificatur ſupra illam, de qua proxime dixerat, cũ dilexiſſet ſuos; qui in hoc mundo erant, &c.

" imitatione sanctitatis, & innocentiæ eius ipsi coagmente-
" mur, & coniungamur; ac non potius mortiferis passioni-
" bus extincti, neq; vitæ, nec adglutinationis ad diuina, &
" sanissima membra participes efficiamur. hactenus Dionysius, quod ergo dixit Ioannes, εἰς τέλος, idest, ad finem dilexit eos, Dionysius tanquam eius loci interpres, dixit, vnisse nos κατ' ἄκρον, idest, ad summũ. quod in sacramento corporis sui fecit, quod fuit beneficium consummatæ dilectionis perpetuo vsque ad consummationem sæculi duratis; nam hoc quoque significat illud, in finem, vt cum Apost. ait, 1. Thess. cap. 2. peruenit enim in eos ira Dei vsque in finem; & Dauid, vt quid Deus repulisti in finem? quod quidem significat, vt veteres interpretes annotarũt, τὴν μόνιμον ἀγανάκτησιν, idest, indignationem stabilem, ac permanentem. Sic dominus ad perpetuam mortis suę memoriam hoc magnum sacramentum nobis reliquit; & ad commemorationem illius in cruce mortis, quam semel passus est; voluit vsque ad finem sæculi quotidie mori sine morte, & pati sine passione κατὰ ἀνάμνησιν, idest, secundum commemorationem. hęc quoque notio subiecta est illi verbo, vsque in finem; est enim in verbis scripturæ sanctæ βαθυφωνία, idest altitudo, siue profundum sermonis, vnde proph. Es. cap. 33. dominũ Iesum vocauit βαθυφώνον. ad hanc vero βαθυφωνίαν non licet penetrare Volane sine fide, studio, sobrietate, & in primis Dei gratia adiutrice, quæ vos, vt apparet, omnia negligitis, vel parum curatis. Quomodo ergo tu Volane hos gradus dilectionis, & vnionis distinguis? quomodo, inquam, in finem dilexit nos, & in finem vniuit, idest, summe, siue ad summum, si per fidẽ tantum in sacramento cum corpore Christi vnimur? an non sic vniti sunt extra sacramẽtum, quicunq; in Christũ pro nobis passum fide viua credunt? Sicut enim paulo ante Cyrillus aiebat, cum Christus vnicuique nostrũ patris, & suum spiritum distribuit, quia indiuisibilis spiritus est, distributus singulis in seipso vnit, & in patre, qui est in spiritu, & in Christo, qui est in patre, vnit dico vnione spirituali.

Quomodo Caluiniani gradus dilectiõis Christi erga nos, & unionis cum eo contra euãgeliũ Ioan. tollunt sua metonymia & figura.

Quomodo Calviniani ponẽtes unionem tantũ spiritualem cũ Christo, quãtũ in se est, ecclesiã catholicã cumulo dilectionis Christi in eam, & cumulo unionis ecclesiæ cum Christo priuant.

De heresi Pauli Samosatensis de sãguine corruptibili, quem in sacramento ponebat, & quomodo Dionysius Alex. respondẽdo Paulo Samosatẽsi argumentũ Petri martyris negantis carnẽ Christi in sacramento refutat.

tuali. tu igitur velis, nolis, cogeris Volane non distinguere gradus dilectionis, & vnionis Christi contra hunc locũ euangelij Ioannis, cum nullam aliam vnionem nisi spiritualem cum Christo ponis. quare quantum in te est, ecclesiã priuas isto cumulo dilectionis Christi, & ista vnione eius spirituali simul, & corporali. sed hic occurrit Petrus Martyr magister tuus, si verum, inquit, corpus est in sacramento, non secundum commemorationem, ac mysticè, sed verè, pati necesse erit, cum scriptura dicat, hoc est corpus meũ, quod pro vobis patitur. hic sãguis meus, qui pro vobis effunditur. respondemus hic Petro Martyri, quod ante annos 1300. Dionysius ille magnus Alexandrinus Paulo Samosatẽsi in epistola sua ad eũ, quæ adhuc apud nos extat, respondit. aiebat enim ille hæresiarcha esse sanguinẽ Iesu corruptibilem, qui est, inquit Dionys. Deus Israel liberans ab omni corruptione, passione, ac morte, qui redemit nos à seruitute corruptionis, aiebat inquam, esse sanguinẽ mortalis, & passibilis hominis, quia dominus gloriæ discipulis dixit, accipite hoc, & diuidite: nouum testamentum est in meo sanguine, hoc facite, &c. & quia dixit de sanguine, qui pro vobis effunditur. Sed cũ hæc dicit Paulus Samos. ignorat, inquit Dionys. quod Apostolus dixit in epist. ad Hebr. quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratię contumeliam fecerit? conculcauit, inquit, eum Iudas, & nunc Paulus Samosatensis, vt placeret Satanę, qui eum delegit. in sanguinẽ viuificum, & in spiritum .S. insurrexit, eum conculcans. Etenim si sanguis Christi est corruptibilis, quia diuiditur, & effunditur, reperietur quoque spiritus. S. corruptibilis, vt sanguis vitæ, siquidem scribit Lucas in actis Apost. Cum complerẽtur dies Pentecostes, & quę sequuntur. & paulopost subiungit, & apparuerunt illis linguæ dispertitæ tanquam ignis, sederuntq; supra singulos eorum. & paulo post, hoc est, quod dictum est per prophetam Ioel, effundam de spiritu

» ritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij vo-
» stri, &c. Ecce, inquit Dionys. dispertitur supra singulos
» apostolos spiritus. S. & effunditur super omnem carnem;
» non tamen quia effunditur spiritus sanctus, dixerit quis
» corruptibilem esse, absit. idem est in sanguine viuifico. ha-
» ctenus Dionys. Alexand. Errorem de sanguine corruptibili in sancta Euch. Quidam etiam Michael cognomēto Sicidites astrologus tempore Manuelis Commeni defendebat, vt proditum memoriæ est in libro 17. historiarum Nicetæ Coniatis. fuit autem hic damnatus in synodo tūc habita multis sanctorum patrum testimonijs recitatis, Athanasij, Basilij, Isidori Pelusiotæ, Theodoreti, Eutychij Patriarchæ Const. Theodoti Patriarchæ Antiocheni, Seueriani Gabal. & aliorum, ne omnes enumerē; ista quoq; synodus tuam Volane sentētiam simul damnauit. Redeo ad Paulum Samos. quanto minus absurdum apparebat, quod is, qui Christum hominem tantum, alioqui sanctum sine diuinitate esse putabat, ne hominem sanctum mēdacem facere videretur, qui dixisset, hic est sanguis meus, sanguinem verum, in sacramento esse confitebatur, licet corruptibilem esse diceret. At Petrus Martyr, & tu Volane cum reliquis Caluinianis, cum Christum alioqui Deum esse fateamini, mendacem tamen facere, non dubitatis, dum in sacramēto Eucharistiæ neque corpus, neque sanguinem, sed figuram esse dicitis corporis, & sanguinis eius, qui dixit, Hoc est corpus meū, & hic est sanguis meus, quasi falsum dixerit. Eò enim spectat, & euadit vestra figura, & metonymia; cū dominus verbis proprijs vsus fuerit, quæ vos negatis vera esse. illud quoque obseruandum est hic aduersus te, & sodales tuos, quod hic tantus, & tam vetus auctor Dionys. Alexand. auctoritate Pauli probauit esse in sacramento Eucharistiæ sanguinem diuinum Christi incorruptibilem, qui non esset velut sanguis communis aliorum hominum. sanguinem autem testamenti vocauit Apostolus sanguinem in sacramēto Eucharistię, sicut dominus dixit, in cœna dominica, hic est sanguis

Hęresis Pauli Samos. t. de sanguine corruptibili in sacramēto Eucharistię tempore Manuelis Cōmeni renouata, & in synodo episcoporū damnata, in qua simul damnata est hęresis Caluini.

Quomodo hęresis Caluini de sacramento Euc. magis absurda sit, quàm hæresis Pauli Samosatensis.

Caluinus à Paulo Samosateno damnatus.

meus noui testamenti: idem quoque in epist. ad Cor. 1. cap. 11. docuit, cum loquens de communione veri corporis Christi dixit, eum, qui indigne cõmunicaret, reum esse corporis, & sanguinis; quia non diiudicaret corpus domini, idest, quia illud duceret corpus commune, quod perinde erat, quasi putaret, non corpus Christi esse, sed vnius cuiuslibet hominis; aut nullum corpus, vt vos dicitis; qui signum tantum corporis Christi esse vultis. Audisti Volane paulo ante, nisi aspidem iuxta prophetam imitatus es, quemadmodum cũ negas in sacramento Eucharistiæ verum corpus, & sanguinem Iesu Christi, gradus dilectionis eius, quos Ioannes euangelista notauit, & distinxit, & gradus vnionis ex illis nexos cõtra euangeliũ tollas.

De duplici exinanitione Christi in sacramento, & in cruce; & quæ Dionysius Alexand. de illa priore exinanitione diuine scripserit interpretans locum Pauli ad Philipp. & quomodo Volanus hanc exinanitionẽ, qua Christus etiam glorificatus est, tollat contra scripturam per suam metonymiam: & qui auctores meminerint exinanitionis Christi in sacramento, quæ omnino conuincit, ibi esse Christum vere et realiter: et quomodo qui ista exinanitione Christum priuant, gloria etiam eam secuta eundem priuãt: et quomodo non sit hyperbole, vt hæretici dicunt, quod præ nimio in Christum amore carnem eius manducare dicimur, sed res ipsa, & miraculum obstupendi beneficij: et quomodo locus ille euangelij Ioannis, sicut misit me viuens pater, et ego viuo propter patrem etc. hæreticam esse metonymiam Caluini conuincit.

Cap. XI.

Quomodo ex duplici exinanitione à Paulo apostolo notata alteram tollat, qui carnẽ Christi in sacramento tollit: itẽ ex duplici glorificatione cõsecuta alterã quoq; tollit.

AVdi nunc, quemadmodum ex duplici exinanitione Christi ab apostolo Paulo notata alteram similiter, & ex duplici glorificatione consecuta item alteram contra scripturam deleas. dicamus prius de exinanitione; idem Dionys. Alexand. in illa sua ad Paulum Samos. admirabili epistola, sic enim eam vocat beatus Hieronymus, cum de hoc magno auctore in scriptoribus ecclesiasticis meminit, probat Christũ esse προαιώνιον, quod Paulus Samosat. negabat, qui asserebat Christum non fuisse „ ante Mariam; interpretabor ad verbum, Ait (inquit) Apostolus

„ ſtolus de Chriſto, quod cum in forma Dei eſſet, non rapi-
„ nam arbitratus eſt, ſe eſſe æqualem Deo, ideſt, non ſic
„ quemadmodum qui per ſtudium virtutis, & labores, ac
„ certamina, regnum Dei rapiunt, ſicut ſcriptum eſt, regnũ
„ cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud, non ſic in-
„ quam, Chriſtus laboribus, & ſtudijs virtutum cõparauit,
„ vt eſſet ęqualis Deo; quin potius operuit cęlos virtus eius,
„ & laudis eius plena eſt terra; ſplendor eius, vt lux erit, vt
„ teſtatur ipſe, qui verè eſt ſemper in patre, inquiens, ego
„ lux mundi, ideſt dominus mundi, habens in ſe ipſo patrẽ,
„ & viuificum, ac dominum ſpiritum, & tamen ſeipſum exi
„ naniuit. vnde ſacramentum inenarrabile ſic ab eo appel-
„ latur nouum teſtamentum, dare ſeipſum in myſtica cœ-
„ na, non ſicut ſecundum legem ſacerdotij Aaronici carnes
„ pecudum aræ olim imponebant: ſcribit enim Moyſes in-
„ quiens, carnes ſanctæ imponentur altari, & comedet po-
„ pulus, & quicunq; immundus eas tetigerit, peribit. nunc
„ autem non ſic; quin potius ipſe dominus dicit, qui man-
„ ducat me, ipſe viuet propter me. Deus ergo eſt, qui habi-
„ tat in nobis ſecundum teſtamentum, quod diſpoſuit di-
„ cens nobis, accipite hoc, & diuidite inter vos, nouum te-
„ ſtamentum eſt, hoc facite; hæc eſt Dei ad nos exinanitio,
„ vt admittamur ad capiendum eum: hoc enim tremen-
„ dum ſacramẽtum dicit Apoſtolus, cum ait, quod ſeipſum
„ exinaniuit, non relinquens patrem, vt à nobis capiatur;
„ abſit; immo ipſius verba proferam, ego, inquit, & pater ad
„ eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. hæc
„ Dionyſius. Deinde ſubiũgit, videte quàm limate agit my-
„ ſtagogus veritatis, vas electionis, dicens paulopoſt, formã
„ ſerui accipiens, & in ſimilitudinem hominum factus. vt
„ enim antea dixi, exinanitionem dicit factam ad nos ad ca-
„ piendum ſacramẽtum vitæ per puras, & incorruptibiles,
„ ac diuinas ipſius manus, vt poſſimus, fideles eius capere
„ ipſum, ac fieri manſio Dei accipientes eum totum. Age ve
ro nunc Volane, quę exinanitio eſſe poterat in dando ſi-
gnum corporis ſui, vt per fidem, ſicut vos dicitis, panem
veſtrum

vestrum comedenti exhiberetur? an ad eam dignitatem panem alioqui communem transferre secundũ disciplinam vestrã, hæc erat exinanitio Dei? an potius latere sub specie panis, & vini carnem propriam verbi Dei viuificã, vt sic eam sine horrore vllo manducando, cũ ea ad vitam eius participandam vniri possemus, hoc fuit exinanire se Christum Deũ Dei filium? prosequitur Dionysius, atque
„ hoc, inquit, erat, quod olim à Moyse præfigurabatur in
„ agno absq; macula, & anniculo, vt eum mactatũ vniuer-
„ sa multitudo filiorum Israel comederet, cũ agerẽt phase,
„ idest, pascha: iubebatur illis, vt carnes agni igne assas, &
„ caput cũ pedibus, & intestinis cum festinatione vorarent:
„ at illi non poterãt caput cum pedibus vorare: quomodo
„ enim caput agni in pascha apud Iudæos voraretur, cum
„ lex iuberet, os ex eo non comminuere? atqui prohibeba-
„ tur illis hoc propter crudelitatem, & duritiam cordis eo-
„ rum, vt nec toto irrationali vesci eis permitteretur. at ve-
„ ro, qui se ipsum exinaniuit Christus Iesus habens in se ca-
„ put patrem, caput enim Christi Deus est, fecit potentiam
„ in brachio suo, & exaltauit humiles, vt in eis capi posset al
„ tissimus, & habitare in nobis propter suam, qua nos dile-
„ xit, benignitatem, ac bonitatem. hæc illa exinanitio dexte
„ ræ altissimi. quare exinantitio non mutationem in eo fa-
„ ctam significat, apage, sed potius renouationem in nobis
„ per exinanitionem, quam donauit nobis, qui se exinani-
„ uit. Spiritus sanctus effusus super omnem carnem manet
„ plenus; & sanguis item sanctus, ac viuificus ex profundo
„ diuini lateris effusus manet plenus; & Christus item, qui
„ se exinaniuit, & sanguinẽ suum incorruptibilẽ, & viuum,
„ ac viuificum nobis effudit. hactenus Dionysius. Dic Volane, quomodo fecit Christus potentiam in brachio suo in hac exinanitione facta in sacramento corporis sui, vt eum capere possemus, de qua Dionysius nunc disserit, & locum Apostoli ad Philipp. interpretatur, si nullum miraculum ibi fit, vt vos, quia nõ creditis, iactatis impie? Rursus, si præter panem ibi nihil est, excepta, nescio qua dignitate pa-

nis ad exhibitionem corporis Christi per fidem sumenti illum secundum disciplinam vestram, vt qui eam fidē habeat, etsi ore non manducet in sacramento carnem Christi, spiritu tamen manducet; si ita est, quæ leges naturæ cedunt hic, vt potentia diuini brachij opus sit, sicut magnus auctor Dionys. contra hæresiarcham Samosatensem disputans ait? quia enim aiebat Paulus Samos. Christum hominem tantum esse, obijcit illi Dionys. hoc, quod Apost. dicit, exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens, ete-
„ nim si exinaniuit se, non erat igitur inquit, natura vilis,
„ & seruus, sed natura dominus; qui enim dominatur, ser-
„ uiendo facit exinationem sui. Vrgebo ergo iterum, quod paulo ante, si tuum sacramētum natura panis est, vt est, & dignitatem istam tuam, quam dicis, acquirit, vt fiat sacramentum, Christus vero ipse nullā formam, siue speciem vilem induit, sed manet extra sacramentum in sua specie, quomodo in eo exinaniuit se? quomodo Apostolum mendacem facis? negabis fortasse istam exinanitionem, quam dicimus, & locum Apostoli de sola exinanitione in cruce expones, non reprehēdo eos, qui sic interpretati sunt, qui sunt fortasse non pauci chatolici, quos laudo, & probo; qui cum exinanitionem istam in sacramento Eucharistiæ factam catholice confiteantur, nihil refert, si de ea locum Apostoli non interpretētur: contra te vero, & cæteros Caluinianos, qui eam negatis, locum Apostoli sic esse interpretandum contendo, non solum auctoritate Dionysij contra hæreticum disputantis, quæ maxima est, & beati Hieronymi grauissimi auctoris, qui nunquam hanc Dionysij epistolam admirabilem vocasset, nisi perlegisset; neque tantæ laudis pręconio affecisset; nisi huius loci interpretationem, quæ insignis, & illustris in ea est, cum cæteris probasset: sed quod plus est, ipsa vis verborum, quam Dionysius obseruauit hic, & ipsa antecedentium, ac consequentium ratio hoc suadet, immo efficit. interpretemur ergo, quæ paulopost subiungit idem Dionysius Alexand.
„ interpretationem loci prosequens, formam igitur, inquit,

De interpretatione loci Apostoli epis. ad Philipp. de exinanitione Christi in sacramēto Euc. contra Paulum Samos. & Caluinianos.

H seruí

serui accipies Christus Iesus dominus, & Deus Apostolorum, cœna facta surgit a cœna, & ponit vestimenta sua: & cum accepisset linteum, præcinxit se; hæc est forma serui, qui erat natura dominus, non natura seruus, qui sumpsit habitum serui in similitudine hominum; hoc dicit, quia non est vnus solus in mundo, qui lauat pedes domini, sed multi: ne igitur existimaretur assumpsisse personam serui, subiungit numero multitudinis, in similitudine hominum factus; & paulopost, deinde, inquit, subiungit Apostolus, humiliauit semetipsum: vides, quomodo humiliat se? seruus non humiliat se, sed dominari in seruum facit, vt seruiat, sicut Pharao Israelem seruire coegit. hic dicit, quod seipsum humiliauit: quare non relinquitur via blasphemis ad negandum hoc dictum; reuincit enim eos qui humiliauit semetipsum vsq; ad mortẽ, factus ὑπήκοος vsque ad mortem, se enim flexit Deus, & exaudiuit preces supplicum suorum, & inclinauit cælos, & descendit, vt liberaret nos tanquã Deus, & dominus gloriæ Iesus Christus; quia exaudiuit sanctos suos, & vsq; ad mortẽ descendit, vt saluaret nos. hactenus Dionys. diuinus interpres scripturæ sanctæ. Itaq; quia Apostolus Philippẽses hortabatur, vt nihil per contentionem, & inanem gloriam facerent, sed in humilitate superiores sibi inuicẽ arbitrarentur, nõ quæ sua essent singuli considerantes, sed quæ aliorum, ad contemnendam inanem gloriam, & amplectendam humilitatem, & non suam sed aliorum vtilitatẽ procurandam, duo admiranda, & stupenda exempla proposuit Apostolus duplicis exinanitionis Christi postquã factus est homo; vna est, cum se dedit sub vili specie panis, & vini manducãdum, cum qua coniunctum fuit officium serui, & exemplum lauandi pedes, & illud, quod dixit, si ergo ego laui pedes dominus, & magister vester, debetis & vos alter alterius lauare pedes; quod satis cum eo conuenit, quod ibidem dixit Apostolus, sed in humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes. altera exinanitio fuit, quod in cruce pro nobis mori voluit, de qua statim subiũ

git

git idem Apost.& in similitudine hominum factus humiliauit semetipsum factus obediēs vsq; ad mortē, mortem autem crucis. Illius exinanitionis prioris in mystica cœna Methodius quoque martyr auctor grauissimus meminit in symposio decem virginum, vertam e græco, non enim inquit, potest ecclesia aliter concipere credētes, & per lauacrū regenerationis regenerare; nisi etiā propter ipsos Christus seipsum exinaniens, vt capi possit, rursus κατὰ ἀνακεφαλαίωσιν, τοῦ πάθους, idest, secundum commemorationem passionis patiatur descendens e cęlo; & suæ vxori adhęrescens, præbeat se, vt ex ipsius latere virtus hauriatur; vt in eo crescant, quicumque in eo ædificati sunt, qui sunt per lauacrum regenerationis geniti. de hac exinanitione ait beatus Aug. psal. 33. nisi humilis esset, neq; manducaretur, neq; biberetur. hanc quoque exinanitionem beatus Franciscus in quadam sua ad fratres exhortatione vocat humiliationem, ecce inquit, quotidie humiliat se, sicut quando à regalibus sedibus venit in vterum virginis: quotidie venit ad nos ipse humilis apparens, quotidie descēdit de sinu patris super altare in manibus sacerdotis. Cyrillus Alexand. hanc exinanitionē vocat συγκατάβασιν, idest, condescensum in sermone suo eruditissimo de cœna dominica, & lauatione pedum. Sic enim ait, sapientia, quæ per se subsistit, corpus suum veluti panem distribuit, & sanguinē suum viuificū velut vinum, deinde subiungit, ὢ μυστηρίου φοβεροῦ, ὢ οἰκονομίας ἀφράστου, ὢ συγκαταβάσεως ἀκαταλήπτου, ὢ εὐσπλαγχνίας ἀνεξιχνιάστου, o tremendum, inquit, sacramentum, ò dispensatio inexplicabilis, ò condescensus, qui comprehendi non potest. ò misericordia non vestigabilis. ergo in cœna dominica Volane, non potest esse figura tantum corporis, & sanguinis Christi. in signo enim, & figura tantum, non exinanitur Christus manens alioqui plenus; neque condescensus est, vbi non est humiliatio; neque rursus humiliatio, vbi non est exinanitio. in tuo ergo signo siue figura Volane, non se exinaniuit Christus, sed euanuit potius, atq; ita phantasma habes pro sacramen-

De exinanitione Christi in sacramēto meminerunt preter Dionysiū Alex. Methodius martyr, August. Cyrill. Alex. S. Francisc.

Secundum disciplinā Caluini Christus nō exinanitur in Sacramēto Euch. contra scripturā, & sanctorum patrum auctoritatem.

Caluiniani quo modo phantas-

ma pro sacramento habeant.

cramento. & velut nouus Iudæus vmbram pro veritate. age, cur ecclesiæ inuides tãtam Dei misericordiam, dispẽsationem, & cõdescensum, vt paulo ante aiebat Cyrillus? immo cur inuides Christo ipsi gloriam ex ista exinanitione? vt enim per exinanitionem in morte crucis factã gloria, & honore, sicut Apostolus ait, coronatus est à Deo patre, sic etiam glorificatus est a Deo per exinanitionem in sacramento Eucharistiæ, vbi est ἀνακεφαλαίωσις τ̃ πάθους, idest, recapitulatio, vt ita dicam, passionis, vt Methodius martyr paulo ante dixit, siue ἀνάμνησις, vt vocat euangelium, idest, rememoratio. dixi supra, vtramq; glorificationem ex vtraq; exinanitione à Paulo notata secutam, notasse Ioannem in euangelio suo, cum celebrato illo sacramento corporis sui, & egresso Iuda ad perficiendum opus suum dominicæ proditionis, narrat continuo dixisse dominum, nunc clarificatus est filius hominis, & Deus clarificatus est in eo; deinde subiungit in futuro, & Deus clarificabit eum in semetipso, & continuo clarificabit eũ. Vos ergo dũ Christũ negatis dedisse nobis πραγματικῶς, idest, realiter carnem suam in sacramento Eucharistiæ sub specie panis, & vini ad verè manducandum, & verè bibendum in salutem animę, Christum gloria sua spoliatis, & inexplicabili misericordia, ac diuinæ, & obstupendæ dispensationis prouidentia, ac condescensu supra omnem intelligentiam, quę beatus Cyrillus paulo ante in hoc magno sacramento admiratus est. Dices fortasse hyperboles esse, qui tantam Dei misericordiam, & in nos charitatem ferre non potes, ne leges naturæ, vt dicis, violentur. Sed videamus de hyperbole. erat quidem in ancillis Iob hyperbole amoris erga eum, cum aiebant, quis daret nobis de carnibus eius saturari? valde me vtili existẽte, sic enim est apud 70. Significat enim hyperbolice, idest, superlate nimium amorem, estq; sumptũ ab ijs, qui deosculãdo quem amant, ita infigunt ei labra, & os, quasi carnem eius manducare velint. at mãducare præ nimio amore carnem viuificãtẽ eius, qui eam potuit dare nobis, & pro

Christus & per passioné in cruce glorificatus est, & per exinanitionem in sacramento.

Iob. 31.

pro nimia ſua in nos charitate, ac bonitate dedit, non eſt hyperbole, ſed miraculum; quod omnem admirationem ſuperat. Si concedis potuiſſe dare, & hoc propriis verbis dixit, inquiens, niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, nõ habebitis vitam in vobis, cur negas miraculum tanti, & tam ſtupendi beneficij, vnde tam illuſtris gloria ad Chriſtum redundat, & tanta ad genus humanũ vtilitas? & quid aliud eſt hoc, niſi inuidię ſatanæ miniſtrare? dices fortaſſe carnem iſtam viuificam ſine miraculo vllo, ideſt, ſaluis legibus naturæ, & elementorum, vobis per fidem, ſumpto veſtro ſacramento, ideſt, pane communi, exhiberi per ſpiritualem adiunctionem Chriſti ad ſignum externum, ita enim in tuo myſterio philoſopharis: etſi hoc ſæpe in ſuperioribus cõfutatum eſt, redarguamus tamen adhuc auctoritate euãgelij; ſicut, inquit, miſit me viuẽs pater, & ego viuo propter patrem, & qui manducat me, & ipſe viuet propter me. ideſt, ſicut à Deo factus ſum homo, ſicut ſcriptum eſt, ſpiritus. S. ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi; non enim ſunt operationes patris, & filij, & ſpiritus. S. diuiſæ, & factus homo, viuo propter patrem, nõ tanquam factus particeps vitæ, ſicut nos, ſed tanquam proprietate patris, vt ait Cyrill. naturaliter tranſeunte ad eum, vt ad filium ex ipſo patre ſubſtantialiter exeuntem, proprietas enim patris eſt viuere; ſic igitur, inquit Cyrillus, qui manducatione carnis meæ me recipiet, ait dominus, viuet propter me totus ad me reformatus, qui viuificare poſſum; quoniam ex viuo patre ſum. Age nunc Volane, ſi comparationem, quã dominus fecit, ſuſtinere vis, neceſſe eſt, vt ſicut Chriſtus ſubſtãtialiter eſt ipſa vita ex patre, ſic in homine Chriſtũ manducante, vnde manducans viuificatur, ſit id, quod eſt ipſa vita; hoc autẽ non eſt, nec eſſe poteſt figura, ſiue ſignũ Chriſti, ideſt, nõ poteſt eſſe ſacramẽtũ panis tui, quia panis tuus non eſt ipſa vita ſubſtãtialiter, ſed ſecundũ tuũ Caluinum vita σχετικῶς ideſt, ſecundum habitudinem fidei. vita autem ſubſtantialis, & vita per gratiam, & participatio-

Quomodo Caluiniani negantes carnẽ Chriſti in ſacramento gloriã Chriſto, & humano generi beneficiũ ſingulare ſatanice inuidẽt.

Quomodo ſecta Caluini auctoritate euangelij Ioan. coarguitur, & reuincitur.

cipationem spiritus secundū habitudinem fidei nō sunt ὁμοφυᾶ idest, vnius naturæ, & conditionis, & ideo comparari non possunt. Restat igitur, vt si istud tuum sacramentum sustinere velis, dominum facias mēdacem, qui dixit, sicut ego missus à patre, idest, factus homo viuo propter patrem, sic qui manducat me, & ipse viuet propter me: falsum, inquam, facis hoc, quia Christus est essentialiter ipsa vita ex patre naturaliter exiens; vnde vitam præstat aliis, per se; figura autem corporis Christi, quam tu manducas, non est vita ipsa, & ideo non potest mãducanti vitam per se præstare. Vt enim ait beatus Hilarius hunc ipsum locū interpretās, vt superius dictum est, » omnis comparatio ad » intelligentiæ formam præsumitur, vt id, de quo agitur, se- » cundum propositū exemplum assequamur. Sed quia hactenus, quantū tempus, & modus libri patitur, nostra probauimus, sequitur, vt tua, quæ obiicis deinceps refellamus, vt euulsis radicitus zizaniis, quæ inimicus homo, sicut est in euangelij parabola, super seminauit, semen veritatis in terra cordis tui à nobis hactenus satum, non suffocetur.

Quomodo cogitur mendacē facere Christū, qui hęresim Caluini negantis carnē Christi in sacramēto sustinere uult.

Responsio ad id quod Volanus obiecit, Christū quod de mãducatione corporis sui in euangelio Ioannis prolixe disseruit, ad fidem retulisse, quia dixerat prius, amen amen dico vobis, qui credit in me, habet vitã æternam. explicatur ratio exemplis scripturæ, quare de fide prius meminit Christus, quàm de sacramento Eucharistiæ dissereret. item responsio ad id, quod secũdo loco obiecit ex Aug. vt quid paras dentes, & ventrē, crede, & manducasti: & ibi de duplici cibo fidei & operum fidei, et de cibo ex carne Christi. item responsio ad tertiam obiectionem ex libro 3. Aug. de doctrina christiana, carnem Christi edere, & sanguinem eius bibere idem esse, quod passioni Christi per fidem communicare. item responsio ad alia quę quarto loco obiecit.

Cap. XII.

QVate, & si videri poteram, de veritate corporis Christi in sacramento sanctæ Eucharistiæ contra figuram tuam satis superq; hactenus disseruisse, tamen ne forte glorieris non esse tibi responsum, tum ad

ea,

ea, quæ obiicis, tum etiam ad ea, quæ ad rationes tibi à Petro Scarga obiectas respondisti: cogor ad omnia ordine respondere, sed id faciam breuissime, ita tamen, vt nullum deinceps refugium, nullus elabendi locus tibi relinquatur, nisi eodem reuolui velis, vt soles, qui est omnium hęreticorum mos. nihil enim noui produces, vt catholici semper alia, & alia, & infinita in vos proferunt, & semper nouis vinculis vos astringunt. prius igitur, quàm aggrediaris respondere Petro Scargæ ad quæstionem de transubstātiatione, quod primo loco tibi proposuisti, vt manducationē tuam spiritualem per solā fidē probes, sic ais.

» Et Christus hunc modum corporis sui mãducandi nos » docuit; cum quod de manducatione corporis sui mandu- » candi prolixe disseruit, ad fidem retulit. ita enim locutus » est dominus, amen amen dico vobis, qui cōfidit mihi, ha- » bet vitam æternam, & iterum, ego sum panis vitæ; qui ve- » nit ad me, non esuriet; & qui credit in me, nō sitiet, hactenus tu. Non dissimulabo hic; quod illud, πιστεύων εἰς ἐμὲ, in vno loco vertis, qui confidit in me, in altero, qui credit in me; quasi idē sit credere, & confidere, quæ est magna ignorantia, & contra sacram scripturam, vt aliàs in libris meis æditis demonstraui. omitto hoc studio breuitatis. nunc ad rem. ignoras Volane, quare dominus de fide, idest de credendo in eum non semel, sed sæpius hic meminerit, cum vellet prolixe de manducatione corporis sui disserere; quod ea ratione fecit, qua Esaias, cum vellet prædicere miraculum incarnationis, inquiens, propter hoc dabit dominus ipse vobis signum, ecce virgo concipiet, & pariet filium, ad hoc signum, quod fidem ad credendum postulabat, retulit, quod prius quasi vice proœmij dixit, nisi credideritis, non intelligetis. Vnde, cum virgo, angelo incarnationem verbi in vtero eius nunciante, non intelligeret, quomodo hoc fieri posset; quoniam virum inquit, non cognosco, statim vt audiuit, spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, credidit; ecce inquiens, ancilla domini, fiat mihi secundum verbum tuum;

Prima obiectio

Quare dominus cum vellet disserere copiose de sacramento corporis sui, toties prius de fide, & de credēdo meminit. quod Caluiniani intelligere nolunt, quia nolunt credere.

tuum;quod cognata eius Eliſabet eidem gratulata eſt,cū dixit, & beata, quæ credidiſti, quoniam perficientur ea, quę dicta ſunt tibi à domino;ſcilicet,quod conceptura,& paritura erat filium Dei.Sic poſt illam Iudęorū inter ſe diſceptationem,cum aiebāt,quomodo poteſt hic nobis dare carnem ſuam ad manducandum?& poſt illam domini affirmationem, quam ſubiungit eorum diſceptationi inquiens, amen amen dico vobis, niſi manducaueritis carnem filij hominis,& biberitis eius ſanguinem,non habebitis vitam in vobis;qua ſignificabat,vt antea dixi,non ſolum hoc, de quo litigabant adinuicem dicentes, quomodo? non eſſe impoſſibile,ſed neceſſarium; & cum adhuc multi ex diſcipulis eius audientes hoc, dicerent, durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire; (non enim poterant intelligere,quomodo caro Chriſti māducata viuifica eſſet) tunc dominus res aperuit, inquiens,verba, quæ ego loquor ſpiritus,& vita ſunt; ſpiritus eſt,qui viuificat,caro non prodeſt quicquam.vt enim corpus Chriſti non aſcendebat in cęlū niſi virtute diuinitatis verbi, cuius propria erat facta caro aſſumpta,ſic caro ſanctæ Euchariſtiæ,ex diuinitate,cum qua vnita eſt hypoſtatice,habet, vt ſit viuifica.Deus inquam per carnem illam ſuam pręſtat vitā manducāti. Hoc qui nō crediderunt multi ex diſcipulis eius; abierunt retro,& iam nō cum illo ambulabant, vt vobis accidit Caluinianis, Zuinglinianis, & Berengarianis; ſeu quo alio nomine vocamini.Cum autem conuertens ſe ad
„ duodecim interrogaret, numquid, & vos vultis abire, reſpondit ei Simon Petrus nomine Apoſtolorum, domine
„ ad quē ibimus?verba vitæ æternę habes;& nos credimus, & cognouimus, quia tu es Chriſtus filius Dei. En Volane, ſicut Virgo poſtquam audiuit, ſpiritus S. ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi,ſtatim credidit myſterium incarnationis, ſic S. Apoſtoli poſtquā audierunt; quę ego loquor,ſpiritus, & vita ſunt; ſpiritus eſt, qui viuificat,caro non prodeſt quicquam,ſtatim crediderunt carnem Chriſti manducari,& viuificare poſſe non per ſe, ſed per

Sicut Virgo poſt quā audiuit ſpiritus S.ſuperueniet in te, ſtatim credidit incarnationis uerbi myſteriū, ſic apoſtoli, poſtquā audierunt, quæ ego

per virtutem verbi Dei vniti cum ea. iam ne intelligis Volane, quorsum, cum vellet dominus differere prolixe de „ hoc magno sacramento corporis sui manducandi, toties „ de credendo in eum meminerit? sine fide enim neque cō „ ficitur hoc sacramentum; neq; confectum, & sumptum, si „ ne fide ad vitam proficit sumenti. Quomodo igitur non oportebat, immo necessarium erat, antequam de eo disserere aggrederetur, fidem poscere? fidem dico ad credendum hoc magnum, & obstupēdum miraculum mutationis cibi terreni in carnem domini viuificam per superuenientem virtutem spiritus. S. sicut poposcit à Virgine ad credendū miraculum mysterij incarnationis, quod Es. vocauit signū. Vos vero negato signo obstupendo, & glorioso miraculo sacramenti corporis Christi fidem illam miraculi ad māducationem spiritualem per fidem transfertis. ita fit, vt hic locus à te citatus, qui credit in me, habet „ vitam; & iterum, ego sum panis vitę, qui venit ad me, non „ esuriet, & qui credit in me, non sitiet, alijs sit odor mortis „ in mortem, idest, vobis sacramētarijs, sicut Apost. ait; alijs odor vitæ in vitam, idest, catholicis: vobis enim positus est Christus in ruinam, & in signum, cui contradicitis.

loquor spiritus, & vita sunt, & illud spiritus est, qui viuificat, sacramentum cibi viuifici crediderunt.

Obijcis secundo illud Aug. in Ioan. tract. 25. quid paras dentes, & ventrem? crede, & manducasti. etsi ad hoc satis responsum erat Petro Martyri magistro tuo ab Stephano episcopo Vintoniense, quia tamen, non te pudet idem iterum obijcere, cum debuisses saltem prius, quod semel responsum erat, refellere, si non placebat; de integro respondemus: rectè dixit Hilarius, intelligentiam dictorum ex causis esse sumendam. Ergo quia audierat turba, operamini cibum, qui non perit, quod quidem perinde erat, vt si dixisset, facite opera digna cibo non pereunte, sed permanente: sicut n. de cibo corporali dixit Apost. in eos, qui apud Thessalonicenses laborare nolebant, qui non laborat, idest, qui non facit opus, non māducet; quia scilicet non est dignus cibo, sic hoc loco dominus ad opera Dei, quæ sunt opera fidei, hortabatur, vt cibum, qui per-

Obiec. 2. Quomodo quod Aug. dixit ut quid paras dentes, & uentrem, de cibo fidei, & operum dixerit ipso Aug. interprete.

maneret in vitam æternam,caperent. quod cum illi intelligerent,inquiunt,ad eũ,quid faciemus,vt operemur opera Dei? respondit Iesus, & dicit, hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quem misit ille: Subiungit Aug. hoc est ergo manducare cibum non qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, scilicet credere, idest, habere fidem, quæ per dilectionem operatur, vt ibidem idem Aug. interpretatur. de huiusmodi igitur cibo fidei,& operum fidei,quibus fit volũtas Dei, qui dixit, cibus meus est,vt faciam voluntatem eius, qui misit me,vt perficiam opus eius,loquitur hic Aug. cum ait,vt quid paras dentes, & ventrem?crede,& manducasti: de cibo enim agitur nunc fidei. à cibo itaque fidei, & operum fidei progressus est dominus veluti per gradus ad cibum ex carne sua, de quo disserit idem Aug. proximo tract. 26. inquiens, qui manducat meam carnem, & bibit meũ sanguinem,in me manet, & ego in eo. & subiungit, hoc est ergo manducare illam, escam, & illum bibere potum, in Christo manere, & illum manentem in se habere;ac per hoc, qui non manet in Christo,& in quo non manet Christus,procul dubio non manducat spiritualiter carnem eius,neq; bibit eius sanguinem,licet carnaliter,& visibiliter premat dentibus sacramẽtum corporis, & sanguinis Christi. non dixit, non manducat carnem eius,sed non manducat spiritualiter carnẽ eius,idest veram carnem spirituali fructu;neq; dixit,hoc est ergo mã ducare illam escam per fidem, sed hoc est manducare illam escam, & illud bibere potum,in Christo manere,& illum manentem in se habere.

Quomodo dominus in euangelio Ioannis à cibo fidei, & operum fidei, ac doctrinæ,ad cibum ex carne sua, de quo disserere uolebat, quasi per gradus progressus est.

Nec hic dixit in Christo manere per fidem tantum, & Christum manentem in se per fidem tantum habere; sed manere in eo,scilicet tanquam in cibo,& in se manentem eum habere tanquam cibum,manentem inquam non solũ spiritualiter,sed corporaliter. sicut S. Marcus Anachoreta perantiquus auctor,& magna in sanctis scripturis peritia, loquens de huius magni sacramenti mãducatione, sicut vinum, inquit,cum bibente miscetur,& qui bibit est

„ in vino, & vinum in eo, sic, inquit, sanguis Christi misce-
„ tur cum bibente; idem dicendum est de carne.

Obijcis tertio, & in libro de doctrina Christiana figuratum hunc Christi agnoscens esse sermonem, carnem eius edere, & sanguinem eius bibere idem esse dicit, quod passioni Christi per fidem communicare. habes in extremo „ tertię partis libelli Petri Scargæ, ad te misi responsum; & „ ratio pudoris ac boni ingenij postulabat, vt si satis respō „ sum esse putabas, non repeteres: Sin vero non putabas, re- „ sponsionem redargueres. Sic enim ab ingeniosis, & moratis fieri solet. respondit tibi Petrus, de ea manducatione carnis locutum esse Aug. in 3. libro de doctr. Chri. quam illi Iudæi cogitabāt in propria specie carnis, & sanguinis; „ Cum ait, si autem flagitium, aut facinus videtur iubere, lo- „ cutio figurata est; nisi manducaueriris carnem filij homi- „ nis, & saguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis; facinus, & flagitium videtur iubere, sed quibus videtur hoc? nempe illis, qui tunc manducationem illam cruentam cogitabant, vt nunc tibi Volane, & reliquis tuis condiscipulis flagitium quoq; videtur, carnem Christi ore mā ducare in sacramento. vobis igitur erit figurata locutio, vt illis fuit. Si Petro Scargæ, qui tibi optime responderat, non credis, crede Augustino, qui in comment. psal. 33. tibi ita esse, scilicet manducationem carnis Christi in sacramento non esse figuratam, tam aperte dicit, vt tu non sis ausurus amplius cōtradicere, nisi te magis, ac magis ipse refellere, & redarguere velis. Sic enim ait, quasi vice prooemij, cū vult accedere ad illum 33. psalmi versiculū, gusta- „ te, & videte; aperte modo de ipso sacramento vult dicere, „ quod ferebatur in manibus suis, gustate, & videte, & quæ „ sequuntur, & paulopost, nō ne videtur insania, manduca- „ te carnem meam, & bibite meum sanguinē, & quicunq; „ non manducauerit carnem meam, & biberit sanguinem „ meum, non habebit in se vitam? quasi insanire videbatur; „ sed regi Achis insanire videbatur, idest, stultis, & ignorā- „ tibus. habes supra reliqua, quæ ad hunc locum pertinēt,

Obiecti. 3.

Quibus sit figuratus sermo ille nisi manducaueritis carnem filij hominis, &c. & quibus, nō interprete eodem Aug.

ne eadem repetamus.

Obiect. 4. Explicans deinde Volane, rem sacramenti, quæ non ap
» paret foris, sic ais, interna vero, & cęlestia nullis sensibus
» sunt exposita, ac ꝓpterea nō ore carnali, sed solo spiritu,
» hoc est, fide manducantur. deinde subiungis ad pro-
» bandum hoc, hoc enim, & Christus ipse docuit, vti supe-
» rius est demonstratum. nunquam hoc demōstrasti; immo ego demonstraui tibi, Christum docuisse in euangelio, carnem Christi in sacramento Eucharistiæ manducari; & interprete etiam Augustino te ad Achis familiam pertinere iuxta interpretationē nominis, quod significat, quomodo? Scio nunquam elabi poteris; & si responsionem vnquam tentabis, magis, ac magis ipse te redargues, & rationes nostras nolens, & nesciēs arctius astringes. Subiun-
» gis postea, & præcipui quiq; in ecclesia Christi scriptores,
» sanctiq; patres vnà cum beato Aug. ita senserūt. Vbi sunt Volane isti præcipui quiq; scriptores, sāctiq; patres, quos iactas? cur eos taces? Dicam ego, quia producti sunt à Petro Martyre magistro tuo lōga serie, quos sic ille interpretatur, vt tu Augustinum. Sed respondit ad omnia Stephanus episcopus Vintoniensis; & tuum, & diaboli martyrē, redarguit, & de mendosa interpretatione conuincit. responsiones Stephani debebas tu Volane refellere; siquid
» reperiebas ad refellēdum. Subiungis, & Augustinus in ser
» mone ad infantes in hæc verba loquitur, quod vidistis pa-
» nis est, & quę sequuntur vsque ad illud, quod videtur, spe-
» ciem habet corporalem; quod intelligitur, fructum habet
» spiritualē. hoc postremū tuus Martyr, quia minus verbosus quàm tu, esse voluit, ex toto illo loco satis esse putauit ad obiiciendum; inde enim conclusit ille, ergo sensui datur panis, & vinum; intellectui gratia, & donū. Petro Martyri satis responsum est à Vintoniensi. Clarius concludis tu, Sic enim subiūgis, quo in loco apertissimis verbis testa
" tur August. in sacramētis ita signa cum rebus esse coniun
" cta, vt semper sit aliud, quod sensibus percipitur; aliud
" quod fide sola apprehenditur. illud, quod Augustinus di-

cit,

cit in sacramēto intelligi, & fructum habere spiritualē, tu de tuo cerebro, & de Caluini phantasia interpretaris fide sola apprehēdi. Vbi hoc dicit Augustinus? profer vnū tantū locum. Vnde ex Augustino elicis istā apprehensionem per solam fidem? vnde nata est ista insana verborum forma cōtra Apostolum, qui ait, formam habe sanorum verborum, quæ ex me audisti? Quis ex patribus sanctis, quos paulo ante iactabas, vsus est ista forma verborum? Si nullū potes producere, erubesce Volane, & desine mēdacijs seducere corda innocentium. Demonstraui paulo ante in extremo loco ex euangelio Ioannis, cum ait, sicut misit " me viuens pater, & ego viuo propter patrē, & qui mandu" cat me, & ipse viuet propter me, necesse esse carnē Christi " esse substantialiter in sacramento, quod sensibiliter manducatur; nisi velis Christum mendacem facere, & cum Arianis contra vnitatem substantialem patris, & filij sentire. ad similem locum à te in epistola tua ad Petrū Scargam obiectū ex psal. 98. respondit idem Petrus, non hoc " corpus, quod videtis, manducaturi estis: & bibituri illius " sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent; sacra" mentum aliquod commendaui, spiritualiter intellectum " viuificabit. ad responsionem aduersarij tui respondere de" bebas, si poteras; sed quia non potuisti, neq; vnquā poteris, caute dissimulasti; vt pergas decipere eos, qui te sequuntur seducti: neque te pudet, idem denuo obiicere.

Christum in sacramento sola fide apprehēdi nec Augustinus ut Volanus fingit, nec ullus unquā ex anti quis patribus dixit.

Responsio ad illud quod ex Aug. cōtra Maximum Arianum obiecit Volanus, in sacramentis, non quid sint, sed quid ostendant, attenditur; & ibi de duplici genere sacramentorum. item responsio ad illud quod ex Irinæo obiecit: & quomodo ex eo, quod ait Irinæus Eucharistiā constare ex re terrena & cælesti, Volanus a suo teste redarguitur. & de panibus propositionis, comparatis cum pane sacramentali hæreticorum ad redarguendum eos. item responsio ad id quod obiecit ex libro institutionum Rabani: & quomodo testimonium productum in Volanum retorquetur, & alio testimonio eiusdem testis reuincitur: et quomodo qui a philosophia naturali argumenta cōtra transubstantiationem petit, ab eadem Philosophia redarguitur: et quomodo transubstantiatiō nō est metamorphosis, sicut protestantes dicunt.

Cap. XIII.

Obiect. 5.

OBiicis pręterea ex August. contra Maximum Arianum, in sacramentis non quid sint, inquit, sed quid ostendant, attenditur; quoniam signa sunt rerum alius existentia, & aliud significantia. hanc quoque obiectionem à Petro martyre mutuatus es. ad quam ita respõdit Stephanus, vt mirer te non veritum esse, ne idem tibi responderetur, quod illi responsum est; scilicet, hæc Augustini verba è suo loco mota, & artificis scelere ad calumniam aptata, vt negotium Eucharistiæ facessant, impudenter citata, & prolata esse veluti apud concionẽ populi ementita. ita Petro martyri, & nunc tibi ille episcopus eruditus respondit. Sed vt intelligant, qui hęc lecturi sunt, quàm aliena à proposito tuo sint ista, quæ citasti, recitemus locum August. exponens locũ epis. Ioan. tres sunt, inquit, testes, spiritus, aqua, & sanguis, & hi tres vnũ sunt, ne forte dicas spiritum, aquã, & sanguinem diuersas esse substantias, & tamen dictum esse, tres vnum sunt, propter hoc admonui, ne fallaris, hęc sacramẽta sunt, in quibus nõ quid sint, sed quid ostendant, semper attẽditur, quoniã signa sunt rerum, aliud existentia, & aliud significantia. si ergo illa, quę his significantur, intelligũtur, ipsa inueniuntur vnius esse substãtię: tanquam si dicamus, petra, & aqua sunt, volẽtes per petram significare Christum, & per aquã spiritum .S. hactenus August. Quid hæc ad rem propositam? non dixit August. sacramenta sunt, in quibus, &c. quasi de sacramentis ecclesiæ, ex quorum numero est Eucharistia, quam Dionys. vocat sacramentum sacramentorum, & quam inuocat, cum de ea disserit, quia confitebatur cum ecclesia catholica, Eucharistiã esse Christum; sed dixit, hęc sacramenta, id est, huius generis sacramẽta, quale sacramentum erat in Petra, quæ Christum significabat, & in nube, quæ spiritum .S. & in mari, quod aquam baptismi. Deinde quęcunque sunt signa rerum aliud existẽtia, & aliud spiritualiter significantia, sacramenta quędã sunt.

De quo genere sacramentorum dixit Aug. attendi in illis non quid sint, sed quid significent.

„ ſunt. in huiuſmodi genere ſacramentorũ ſemper, inquit „ Auguſt. attenditur, non quid ſint. ſed quid ſignificent, vt „ ſacramentum petrę eſt ex qua Moyſes aquam elicuit,& ſa „ cramentum maris, quod Iſraelitæ tranſierunt, demerſis „ Aegyptiis;noſtrorum vero ſacramẽtorum,quę in eccleſia habemus, aliud genus eſt longe diuinius,nullo modo cũ illis conferendum. ex quibus ſacramentum Euchariſtiæ Chriſtus ipſe eſt ſub ſpecie panis,& vini, quod non ſignificat aliud, & aliud exiſtit,ſed eſt quod ſignificat;per ſymbola enim veneranda ait Dionyſ. in cap. de cõmunione (hæc nos vocamus ſacramenta) ὁ χριστὸς σημαίνεται, καὶ μετέχεται, ideſt, ſignificatur,& participatur Chriſtus. Vide, quid dicat, & quomodo loquatur diſcipulus Pauli, licet tu fortaſſe cũ Lutheranis Dionyſium neges. hoc enim docuit vos Satanas, negare, quæcunq; aliter refellere non poteſtis.

„ Ex Irinæo lib. 4. obiicis panis, inquit, terrenus accepta „ inuocatione Dei, non amplius eſt communis panis, ſed „ efficitur Euchariſtia, quæ conſtat ex duabus rebus terre„ na,& cęleſti. hanc etiam obiectionem ex libro Petri martyris in tuũ tranſtuliſti,credo, ſi potuiſſes,reſponſum Stephani confutaſſes; ſed quia nõ potuiſti, idem repetis diſſimulanter; ſed in caput tuum reuertitur obiectio repetita. irruis enim neque videns, neque ſentiens in tuum pugionem. Age Volane,ſi Euchariſtia ex re cęleſti conſtat, ergo in ea eſt res cęleſtis,quam tu corpus Chriſti eſſe confiteris, alioqui non conſtaret ex illa;ſicut homo ex anima & corpore conſtat, quandiu ex his compoſitus eſt, tanquã ex partibus. rurſus, ſi conſtat ſimul ex re terrena,& illa eſt panis non communis, vt aſſerit Irinæus, & tu item confiteris,igitur eſt ſola ſpecies panis; hęc enim eſt panis non communis, ſicut ſubſtantia panis, communis panis eſt. Dices fortaſſe,non communis panis eſt propter dignitatem ſacramenti;at quanto conuenientius rationi eſt, vt intelligatur panis communis, vel nõ communis ſecundũ naturã, quàm ſecundum dignitatem, vel nõ dignitatem?

Obiect. 6.

Quomodo Volanus ſua in nos ex Irinæo obiectione coarguitur.

Quomodo Calumniani dum ſa

Quomodo Calviniani dum sacramentum faciunt figurã corporis Christi, panes typicos propositionis figuram figurę faciunt, & non figurã ueritatis; atq; ita iterum mendacem faciunt Ioannẽ, qui ait, gratia, & ueritas per Iesum Christum facta est.

panes propositionis, qui quotidie coram domino ponebantur, non erant communes, quatenus erant sanctificati domino, fatemur; sed quia erant communes secundum substantiam panis, licuit Dauid, & socijs in illa necessitate quamuis laicis vesci illis; illi vero panes figura erãt nostri sacramẽti. si ergo tuus panis mystica benedictione sanctificatus, quamuis sit factus non communis, vt tu dicis, propter sacramentum: tamen panis est communis secũdum substantiam, & figura tantum corporis Christi, restat, vt illi typici panes figura figuræ fuerint, & ita iterum mendacem facis Ioannem euang. qui dixit, lex per Moysem data, gratia & veritas per Iesum Christum facta est.

Obiect. 7.

Obijcis deinde Rabanum in libro institutionum, cuius auctoritati vt pondus commendatione tua adiungeres, » cum multa, inquis perspicue secundum verum scripturarum sensum de hoc sacramento tradat, inter cætera sic loquitur, sacramentum ore percipitur; virtute sacramenti interior homo satiatur. Sacramentum enim in alimẽtum corporis redigitur; virtute autem sacramenti æternæ vitæ dignitas acquiritur, & quæ sequuntur in eandem sententiam. & hunc quoq; testem contra te Volane produxisti: si enim virtute sacramenti æternæ vitæ dignitas acquiritur, ergo in sacramento est natura diuina. hæc enim sola habet naturalem potentiã largiendi dignitatem vitæ ęternæ: virtus enim hic potentiam significat, quam Gręci vocant δύναμιν. Vt idem auctor, qui hic dixit virtute sacramẽti, dixit paulopost, sed tamen ipsius sacramenti tanta est dignitas, & potentia. Sed quia non ignoro illam tuã adiũctionem corporis Christi viuifici per fidem ad sacramentum tui panis, vt ad eam amplius non confugias, auctoritate testis, quem producis, & quem tu paulo ante multa perspicue secundum verum scripturarum sensum de hoc sacramento tradere confessus es, te astringam. ipse ergo paulopost loquens de pane, & vino, quæ consecrantur, » hæc autem, inquit, dum sunt visibilia sanctificata, tamen » per spiritum S. in sacramẽtum diuini corporis transeunt.

Testis à Volano contra se citatus.

dic

dic Volane, quomodo transeunt in sacramentum corporis,& sanguinis, si remanet substantia panis, & substantia vini? transeunt, inquies, sua mutata conditione, vt sublimiorem acquirant dignitatem; vt qui fuit ante panis simplex, iam verbi Dei omnipotentia fit corporis Christi sacramentum; hæc sunt tua in alio loco verba; sic tu eludis omnia sanctorum patrum Græcorum,& Latinorum testimonia, in quibus reperiatur mutari, transmutari, transire, transelementari: Sed quæro à te Volane Peripatetice, qui contra nos argumenta à natura, idest, à Philosophis petere soles, si hic fit mutatio, siue transitus, sit ne secundũ quãtitatem, aut secundum locum, aut secundum qualitatem? non enim plures mutationes, siue transitus salua subiecti substantia, siue natura fiunt, vt te docuit princeps Philosophorum in priore libro de generatione. si nullo ex his modo fit mutatio ista, quam patres dicunt,& quos tu male interpretando, neq; quid dicas, intelligendo, eludis, relinquitur, vt à te sit tota conficta; & necesse sit, mutationem fieri circa subiectum, ac proinde naturam, siue substãtiam panis in corpus Christi mutari. respondebis scio, fieri hanc mutationem secundum qualitatẽ dignitatis, quã acquirit panis, at hęc mutatio ἀλλοίωσις est,& dicitur à philosophis, quæ μεταστοιχείωσις, nec est, neq; dici potest, neq; μεταποίησις, vt à sanctis, & antiquis patribus dicta est. age vero si tu in Polonia ad decanatum; aut ad aliam dignitatem esses vocatus,& electus; dicẽdus ne esses μεταποιηθεὶς, aut μεταστοιχειωθεὶς, idest, transmutatus, aut transelementatus? Si ex verbo mutationis per istam panis dignitatem quam dicis, elapsus tibi videris, at ex verbo transmutationis, & transelementationis quomodo elaberis? dices fortasse corrector antiquitatis, nesciisse illius sæculi patres loqui, & nos dicemus nescire te intelligere, neque Græce, neque Latine, quia neque scis, neque vis credere. ego, vt quod sentio, dicam, nihil in tuo libro olfacio nisi inscitiã, & animi obstinationem. illud non possum dissimulare,& si multa alia prętereo, quod legi in libro tuo, hos insignes

Quomodo Volanus Philosophię patronus ratione philosophica, & ui uerborum cõiungitur, & coarguitur de mẽdacio.

” fructus peperit nobis nefanda illa metamorphosis, siue
” transubstantiatio, quam tu tamen Petre propugnandam suscipis. ita doctrinis politus, & litteratus es, vt metamorphosim à transubstantiatione nihil differre existimes? ergò secūdum litteras tuas, quas didicisti, Christus in monte Tabor transubstantiatus est, quia est transfiguratus. & cum vestimenta eius apparuerunt alba sicut nix, mutata fuit vestimentorum substantia, quia mutata forma. disce ergo prius Volane, disce; & postquam didiceris, doce. forma, quæ Græce dicitur μορφή est, vt Damascenus in prolegomenis philosophiæ ait, τὸ ὁρώμενον τοῦ σώματος εἶδος idest
” species corporis, quæ cernitur. proprie autem, inquit, à pa-
” tribus accipitur pro substantia, vt apud Paulum, cum ait,
” qui cum in forma Dei esset, impium est enim formam in
” Deo dicere εἶδος ἤγουν σχῆμα, idest, speciem vel habitum.
”

Qui trāsubstantionē uocat metamorphosim, ut Volanus, consequēs est, ut Christū in mōte Tabor transubstantiatum dicat.

Nostra ergo transubstantiatio Volane, vt discas loqui, non est transformatio, siue metamorphosis, vt tu dicis, quia eadem species, siue figura panis, quæ ante consecrationem videbatur, facta consecratione, videtur. hoc interest, quod prius erat species, & substantia, siue natura panis; postea vero sola species, natura panis in corpus Christi transmutata. Redeo ad Rabanum, quem optandū mihi fuit, vt testem sententiæ tuæ citares tanta præsertim laude à te celebratū; si credis eū perspicue, vt dicis, & secūdum verum scripturæ sensum de hoc sacramento scribere, vt quidem scribit, & vt tu pertinaci obstinatione sustines, corpus Christi per solam fidem manducatur, & non corporaliter, siue realiter, interroga eū, quare in toto eo capite, quod de sacramēto scribit, & quod tu citas, & laudas, nūquam ne semel quidem de fide ista meminerit, neque de ista tua spirituali manducatione? si vel semel de modo tuæ mādụcationis vel minimum quidem verbum, argue me de mendacio. Sed quia tu Rabanum interrogare non potes, cur siluit, interrogo ego te, vt rationem reddas, si perspicue, & secundum verum sensum scripturæ de sacramento scribit, cur quod potissimum est, silentio dissimulat?

simulat? quid dico potissimũ, immo sine quo corpus Christi nõ mãducatur, neq; sãguis eius bibitur; ac proinde neque vita attingit? Sed de hoc tuo teste immo nostro satis.

Non respondebo hic ad conuitia, quæ ex fœtida sentina pectoris in patres cõcilij Lateranẽsis causa ódij exhalandi euomis; & postquam multiplices, & varias de sacramento quæstiones, quę in scholis Theologicis tractari, & disputari non sine fructu solent, ridendi causa enumerasti, subiungis, hæc vero verborum portenta, & insanas curiosi ingenij speculationes non solum cum scripturis sanctis, & mẽte Christi, sed cũ ratione ipsa pugnãtes animaduertere facile quisq; potest. hæc tu, Apostolus dicit, non omnium est scientia, & tu corrector Pauli, audes dicere de iis, quæ sine scientia discerni non possunt animaduertere quisq; potest? ita est hęreticorũ arrogantia; & hoc illis ingenium superba loqui, vt Iudas Apostolus ait. 1. Cor. 8.

Responsio ad id, quod Volanus obiicit, non posse locum habere similitudinem illam mutuæ coniunctionis inter membra Christi, de qua Apost. loquitur, cum ait, quoniam vnus panis, multi vnum corpus sumus, constare, si nullus panis in sacramento percipitur: & ibi quomodo intelligẽdus sit Apostoli locus cum Apostolica constitutione collatus; & de vocabulo speciei, & quid in eo Volanus ignorauerit. item responsio ad locum Aug. ex libro sententiarum Prosperi obiectum, & collatio interpretationis Volani cum verbis Augustini, qua collatione ipsa interpretatio plane conuellitur: & quomodo conuincitur ignorasse Volanum, quæ Philosophus de sensibilibus per se, & per accidens tradit.

CAP. XIIII.

QVod si nullus amplius remanet panis, vt Scotistæ volũt, nulla iã similitudo, nullaq; analogia inter visibilia signa, & res inuisibiles intercedet; ac sic tota vis, & proprietas sacramẽti peribit, neque vero similitudo illa mutuæ coniũctionis inter mẽbra Christi cõstare rectè poterit, de qua Apostolus loquitur, si nullus à fidelibus percipiatur panis, qui hunc nexũ, ac colligationẽ demonstraret. & paulopost, sed fortassis inquies, in accidentibus Obiect. 8.

„ panis iſta omnia rectè repreſentari; quaſi vero ex multo-
„ rum granorum adunatione, quę in vno pane concurrunt,
„ accidentia, & non potius ipſa panis ſubſtantia conſiſtat,
hæc tu. ſed accipe Volane ad id, quod ex Apoſtolo non intelligens, obiicis, & in quo te impudentiſſime iactas, duplicem reſponſionem, alteram auctoritate apoſtolicæ doctrinæ confirmatam, alteram Auguſtini, vt deſinas quaſi Victor exultare in eo, quod non intelligis. Sic ergo apoſtolica doctrina à Clemente Romano litteris mandata lib. 7. cap. 25. docet gratias agere pro ſancta Euchariſtia
» eccleſiæ ſanctę donata, gratias agimus tibi pater noſter
» pro vita, quam nobis per Ieſum filium nobis oſtēdiſti, per
» quem omnia creaſti; & pauloPoſt, tu vero pater omnipo-
» tens; ſicut erat hoc diſperſum, & cōgregatum factum fuit
» vnus panis, ſic congrega eccleſiam à finibus terræ in re-
» gnum. & ſubiūgit; adhuc gratias agimus pater noſter pro
» precioſo ſanguine Ieſu Chriſti pro nobis effuſi, & precio-
» ſo corpore, & quæ ſequuntur. non dixit gratias agimus pro diſperſo, & congregato, ſcilicet ex multis granis, & facto vno pane; quia ſubſtātia vnius panis facti ex multis diſperſis granis non dum eſt ſacramentum, ſed ſignificationem eius myſticam accommodat ad precandum ſimilem eccleſiæ vnionem. idem fecit Apoſtolus in epiſt. ad Cor. priore, cum dixit, vnus panis, vnum corpus multi ſumus; quod perinde erat, quaſi diceret, ſicut enim ex multis granis vnus panis efficitur, ſic nos, inquit, multi cum ſimus, vnum corpus efficimur, quia ex vno pane participamus, ideſt, ex vno corpore Chriſti ſub ſpecie viſibilis panis. tu verò, vt vis huius analogię conſiſtat, neceſſe eſſe puras remanere ſubſtantiam panis, quia, inquis, ex multorū granorum adunatione potius ſubſtantia panis conſiſtit, quàm accidentia, quę ſpecies panis vocantur. Videris Volane ignorare ſpeciem in hoc loco eſſe eorum, quę dicuntur ad aliquid, vt ſimilitudo, effigies, figura; ſpeciem enim panis, vt antea dixi, Cyprianus effigiem vocat, Cyrillus ſimilitudinem, alter Cyrillus Hieroſol. typum, ideſt, figurā; idcirco

Interpretatio loci Pauli, unus panis, unū corpus multi ſumus cum loco apoſtolicę doctrinę Clementis Rom. congruens.

Quomodo qa ignorat Volanus eſſe Verbū ſpeciei eorum, quæ dicūtur ad aliquid, exiſtimat non poſſe analogiā Pauli conſiſtere, niſi panis in ſacramēto remaneat

idcirco ſpecies panis nullo modo ne cogitari quidē poteſt ſine pane, cuius eſt ſpecies viſibilis. Si igitur, qui ſpeciem panis intelligit,& cogitat,neceſſario, velit, nolit, ſimul intelligit,& cogitat panem,quid deeſt, aut deeſſe poteſt, vt analogia conſiſtat, & intelligatur, ac cogitetur? diſce Volane naturā συνεισφερομένων, καὶ συνεπιφερομένων, Sic enim vocant philoſophi, quę ſimul ea,ad quę referuntur, ſecum inferunt,& ſimul cum eis intelliguntur.immo ſi tu aliquid ingenij haberes, qui in nos dicis, quid ergo frontis, aut cordis habuerunt, & quę ſequuntur te, & tuis digna, ex ipſo Auguſt. quem hic prolixe recitaſti, quod dico intellexiſſes;ne enim tu errares, vt erras, quia ſępe nominauerat Auguſtinus panē, ſubiungit paulopòſt, ſicut enim vt ſit ſpecies viſibilis panis,multa grana in vnū conſperguntur, & quę ſequuntur. ecce non dixit panis, ſed ſpecies viſibilis panis: tu proprietatem verbi ignorans, credo, putabas ſpeciem dici, quæ ad genus refertur; aut pro natura accipi; vtrunque vero ridiculum eſt, & hominis neſcientis ſignificare ſpeciem figuram,ſiue formā,quę Græce dicitur μορφὴ, quā, vt paulo ante dixi,Damaſcenus diffinit τὸ ὁρώμενον τοῦ σώματος εἶδος ἤγουν σχῆμα ἐπίερου πρὸς τὴν αὐτοῦ δήλωσιν ἀνενδεῶς ἔχον. formæ, inquit, eſt ſpecies corporis, ideſt, figura quæ videtur, nulla alia re indigens, vt appareat. hanc vocauit Auguſtinus,vt loquendi, & intelligendi peritus, ſpeciem viſibilem panis, vt ſi dixiſſet, τὸ ὁρώμενον, ἢ ὁρατὸν τοῦ ἄρτου εἶδος, ἢ σχῆμα, ἢ μορφήν.

Ad ea, quæ de accidentibus, ſine ſubiecto obijcis eſſe contra ordinem naturæ, & de miraculo, quod in ſacramento negas, reſponſum eſt tibi ſuperius;ſi illa confutabis, ſcripturam ſanctam confutabis, eam enim ſequor in iis, quæ tibi reſponſa ſunt. Obiect. 9.

Accedis deinceps ad refellendum, rationes,& teſtimonia, quibus Petrus Scarga in ſuo ad te libro mutationem panis, & vini in corpus, & ſanguinem Chriſti probat; ac Obiect. 10.
„ primum citatur, inquis, locus ex libro ſententiarum Pro-
„ ſperi,qui ſic habet,nos autē in ſpecie panis,& vini cū vide
mus

" mus res visibiles, carnē, & sanguinē honoramus; neque si-
" militer comprehēdimus duas has species, quemadmodū
" ante consecrationē comprehēdebamus; cum fideliter fa
" teamur, ante consecrationem esse panem, & vinum, quod
" natura formauit; post consecrationem vero carnem Chri
" sti, & sanguinem esse; quod benedictio cōsecrauit. hanc
vero Augustini auctoritatem, & argumentū, quo te astrin
gi, & quidē arcte sentis, vt eludas, sic interpretaris, vt pla-
ne appareat peruersa tua cauillatio: sed videamus inter-
pretationem, Augustinus enim inquis, simpliciter panē,
" & vinum, ante consecrationem perhibet esse; post conse-
" crationem vero corpus, & sanguinem Christi, panem vi-
" delicet illum, & vinum, asserens esse; de visibilibus enim
" elementis panis, & vini loquitur August. quid sint nimi-
" rum ante consecrationem, & quod prædicatum illis atri-
" buatur post consecrationem, ita vt qui ante fuit panis so-
" lus, nunc sit panis ille corpus Christi. tu autem Petre totā
" sententiā Augustini peruertis, & ex propositione August.
" quæ constat ex subiecto, & prædicato, solum prædicatum
" relinquis, subiectum vero tollis. paulo supra Petri argu-
mentum reprehendens, aiebas, plus eum in conclusione
ponere, quàm in præmissis, hic videris dicere minus pone-
re, siquidem, vt tu dicis, subiectum, quod erat in præmissis
tollat in conclusione; suspicor, dicere voluisti, aliud po-
nere in conclusione, pro quo dixisti, plus. Sed hoc tu vide
ris, nunc ad rem. Videamus de ista tua interpretatione,
" conferamusq; eam cum verbis August. nos, ait August. in
" specie panis, & vini cum videmus res visibiles, idest, has
" ipsas species panis, & vini, has enim vocat hic res visibi-
" les, carnem, & sanguinem honoramus, non dixit in pane,
& vino, sed in specie panis, & vini; & ne tu errares, vt qui-
dem non intelligendo, & pessime interpretando erras, ne
inquam errares, si putares, vt falso quidem putas, de alio
loqui eum quàm de eo quod in pane, & in vino videtur
(sola enim species, non substantia panis, & vini in sacra- "
mento videtur per se) non contentus dicere in specie pa- "
nis, &

Confertur interpretatio Volani cū uerbis Aug. ut planè cōmentū peruersę eius interpretationis deprehendatur, & coarguatur.

nis, & vini, addidit, cum videmus res visibiles, res enim vi sibiles in pane, & vino species tãtum sunt, in his igitur in quit, carnẽ, & sanguinem honoramus. necesse est tibi Vo lane, velis nolis, hanc sententiã Augustini in reliquis, quæ sequuntur, tueri, nisi & Augustinum sibi non constantem facere vis, & proprietatem verborum eius negare, quæ ad eliciendum sentẽtias eorum, quæ loquimur, aut audimus, in primis obseruanda est. quis enim nisi penitus litterarũ ignarus dicat, idem significare panem & vinum, & speciẽ panis & vini, niuem & speciem niuis, carnem & speciem carnis; corpus & speciem corporis, si hęc negas, consule auctores latinæ linguæ, quam non ignorabat August. vt tu. Pergamus ad ea, quæ in hoc loco sequuntur, neq; simi liter comprehendimus duas has species, quemadmodum ante consecrationem comprehendebamus, quare non si» militer? explanat subiungens, cum fideliter fateamur, an» te consecrationem esse panem, & vinum, nõ dixit hic spe cies panis, & vini, hę enim post consecrationem remanẽt, sed panem, & vinum quod natura formauit, idest, speciẽ panis cum substantia eius, & speciem vini itẽ cum substã tia vini. natura enim non format speciẽ panis sine substã tia panis, neq; speciem vini sine substantia vini; separari enim speciem panis à pane, & vini à vino supra naturam » est; sequitur deinde, post consecrationem vero carnem » Christi, & sanguinem esse, quod benedictio consecrauit, » repetendum est, fateamur, sed quomodo fatetur post con secrationem carnem, & sanguinem, cum specie ne panis, & vini? an cum pane, & vino? hæc enim differunt, & de hoc quęstio est; ipse idem August. prius explicauit, & qui » dem proprijs, & apertis verbis; cum dixit, nos autem, in » specie panis, & vini cum videmus res visibiles, carnem, & » & sanguinem honoramus, at caro, & sanguis post conse crationem honorantur, ergo post consecrationem caro, & sanguis in specie panis, & specie vini; quæ videntur, & non in substantia panis, & vini, quæ non sunt per se res vi sibiles, honorantur; non igitur Petrus Scarga subiectum

Quod nemo nisi litterarum penitus ignarus dicit idem signi ficare panem & uinũ, & speciẽ panis & uini, ni uem & spe ciem niuis, & similiter in alijs eiusmodi.

sustulit

ſuſtulit ex propoſitione Auguſt. vt tu ais; Sed tu potius, ſiue per ignorantiam, ſiue per malitiam, iudicet Deus, ſubiecto proprio ſublato, alienum ſupponere voluiſti. nemi nem credo eſſe tam ſtupidum, aut tam tardum, niſi quem propria malitia excœcarit, qui hæc quæ dico, non intelligat ita eſſe. Subiungis poſtea, quo te magis ac magis ipſe
" refellas, neque vero loquitur Auguſt. quod tu admetiris
" de tuo, poſt conſecrationem non eſſe amplius panem, ſed
" corpus Chriſti, ſi enim, inquis, nullum panem poſt conſe-
" crationem ſentiret eſſe, vt quid elementa viſibilia extare
" diceret, in quibus caro, & ſanguis Chriſti ſunt honoranda? hic tu elementa viſibilia vocas, quæ Auguſt. vocauit ſpeciem panis, & ſpeciem vini, res viſibiles, in quibus aiebat carnem, & ſanguinem honorari, ſcilicet poſt cōſecrationem; modo quæris Volane, ad quid iſta elementa viſibilia dicit extare, in quibus caro, & ſanguis ſint honoranda? miror te quærere, quod nullus chriſtianus ignorat; ideo ſcilicet extare has ſpecies, & in eis honorari carnem, & ſanguinem, quia in propria ſpecie ſine horrore manducare carnem, & bibere ſanguinem non poſſemus; manducando autem, & bibendo digne, in primis honorantur, deinde adiungis aliud bellum argumentum tua dialecti-
" ca dignum, ſic enim ais, nec enim diffiteris, & tu carnem,
" & ſanguinem Chriſti inuiſibilem in ſacramento eſſe, ſe
" quitur igitur, vt quod illic videtur, panis ſit, & vinum. hæc tu, quę vim habent huius argumētationis, caro, & ſanguis in ſacramento ſunt inuiſibilia, ergo quod illic videtur panis eſt, & vinum. nunquam ergo didiciſti Volane ſubſtantias non videri, ſed earum ſpecies, ſiue accidentia? Diſce igitur non ex Sophiſta quopiam, ſed ex principe philoſophorum ſolertiſſimo, ac perſpicaciſſimo naturæ rerum indagatore, in libro eius ſecūdo de anima, ſenſibilium alia per ſe, alia per accidēs ſentiri: illorum rurſus alia propria cuiuſq; ſenſus eſſe, ut colorem oculorum, ſaporem guſtus, ſonum aurium; alia omnium ſenſuum communia, ut motum, quietem, numerū, figuram, magnitudinem; per accidens

Ignorat Volanus philoſophus quę Ariſt. tradit de ſenſibilibus per ſe, & per accidens.

„ dens autem sensibile, inquit, dicitur, vt si album Diarij fi„ lius sit, per accidens enim hoc sentit, quia albo, quod sen„ tit, id accidit: quapropter nihil ipse sensus ab huiuscemo„ di sensibili, quatenus tale est, patitur. Hactenus philosophus. Panis igitur, vt hic te Philosophus docet, non videtur per se, sed album panis, & reliqua panis accidentia sapor, odor, magnitudo, asperitas, lenitas, rotunditas, per se sentiuntur: quare cum dixit August. in specie panis, & vini cum videmus res visibiles, carnem, & sanguinem honoramus, non substantiam panis, & vini intellexit, quias sciebat non esse per se res visibiles, sed species panis, & vini solas. quę autem per se sunt visibilia, simpliciter sunt, & dici solent visibilia; rursus vero quæ per accidens videntur, non sic sunt, neq; dici solẽt visibilia: vnde tu Volane,
„ cum in Petrum Scargam sic ais, relaberis ad commentum
„ tuum, accidentia panis, & vini, quæ remanent illic videri
„ perhibens, & non ipsam substantiam panis; verũ quę non
„ loquitur Augustin. cur tu loqueris, & ex alieno cerebro
„ allata cur viro sancto tribuis? hoc inquam in te vere retorqueri potest, cur tu tribuis Augustino eruditissimo, & in philosophia, cum tempus, & vita tulit, exercitato, vt panem, & vinum videri, & contrectari dicat? de substantia loquor, non de specie panis, & vini; immo de his affirmamus, quod tu cõtra August. & principem philosophorum negas. longior fui, quam volebam in hoc loco, quia hæc auctoritas August. ita te arcte astringit, vt solui nequeas, nisi vinculum rumpas, idest, auctoritatem neges.

Responsio ad locum epistolę Augustini obiectum de nominibus rerũ, quę accipiunt sacramenta propter similitudinem: & confutatio quatuor exemplorum, quæ ex scripturis per ignorantiã ab hæreticis obijciũtur.

CAP. XV.

OBijcis deinde locum ex epist. August. 23. ad Bonifa- Obiect. 11.
„ cium. si sacramenta similitudinem quandam earũ
„ rerũ, quarum sunt sacramẽta, non haberent, omni-

" no sacramenta non essent; ex hac autē similitudine plerū-
" que etiam nomina ipsarum rerum percipiunt. Sicut ergo
" secūdum quendam modum sacramentū corporis Christi
" corpus Christi est, & sacramentū sanguinis sanguis Chri-
" sti est, ita sacramentum fidei fides est. ad hanc obiectionē respōdit etiā Stephanus episcopus Vintoniēsis Petro Martyri, & tibi Petrus Scarga; vterq; optime. Sed tu, vt soles, quia nihil quod Petro Scargæ responderes, habebas, dissimulasti respōsionem eius; quod quidē satis esse deberet ijs, qui te audiunt, & sequūtur, vt te victū esse, & causa cecidisse sibi persuaderēt. ego vero etsi contentus esse poterā illorum erudito responso, nolui tamen te imitari, ne auderes, mihi idem obijcere falsò, quod ego tibi verè. Sępe
" ita loquimur; inquit August. vt pascha propinquante di-
" camus crastinam vel perendinam esse domini passionem,
" cū ille ante tam multos annos passus sit; & die dominico
" dicimus, hodie dominus resurrexit, quia istos dies secun-
" dum illorum dierum, quibus hæc gesta sunt, similitudinē
" nuncupamus. deinde subiungit aliud exemplum, nonne
" semel immolatus est Christus in seipso? & tamen in sacra
" mento non solum per omnes paschæ solemnitates, sed
" omni die populis immolatur. in his exemplis Volane, sola similitudo est causa appellationis, vt dicatur, quotannis reprȩsentatiue hodie passio Christi; & omni dominico resurrectio; & in sacramētǫ immolatio, id est, mactatio Christi: at quia in sacramento Eucharistiæ non similitudo tantum corporis est; nec ibi est solum reprȩsentatiue, sermonem variauit August. non enim dixit, sacramentum corporis Christi propter similitudinem corpus Christi est, ne quis crederet more vestro, nihil ibi esse præter similitudinem, siue figuram; sed dixit, sacramentum corporis Christi, secundum quendā modum corpus Christi est; sed quē modum dicit? scilicet secundum quendam modum similitudinis, non secundum similitudinem simpliciter; sicut paulo ante dixerat, quia istos dies secundum illorum, quibus hæc gesta sunt, similitudinē nūcupamus. in illis enim exem-

Quomodo intellexerit Aug. quod dixit sacramentum corporis Christi secūdum quendam modum corpus Christi esse.

exemplis superioribus similitudo tantum est: in sacramẽto autem non similitudo simpliciter, siue tantum, sed quidam modus similitudinis, propter speciem panis, quæ panem vitæ repræsentat, & speciem vini, quæ potum vitæ æternę. exẽpla ergo ponebat August. eorum, quæ propter similitudinem accipiunt nomina earum rerum, quarum habet similitudinem, & quia hoc exemplum sacramenti ad illa adiunxit, quod cum illis non penitus cõueniebat, quia hoc, vt dixi, non simpliciter propter similitudinem, sed quodam modo propter similitudinẽ accipit nomen eius rei, cuius quodam modo habet similitudinem, idcirco sic locutus est. significauit itaq; esse sacramentum corporis Christi reuera ipsum corpus Christi, nec obstare veritati istum quendam modum similitudinis. est, inquam, reuera corpus Christi in sacramento, tametsi non tam apparet veritas corporis, quam similitudo panis. hoc sentit August. & hoc sermo significat. refelle tu hæc, si potes, & caue ne te ipse potius refellas. & redde rationem, quare August. in hoc exemplo sacramenti addidit, secundum quendam modum, & quis iste modus quidam intelligendus sit, declara, collatis superioribus exemplis. Iterum affirmo, si hoc exẽplum cum superioribus omnino conueniret, in quibus sola similitudo est causa nominis rei ipsius, nunquam apposuisset secundum quendam modum; iterum dico, vt audias, intelligendum esse secundum quendam modũ scilicet similitudinis, quia de ea loquebatur.

Præterea, producis hoc loco quatuor exempla ex scripturis, quibus probare conaris, vsitatum esse in scriptura, „ cum de sacramentis loquitur, sic enim ais, nomina rerum „ ipsarum tribuere signis, sed bene habet, quod prouidit spiritus sanctus, vt quibus exemplis causam tuam adiuuari posse existimasti, eisdem maxime lædatur, immo vincatur. Dicamus prius de agno vetere, de quo ait scriptura Exodi, victima transitus domini est pro quo 70. dicunt, pascha hoc domino. age nunc Volane, credis ne agnum illum, qui pascha typicũ erat, fuisse figuram sacra-

Quomodo quatuor exempla, quę Volanus secũdum disciplinam Caluini & Petri Martyris ex scripturis producit ad probãdum nomina rerũ propter similitudiuẽ tribui earũ signis, non soluæ causam eius cõtra ueri

eatem corporis Christi in sacramēto non adiuuant, sed maxime lędunt, immo coarguunt.

menti Eucharistiæ, quod est pascha nostrum? quia per eū fiat à vita huiusmodi ad cælestem trāsitus? puto non audebis negare, ne Paulo contradicas, qui ait, vmbram habebat lex futurorum bonorum, & omnia in figura contigisse illis. Si igitur ille agnus, siue illud pascha figura erat nostri, ergo nostrū non est figura, & signū tantum veri paschæ, quod est Christus, sed potius nostrum sacramentum cuius typus, & figura, siue vmbra fuit ille agnus, est ipse Christus pascha nostrū sicut Apostolus ait, pascha nostrū immolatus est Christus. tu vero Volane ex eo, quod agnus ille dicebatur transitus, cū non esset transitus, sed quod significaret transitum, putabas effici, vt similiter sacramentum Eucharistiæ, etsi dicitur corpus Christi, nō sit tamen, sed figura, siue signum corporis Christi. cum cōtra potius hoc efficiatur, vt sicut sacramentum illius veteris agni pascha illorum vocabatur, & erat, pascha enim transitum significat, sic sacramentū noui agni immaculati pascha nostrum dicatur, & sit, quod est Christus, Apostolo teste, qui ait pascha nostrum immolatus est Christus. nisi forte putas Volane, fuisse Christum pascha nostrū in cruce, & non esse in cœna dominica? efficitur etiam, vt quia ille typicus, & vetus agnus, qui comedebatur, tantum erat figura noui, & mystici agni, qui à fidelibus comeditur, panis mysticus nostri altaris, qui comeditur, & est pascha nostrū, non sit signū agni, sed ipse agnus sub specie, siue signo panis; alioqui ille typus, siue figura vetus, illa inquam typica, & vmbratilis māducatio agni caruisset in nouo testamento vera, & reali manducatione nostri agni. & quomodo verū esset illud Ioānis, veritas per Christum facta est? non enim veritas rei per fidem tātum, & spiritū suppletur; alioqui Iudæi, quia lex, quam habebant, spiritualis erat, & ipsi eandem fidem, quam nos, habebant, Christum in suis sacramētis habuissent. Alterū exemplum tuū erat circuncisio, » quę, inquis, dicitur fœdus, cum esset saltem signum siue » symbolum fœderis inter Deum, & Abraam facti, hæc tu. nec hic Volane intellexisti, quid diceres, sic enim scriptū

De agno ueteri.

De circumcisione.

est

" est in Exodo, ponãq; fœdus meũ inter me, & te; & paulo
" post, statuam pactum meum inter me,& te; & paulopost,
" hoc est pactum meũ, quod obseruabitis inter me, & vos,
" & semen tuum post te; circumcidetur ex vobis omne ma-
" sculinum, & quæ sequuntur. En Volane, pactum istud, si-
ue fœdus, quod Græce est διαθήκη, ad mandatum pertinet. quare circumcisionem fuisse fœdus, siue pactum, significat datum fuisse mandatum de circumcisione Abraæ, quæ erat signaculum iustitiæ Abraæ in præputio, vt Paul. interpretatur; res ergo quę mandatur, sine vllo tropo dicitur, & est mandatum. & sicut circumcisio non erat signũ mandati, sed ipsum mandatum, sic non erat signum fœderis, siue pacti, quod pertinebat ad mandatum, sed potius signum erat iustitiæ fidei secundum Apostolum; nisi tu forte corrector quoq; Apostoli vis esse. Sic quoq; magister tuus Petrus Martyr tropum esse dixit, cum ait euangelium, hic calix nouum testamentum est in meo sanguine; ex quo effici volebat, vt similiter tropus esset in illis verbis, hoc est corpus meum, at non est tropus hic calix nouum testamentum est, vt ille falsò putauit, pro eo enim est, ac si diceretur, hic calix noui testamenti est in meo sanguine, sicut est apud Lucam, hic est sanguis meus noui testamenti, testamentum enim est, vt Dionys. Alexand. ait in illa ad Paulũ Samot. admirabili epis. de qua superius memini, dare seipsum, & dicere, hoc facite in meam commemorationem. testamentum enim siue pactum, vtrunq; enim est Græce apud 70. διαθήκη, ad mandatum pertinet, sicut scriptum est de typo huius noui testamẽti Exod. 24. hic sanguis testamenti, quod mandauit ad vos Deus. quare, vt hic non est tropus, ita nec in eo est, quod de archetypo dixit dominus, hic calix nouum testamentum est. ter-
" tium exemplum tuum est, dicitur, inquis, & baptismus in
" nouo testamento lauacrum regenerationis, quam solus
" spiritu sancto suo sordes omnes abluens peccati; effi-
" cit dominus, nec hic est tropus metonymiæ. baptismus enim ablutionem significat; quod autẽ ablutio corporis

Redarguit tropus Petri Martyris in eo qđ dictum est, hic calix nouum testamentũ est in meo sanguine.

Quid sit testamentum in eo, quod dictũ est, hic calix noui testamẽti est in meo sanguine, interprete Dionysio Alex.

De baptismo lauacro regenerationis.

ad

cere, qui quod semel responsum erat, refellere nesciebas immo verbis oris tui tanquam laqueo quodam te Petrus Scarga constrinxit, tu enim confiteris ore tuo non dedisse Christum nuda signa, & non posse mentiri dominum, qui se corpus suum dare ad manducandum prædicat; & nisi sacramenta, inquis, vere istas res diuinas ad emortuas nostras animas viuificandas exhiberēt, & sine vllo fructu perciperentur, frustra essent instituta. Sequitur ergo ex tuis istis verbis, cum dixit August. quod tu approbas, non dubitauit dicere dominus, hoc est corpus meum, cum daret signum corporis sui, non signum corporis nudum sine ipso corpore intellexisse, sed signum cum corpore. sentis ne tuis te captum verbis, & te ex illorum sapiētum numero, quos Paulus dixit, in astutia tua, comprehensum? Si tu hic dum latebram ad subterfugiendum quæris, dicas, sic intellexisse August. cum daret signū corporis sui, idest, signum cum corpore realiter quidem extra ipsum signum, per fidem vero siue secundum fidem, & spiritualiter adiuncto ipsi signo externo; proba hoc Volane Augustinum velle: indica, vbi hoc dicit August. quod tu interpretaris? aut aliquid simile? aut cur tam impudenter fingis, quod ei tribuis? tu hic, dum non intelligis quid loquaris, neq; de quo affirmes, sicut de alijs tui similibus dixit Apostolus, mirabor, inquis, Petre, siquis hic amplius tergiuersandi tibi relinquetur locus; & quæ sequūtur eiusdem fili. & ego Volane mirabor, si tu hic non erubescis. respōdit enim tibi Petrus tum tuis verbis te redarguens, vt antea docui, tum suis. dixit enim significare signū, vbi ait August. cum daret signum corporis sui, species externas panis, & vini, quas dedit dominus non nudas corpore suo, sed corpus suum sub eis, quod quidē dixit sequens eundem August. qui in sententia Prosperi, quem locum tu citasti, dixit in specie panis, & in specie vini corpus, & sanguinem Christi honorari: docui autem superius, quod tu hactenus ignorasse videris, species panis & vini secundum proprietatem verbi nō substantiam panis, & vini significa-

Quomodo Petrus Scarga Volanū uerbis oris eius tanquā laqueo cōstrinxit

Quòd species panis & vini suo sapore, & odore, & alijs proprietatibus suis sine substātia panis, spirituales, & diuinas ꝓprietates panis cælestis idest carnis & sanguinis Christi satis significāt, & figurāt.

gnificare, sed quod extrinsecus apparet, quod alii patres, vt supra animaduersum à nobis est, vocarunt effigiem panis, similitudinem panis, & typum, siue figuram panis. Addam insuper nūc, nullum grammaticum ignorare aliud esse speciem panis, & aliud panem: similiter in vino. Si igitur hic signum pro specie accipiamus, vt visum est probabiliter Petro Scargę, quia non dixit August. cum tantum, siue solum signum corporis sui daret, contra Augustinum facis, dum non pateris esse corpus Christi cum signo eius, idest, cum specie panis, & vini, quæ species suo sapore, & odore, & alijs proprietatibus sensibilibus sine substantia panis satis spirituales, & diuinas proprietates panis cælestis, idest carnis, & sanguinis viuifici Christi significant, & figurant. facis inquam contra Augustinum, dum non vis esse realiter cum signo corpus Christi, & id probare conaris auctoritate ipsius, vt quamuis non dixerit, neq; somniarit, perinde sit, vt si dixisset, cum signum tantum corporis sui daret. Sed hactenus de responso Petri, accepto signo pro specie. Ego vero vt responsum eius aduersus te altero adhuc cumulem, sic respondeo, accepisse hic Augustinum signum pro sacramento, perindeq; esse, vt si diceret, nō dubitauit dicere, hoc est corpus meū, cum sacramentum corporis sui daret, sic enim Dionysius quoq; Areopag. dixit in eccl. hierarc. cap. de cōmunione, ἐπιτεθέντων τῷ θείῳ θυσιαστηρίῳ τῶν σεβασμίων συμβόλων, δι᾽ ὧν ὁ χριστὸς σημαίνεται καὶ μετέχεται, idest, impositis diuino altari venerandis symbolis, siue signis, per quę Christus significatur, & participatur. concedis tu quidem, vt ex libro tuo intelligo, significari & participari corpus Christi per sacramentum; sed participari per sacramentum non ore, sed spiritu tantum, & solum secundum fidem; hoc de tuo apponis. hoc à te discipuli tui petunt, vt ostendas eis in scriptura, aut aliquo ex sanctis patribus, vt si non ostēderis, te mentiri pro certo habeant.

Non est hic dissimulandum, quod Petro respondes ad illud, quod tibi obiecit ad probandum transubstantiationem

„ nem ex August. dis. 2. corpus Christi veritas est, & figu-
„ ra est: veritas, dum corpus Christi, & sanguis ex panis, ac
„ vini substantia virtute spiritus. S. efficitur: figura est id,
„ quod exterius sentitur. transit itaq; (sic tu Petre cõcludis)
„ panis substantia in corporis Christi substantiam. hic tu,
„ corpus, inquis, Christi, si proprie accipiatur, & pro re ipsa
„ signata, profecto simul & veritas, & figura esse nequit.
„ Quomodo ergo panis est & veritas, & figura? (respondes
„ ad quęstionem tuam) veritas quidem est, quia sacramen-
„ tum ordinãte domino factus, ipsum verum Christi cor-
„ pus manducandum exhibet; figura autem est, quia simi-
„ litudine quadã corpus ipsum Christi inuisibile repręsen-
„ tans, ipse nihilominus visibilis permanet, & à sensibus no
„ stris apprehenditur. hæc tu interpretatus es, sicut tibi visum est, quomodo panis tuus sit veritas simul, & figura. at quomodo illud interpretaris, veritas est, dũ corpus Christi, & sanguis virtute spiritus .S. ex panis, & vini substantia efficitur? Vos appello Volani auditores, interrogate ministrum siue magistrum vestrum, quomodo hoc interpretetur? aut cur in libro suo hoc præterierit, quod ei obiectum est. & quod totius controuersię caput est? dic age, quomodo hæc in panem tuum quadrant. efficitur ne panis tuus ex panis substantia virtute spiritus Sancti? in luto hæres Volane. vt ergo quod August. ait, intelligas, sit tibi exemplum rex ita totus tectus, & opertus, vt non videatur foris regalis maiestas eius, est tamen indumentum, quod totum tegit, insigne, quod regem significat ibi latere; hic, & veritas est, quatenus persona regis est; & signum, siue figura est, quæ extrinsecus videtur; vestis enim, qua tegitur totus, vnum efficit χιτικῶς cum ipso rege. non enim vestis, & rex duo sunt, sed vna persona regis operta, idem veritas, & figura, vt explicatum est. quanto hoc facilius ad intelligendum, & rationi conuenientius, quàm quod fingis blasphemię, absurditatis, & repugnantię ac deliramenti plenum?

Quid Volanus in August. pręterierit, qua respondere non poterat.

Exemplum ad intelligendum quod August. dixit, corpus Christi ueritas est, & figura est

„ Obiecerat tibi Petrus illud August. sicut ipse est, qui ba Obiect. 13.

 ptizat,

„ ptizat,ita & ipse est qui per spiritum.S.hanc substantiã ef
„ ficit carnem,& transit vinum in sanguinẽ.hæc tu sic inter
„ pretaris; sic inquis, transire panem in corpus,& vinum in
„ sanguinẽ asserit, non vt desinat panis, & vinũ, quod ante
fuerant. Quis hoc tibi dixit Volane? dixit ne Augustinus, an Caluinu. vel Zuinglius? aut vnde tu hoc diuinas? quis sic loquitur: scilicet hanc substantiam efficit carnem;& vinum trãsit in sanguinem, qui nõ velit intelligi, hoc quod prius erat, mutari in illud, quod postea fit? aut quis, si sic
„ non vult intelligi, sic loquitur? mutãtur, ais, in fine, & vsu,
„ cum ex profanis virtute verbi Dei facta sint sacra, nõ autẽ
„ in natura. Si ita intellexit August. cur mentem suam non explicauit? cur dixit, quod nullus christianus per vniuersum orbem nisi tuę sectæ sit, responsurus sit sic intelligi, si interrogetur, quomodo intelligatur? quis vnquam hoc genus loquendi audiuit trãsire vinum in sanguinem pro eo, quod est, ex vino communi fieri vinum consecratum? miror tam hebetes esse eos, & tam obtuso ingenio, qui te audiunt ista effutientem, & non derident. probas autem

Quàm absurde iterpretetur Volanus secũdum disciplinã Caluini, quod Aug. ait trãsire uinũ in sanguinem.

„ quod dicis hac ratione, quando & vis, inquis, sacramenti
„ id exposcit, vt maneant integra signa,& sensus omnes no
„ stri teste eodem August. renuncient nullam panis,& vini,
„ quo ad eorum substantiam intercessisse mutationem. Vnde probas, quòd vis sacramenti exposcit, vt maneãt integra signa? nos quòd in sacramento Eucharistiæ non maneat integer panis, quem tu vocas integrum signum, verbo Dei probamus, qui dixit, sumpto pane integro in manus omnipotentes, hoc est corpus meum verbis proprijs vtens, quibus verbis pronunciatis, quia verax est,& omnipotens, qui dixit, ita est, sicut dixit; idest, corpus est, quod prius erat panis. Cum vero sensus testes sint post consecrationem, odoris, saporis, coloris, & si quę aliæ qualitates sensibiles sunt, consequẽs esse necessariò colligimus, vt accidẽtia ista sine subiecta substãtia panis, & vini sint, probamus deinceps auctoritate sanctorum patrum, qui post consecrationem vocant pro pane, & vino speciem panis,

Quomodo nos probamus in sacramento panẽ mutari ĩ corpus Christi, & accidentia panis remanere sine subiecto.

panis,& vini,effigiem,similitudinem,& figuram panis.vnde necessariò concludimus, in quibus locis scripturæ panis vocatur sancta Eucharistia,ibi corpus Christi sub specie panis vocari panem, idq; factum,vt admoneremur ad facilius credendum hoc mysterium,ex pane creatura sua, quo Christus corpus suum more nostro alebat, & in eum conuertebat,dedisse nobis corpus suum in hoc sacramento,vt paulopost explanatius auctore Magnete dicēdū est.

Quare in scriptura sancta Eucharistia uocatur panis.

Probamus deinde auctoritate vniuersæ ecclesiæ Orientalis, & Occidentalis, quæ hoc dogma tenet, & profitetur à principio vsque in hodiernum diem. Sic nos probamus:tu vero quomodo probas per scripturam quod dicis de integro pane, & de metonymia corporis pro figura ? & de exhibitione corporis per fidem? adde, quòd sermonem tuum figuratum,quem ex libro August.tertio de doctrina Christiana videbaris tibi didicisse,ipse idem August. quibus esset figuratus, & quibus non, in comment. psal. 33.te plenissime,& explanatissime docuit,vt superius eiusdem verbis probatum,& demonstratū habes.ad quæ tu nunquam amplius nisi ridicule, & delire respondere poteris.

Quod Caluiniani tradunt de integro pane remanēte post cōsecrationem,& de metonymia, & de exhibitiōe corporis Christi per fidē, nūquam probarūt neque probare possunt.

Obiicis etiam contra trāsubstantiationem in sacramēto illud Augustini tritum, accedit verbum ad elementū, & fit sacramentum, mutationem ergo ais, elementorum agnoscit August. sacramētalem,vt nimirum,quæ fuerunt simplicia, & profana elementa,accedente verbo Dei sint sacramenta.Sed cur non probasti,si poteras,in sacramento etiam Eucharistiæ solam istam mutationem sacramentalem esse, sicut in cæteris,& non substantialem quoque? quod ex pluribus alijs locis Augustini demōstratum est, quos locos tu de tuo cerebro, & Caluini ac Zuinglij,& Petri Martyris interpretaris; istos enim duces sequeris, nondum sentis Volane, quid hoc sacramentum sacramentorum ab alijs differat ? & quomodo cætera in actione transeunte applicationis posita sint; hoc vero magnum sacramentum in actione permanente consecrationis materiæ,

Obiect. 14.

Quid Eucharistia, quæ est Sacramentum Sacramentorum,

ab alijs Sacramentis differat, quod adhuc Caluiniani ignorant.

per quam consecrationem facta est illa admiranda,& tremenda mutatio elementi in corpus Christi? cum dicit ergo August. super Ioan. tracta. 80. de baptismi sacramento, & elemento aquæ loquens, accedit verbum ad elementum,& fit sacramentum, exposuit ne tibi in eo loco, quid faciat verbum in elemento, vt existat sacramentum? ille de aqua baptismi loquebatur, in quo elemento non fit mutatio substantiæ aquæ, nec enim de ea dixit dominus cum instituit sacramentum baptismi, hæc aqua baptismi est corpus meum,vt in ea baptizati, dicantur, & sint baptizati in Christum; at in sacramento sanctæ Eucharistiæ nō ita: in hoc enim sacramento dixit accepto pane, hoc est corpus meum.hoc verbum cū per eos,quibus potestatem dedit, accedit ad elementū panis, mutationem efficit non illam,quam tu in reliquis sacramentis sacramentalem cō cedis, sed substantialem, quam negas.

De quo Sacramento dixerit August. accedit uerbum ad elementum, & fit Sacramentum.

Obiect. 15.

Præterea, obiecit tibi Petrus Ambrosium in 4.libro de sacramentis cap. 4. tu forte, inquit, dicis, meus panis est vsitatus; sed panis iste est ante verba sacramentorum, vbi accessit consecratio, de pane fit caro Christi. priusquam ad illa responderes, elegisti astute ipse alia verba eiusdem Ambrosii; quæ visum est tibi, facilius ad commodum causæ tuę torquere posse. Sed vrgebo prius illa, deinde reuertar ad ista, quæ tu elegisti, cum ait Ambrosius, tu forte dicis, meus panis est vsitatus, respondet Ambr. sed panis iste est ante verba sacramentorum. En Volane panis vsitatus ante verba sacramētorum; vbi accessit consecratio, de pane, inquit, fit caro Christi. En post consecrationem panis non vsitatus, vsitatus enim est qui habet nō solum speciē panis, sed substantiam; verum tamen substantia panis in substantiam carnis Christi commutata, remanet similitudo panis in colore, odore, sapore, qui est panis non vsitatus. Videamus nunc quæ tu elegisti ex Ambrosio, si ergo, inquit, tanta vis est in sermone domini, vt inciperent esse, quæ non erant, quanto magis operatorius est, vt sint, quæ erant, & in aliud cōmutentur? subiungis tu, ita Ambrosi⁹

non

" nõ desinere substantiam elementorum asserit, cum eadẽ
" maneant, quę antea fuerunt, ostendit, sed mutari in vsu, &
" dignitate tradit. non intelligis Volane, quomodo dicat Ambrosius esse quæ erant, & in aliud commutari. Sic igitur intellige, ipso Ambrosio verborum suorum interprete, panis, qui erat vsitatus, vt paulo supra dixerat, commutatur, non dicit vsu, & dignitate, quæ sunt tua somnia, sed in carnem Christi, & manet species panis in qualitatibus sensibilibus, qui est panis non vsitatus, quia substãtia eius commutata est in carnem Christi. hoc si adhuc non intelligis, quia non credis, exempla tibi commemorat Ambrosius, vt fidem tibi faciat substantię panis in carnem Christi contra naturę legem, & ordinem mutatę. iussit; inquit
" dominus, & facta sunt, iussit dominus, & omnis creatura
" generata est. Vides ergo, quàm operatorius sit sermo Chri
" sti? Si ergo tanta vis est in sermone domini Iesu, vt incipe
" rent esse, quę non erant, quanto magis operatorius est, vt
" sint, quæ erant, & in aliud commutentur? cælum non erat,
" mare non erat, terra non erat: sed audi dicentem, ipse di-
" xit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt. ergo tibi
" vt respondeam, non erat corpus Christi ante consecratio
" nem; sed post consecrationẽ, dico tibi, quod iam corpus
" est Christi. hæc Ambr. Si postquam dixit Christus ore sacerdotis accepto pane, hoc est corpus meũ, quæ sunt verba consecrationis, non est ibi vere, & realiter corpus Christi, igitur neque cælum est, neque mare, neque terra, nec aliç creaturæ, de quibus scriptum est, dixit, & facta sunt; aut si illa sunt, quæ verbo suo fieri, & esse iussit; igitur & hoc corpus Christi est, quod idem verbo suo ex pane facit, qui ex nihilo omnia. hæc, & reliqua exempla, quę Ambrosius ibidem commemorat, rerũ mirabilium, quas dominus contra instituta naturæ, & omnem cõsuetudinem, vt ait idem Ambrosius, fecit, quomodo essent apposita ad id quod in sacramento fit, idest, ad mutationem panis in carnem Christi, & vini in sanguinem, si vere, & realiter nõ fieret contra omnem naturæ consuetudinem, & instituta

sine

Mutari panem in sacramẽto usu, & dignitate somniũ Volani, & Setri martyres secundũ disciplinã Caluini.

De exẽplis Ambrosij ad suadẽdam fidem corporis Christi in sacramento.

sine stomacho, sine hepate, & sine calore naturali, de repẽte solo verbo ex pane caro, & ex vino sanguis? sicut vere factę sunt solo iussu Dei creaturę illæ? non pudet tot, & tam insignia exempla ad faciendam fidem huius stupendæ conuersionis in corpus Christi negare? aut si non negas, potes elabi, quin concedas hoc? confiteris conuersionem aquæ in vinum in nuptiis illis Cana Galilaę, vbi verbum nullum Christi audis, quod ad eã rem, quam fecit, pertineat, nisi illud, implete hydrias aqua, & illud, haurite nunc, & hic audis dominum dicentem accepto pane, Hoc est corpus meum, & non vis credere, ita esse? & ad figuram, idest, ad spectrum, & inanem vmbram transfers? væ Volane; dominus non irridetur. memento illius diei.

Obiect. 16. Obiecerat tibi ad probandum transubstantiationẽ Petrus locum Cypriani in sermone de cœna domini; panis iste, quem dominus Apostolis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, ad hunc locum cum respondere nõ posses, ad aliud eiusdem Cypriani te vertisti, quod videbatur tibi accommodatum ad eludẽdum illum priorem locum, sed similitudo, inquis, quam Cyprianus affert ad rem illustrandã rite expensa diuersum clamitat, dicit enim, sicut in persona Christi humanitas videbatur, & latebat diuinitas, ita sacramento ineffabiliter diuina se infudit essentia. nam sicut in persona Christi sola humanitas videbatur, diuinitate inuisibili, & vere tamen illi assistente, & quæ sequũtur, habes Volane huius similitudinis à te obiectę ad eludẽdum testimonium Cypriani, confutationem meam in superioribus, vbi te docui ad hæresim Pauli Samosatensis, & Theodori Mopsuestię delapsum esse, relege, ne eadem repetantur.

Responsio ad id quod ex Cypriano obiecerat Volanus: & quomodo conuincitur non intellexisse locum Cypriani obiectum: & de analogia siue similitudine panis cõmunis corpus nutrientis cũ pane viuifico nutriente animã, & qui veterum patrum vsi sint ista analogia; & locus diuinus Magnetis ecclesiastici, & vetusti auctoris de S. Eucharistia.

CAP. XVII.

Rursus

„ RVrſus ex eodem Cypriano illud in eodem ſermone
„ opponis, panis iſte cōmunis,inquit,in carnē,& ſan-
„ guinē mutatus,procreat vitā,& incrementū corpo-
„ ris; ideoq; ex conſueto rerum effectu fidei noſtræ adiuta
„ infirmitas, ſenſibili argumento edocta eſt, viſibilibus ſa-
„ cramentis ineſſe vitæ æternæ effectum. Subiungit Vola-
„ nus,inde vero cognoſce panis ſubſtantiam minime depe
„ rire,quando id,quod dat nutrimentum,& augmentū cor
„ poribus ſubſtantiæ panis,& non accidentibus competat.
„ ac tandem concludis, qui ergo elementa ex ſacramento
„ exterminant,omnem vim,& vſum ſacramenti eneruant.
recte tu quidem Volane ſimilitudinem ſiue analogiam à
„ Cypriano notatam explicaſti, cum ais, ſicut enim panis
„ alimentum corpori ſuppeditat, ita corpus Chriſti cibum
„ immortalem,& viuificum animæ ſubminiſtrat; Sed in eo
erras,quod iſtum panem, quem ad ſimilitudinē ſiue ana-
logiam cibi immortalis,quem ſacramētum præbet,tranſ-
fers,panem tantum myſticum ſiue ſacramētalem eſſe vis;
ex quo colligis, eos, qui elementa ex hoc ſacramento, vt
verbis tuis vtar, exterminant, omnem vim, & vſum ſacra-
menti eneruare. miror Volane, ita te oſcitanter legere ea
præſertim quę opponis,& in quibus quaſi firmamentis ni
teris, vt non prius intelligas, quid loquaris, & de quo ſal-
tem affirmes, vt hic in Cypriani loco à te oppoſito, non
enim loquitur, vt tu anticipatione opinionis tuæ excæca-
tus,ſuſpicatus es,de pane communi mutato in carnem,&
ſanguinem Chriſti, ſed de pane communi mutato in car-
nem,& ſanguinem cuiuſuis hominis. immo tu ipſe rectè,
vt antea dixi,ſimilitudinem ſiue analogiā Cypriani expo-
„ ſueras,ſicut enim inquis,panis alimentum corpori ſuppe
„ ditat,ita corpus Chriſti cibum immortalem,ac viuificum
„ animæ ſubminiſtrat. quomodo ergo ex iſta analogia à te
bene percepta, & expoſita,rurſus ita delire concludis, in-
„ quiens, inde vero cognoſce panis ſubſtantiā nō deperire,
„ quando id, quod dat nutrimentum, & augmētum corpo-
„ ri,ſubſtantię panis, & non accidentibus competat. ſi pa-

Quomodo oſcitanter legat Volanus quod ex Cypriano obijcit nō intelligens, neque quod loquitur, neq; de quo affirmat, uel ipſo Cypriano interprete.

nis communis mutatus in carnem,& sanguinem comparatus est à Cypriano, vel te iudice, & interprete, cum corpore Christi; vnde istud colligis ex Cypriano, vt panis substantia non pereat in sacramento, quia non conuenit, inquis, accidentibus nutrire, & augere corpus? Dices fortasse, vt soles, immo Cyprianum loqui de pane communi mutato in carnem,& sanguinem Christi, idest, mutato in sacramentum corporis, & sanguinis Christi, cùm iam nõ esse communis panis, sicut erat, antequam mutaretur per consecrationem, sed sacramentalis. at idem Cyprianus redarguit te, si hoc ei affingis, ipse enim paulopost in eandem sententiam, & eandem analogiam repetens, & sicut

Qui ueterũ patrũ usi sint analogia panis, qui in substãtiã humani corporis conuertitur, dũ eo alimur, ad suadẽdam fidẽ cõuersionis panis in corpus Christi per uerbum Dei.

" panis communis, inquit, quem quotidie edimus, vita est
" corporis, ita panis iste supersubstantialis vita est animæ,
" & sanitas mentis. En Volane, panis communis, quem quo
" tidie edimus, est vita corporis, & illud nutrit, & huius similitudinem cum corpore Christi secundum analogiam notat iterũ Cyprianus, vt supra, nomen autem panis communis non conuenit pani mystico post consecrationem; igitur quod Cyprianus, dixit de pane communi mutato in carnem,& sanguinem nutriente,& augente corpus, nõ dixit de pane vitæ animæ post consecrationem, sed de pane vitæ corporis, quem quotidie edimus, & quo mutato in carnem, & sanguinem nostrum alimur, & augemur; in fine enim digesti alimenti simile simili adiungitur, idest, caro carni,& sanguis sanguini, vt philosophus te in 2. de anima docet. Huiusmodi analogiam alij etiam antiqui patres notauerunt, qui nutrire,& augere corpus non pani post consecrationem, vt tu Cypriano affingere voluisti, sed pani communi, quo quotidie vescimur, vt Cyprianus, tribuerunt. idem fecit Irinæus, in quo tu interpretando idem, quod in Cypriano frustra tentasti. Sic enim ait Irinæus, quando ergo, & mixtus calix, & factus panis recipit
" verbũ Dei, fit Eucharistia corporis, & sanguinis Chri-
" sti, ex quibus augetur, & consistit carnis nostræ substãtia.
" hæc Volane sic construere, & componere debebas ad eli-

ciendum

ciendum ex eis sensum Irinæi, vt tanquam grammaticus tecum agam, est enim hyperbaton, quando ergo & mixtus calix, & factus panis, ex quibus augetur, & consistit carnis nostræ substantia, recipit verbum Dei, fit Eucharistia corporis, & sanguinis Christi. si mihi sic cōstruenti nō credis, crede ipsi auctori Irinæo, & relege proxime antecedentia, & quoniam inquit, membra eius sumus, & per creaturam nutrimur, creaturā autem ipse nobis præstat, solem suum oriri faciens, & pluens quemadmodū vult, eum calicem, qui est creatura, suum corpus confirmauit. de pane, & vino loquitur, quæ sol, & pluuia in terra procreant, quibus alimentis dominus more nostro vtebatur, & quibus nostra auget corpora. in his Volane non audisti verbum Dei, quo panis mysticus conficitur, sed tantum solem, & pluuiam, creaturam; sancta vero Eucharistia non est creatura, sed creator Christus. sicut ergo loquens de calice, qui est creatura per elementa solis, & pluuiæ generata, dixit, ex quo nostra auget corpora, sic in iis, quæ continuantur, cum ait, ex quibus augetur, & consistit nostrę carnis substantia, de mixto calice, idest, de vino, & aqua, & de facto pane, antequam fiat per verbum Dei Eucharistia, intellexit. quo in loco non est, vt tu legisti, vel forte correxisti lectionem, idest, deprauasti, non est inquā scriptum fractus panis, sed factus, frangi enim nō dicitur panis, nisi postquam per verbum Dei fit Eucharistia. hic autem factus panis creaturam panis cōmunis significat.

Quomodo Volanus propter ignorantiā grāmaticę constructionis locū Irinęi male interpretatus est.

Sic quoq; intelligenda sunt illa, quę paulopost subiungit idem Irinęus, quoniam membra sumus corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius non de spiritali aliquo, & inuisibili homine dicens hęc; spiritus enim nec ossa, neque carnes habet; sed de ea dispositione, quę est secundum hominem, quæ ex carnibus, & neruis, & ossibus cōsistit; quæ de calice, qui est sanguis eius, nutritur: & de pane, qui est corpus eius, augetur. hęc Irinæus, quibus significat, ex eadem materia nutriri, & augeri hominem, & fieri Eucharistiam, idest, corpus, & sanguinem Christi, nempe ex pane,

& vino ex terra ortis. hæc omnia eò ſpectāt, vt credamus, quòd ſicut Chriſtus pane, & vino, quibus nos alimur, & quę in carnem, & ſanguinem noſtrum naturaliter conuertimus, Chriſtus quoq; vtebatur, & ea in carnem, & ſanguinem ſuum naturaliter mutabat, ſic verbo ſuo panem, & vinum in corpus, & ſanguinem ſuum mutat, & ea dedit nobis, vt iſtis viuificis cibis immortalitatem adipiſceremur. ſimile argumētum ad ſuadendam fidem huius magni ſacramenti ex iſta ipſa analogia alij antiqui patres ſumpſerunt. conuertam hic è Græco, quæ Magnetes eccleſiaſticus auctor, & valde vetus libro. 3. apologiarū aduerſus Theoſthenem euangeliorum calumniatorem ſcripſit; dicebat ergo iſte idem, quod Capharnaitę illi, durus eſt hic ſermo, & quis poteſt audire eum? reſpōdet Magnetes, quod vero non ſit hoc ξένον καὶ φρικῶδες, ideſt, inauditū, & horrendum, conſiderare licet puerum infantem, quomodo niſi manducet carnem, & ſanguinem matris, non viuit: natura enim ſanguinis eſt ſecundum veritatem, lac. Vt autē clarius dicam, naturale aliquid narrabo, ne hoc fabulam putes; ex terra nati ſumus ſecundum corpus, & quodam modo carne eius, & ſanguine alimur, ideſt, frumento, & vino. Audi nunc attente. principio creauit filius Dei terrā: ex terra hominem formauit: ex homine carnem ſumpſit ipſe. Si igitur de corpore prædicatur terra ratione originis antiquę, erat autem terra ratione creatione propria Chriſti creatura, & ex hac panis, & vinum extiterunt, ex ipſa rurſus corpus hominis, hoc autē corpus Chriſtus induit, meritò cum accepiſſet panem, & vinum, dixit, hoc eſt corpus meum. Deinde ſubiungit, οὐ γὰρ τύπος σώματος, οὐδὲ τύπος αἵματος ὥς τινὲς ἐρραψῴδησαν πεπωρωμένοι τὸν νοῦν, ἀλλὰ κατ᾽ ἀλήθειαν αἷμα καὶ σῶμα χριστοῦ, ideſt, non enim figura eſt corporis, aut ſanguinis, vt quidam ſtupida mente nugati ſunt, ſed potius verè corpus, & ſanguis Chriſti. pergit adhuc philoſophari, quando quidem vero, inquit, corpus ex terra exiſtit, ex terra autem panis, item, & vinum, quomodo non eſt alius auſus dicere, caro mea eſt cibus, ſanguis meus

Quæ Magnetes uetus auctor eccleſiaſticus diuine ſcripſit ad ſuadendam fidē mutationis panis & uini in carnem, & ſanguinem Chriſti in ſacramento.

meus eſt potus? nempe, quia nullus eſt creator terræ, niſi hic; nullius eſt creatura, niſi filii Dei; idcirco dixit, hoc eſt corpus meum: mea enim & non alterius eſt creatura terræ; omnes enim poſt terram geniti ſunt, corpus à me accipientes: ego vero ante terram, à nullo hanc accipiens; ex hac corpus, ideſt, ex mea creatura accepi, ſumens carnem. ex meo igitur meum propono vobis chariſma. ex terra vobis panis ad alendum extitit; terra vero creatura mea eſt: ex terra ſimiliter extitit corpus, & hæc mea maſſa. ex vnione igitur, qua vnitus ſum ſanctus cum terreno, do panem, & vinum, iubens eſſe corpus meum, & ſanguinem. Etenim ſi Abraam, aut alius quiſpiam ex iuſtis, ac ſanctis dixiſſet, caro mea eſt cibus, & ſanguis meus potus, valde mentiri auſus eſſet: aut ſi dixiſſet, hoc eſt corpus meum, & hic eſt ſanguis meus, non enim hoc ipſius, ſed alterius eſſet ſubſtantia; neque manducata vitam manducantibus præberent: ſiquidē quod non habet verbū viuens vnitū cum corpore, quod fuit terrenum, ad æternā vitā edentes non adduceret. Chriſtus ergo proprium corpus, & ſanguinem dedit credentibus immiſſo eis vitali pharmaco diuinitatis. Deinde ſubiungit, ἄρτον γοῦν λέγων τὴν σάρκα καὶ οἶνον τὸ αἷμα, ἐπαίδευσεν ἡμᾶς εὐλόγως ἐκ γῆς εἶναι τὸ σῶμα, ideſt, cum igitur eam, quæ caro eſt, vocat panem, & eum, qui ſanguis, vocat vinum, docuit nos conuenienter rationi, ex terra eſſe corpus, ſimiliter, & panem; & vnius generis ſubſtantiam in corpore, & pane. Cæterum panis communis ex terræ cultura elaboratus, etſi caro quædam terræ eſt, tamen vitam æternam præbere non promittit, ſed breue ſolatium veſcentibus tribuit, cito eo extincto ſine diuino ſpiritu: panis vero in beata Chriſti terra virtute diuinitatis vnitæ confectus, ſolo guſtu immortalitatem homini affert. myſticus enim panis, cum benedictionem patris habeat inſeparabilem, illam dico, quæ in corpore, & ſanguine eius facta eſt, vnit comedentem corpus Chriſti: eumq; membra Chriſti efficit. Vt enim charta vim, quā per litteras magiſtri accepit, diſcipulo tradit, & per eam

Huc pertinet quod ait beatus Baſil. in ſua Miſſa, offerimus tibi τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν, ideſt tua ex tuis.

N 2 cum ma-

„ cum magiſtro illum vnit.ſic corpus,quod ille panis myſti
„ cus eſt, & ſanguis, qui illud vinum, immortalitatem inte-
„ meratę diuinitatis participãti tribuũt αὐτόθεν, ideſt,è ſuo,
„ ſiue ex ſeipſis.& per eam ad manſionem incorruptibilem
„ creatoris reducunt. Caro enim Saluatoris maducata non
„ corrumpitur: nec ſanguis hic potatus conſumitur. quin
„ potius, qui edit, ad incrementum virium venit; qui vero
„ editur,conſumi non poteſt, quia omnis conſumpſio ratio
„ ne quadam naturæ cognata eſt. hactenus hic auctor; in quo obſeruare debes Volane ea,quæ profana tua nouitate verborum, quam Apoſtolus vitare iubet,eludere nullo iam modo poteris;primum, quòd eos de cæcitate mentis accuſat, qui in hoc ſacramẽto panem dicunt figuram corporis Chriſti,& vinum ſanguinis; deinde, quare dominus carnem ſuam vocauerit panem: præterea quòd Chriſtus proprium corpus vnitum cum diuinitate dedit credentibus ad comedendum,niſi hic quoque credentes interpretari audes, vt ſoles, de illa tua exhibitione corporis Chriſti in ſigno externo per ſolam fidem, hæc enim eſt ex tuis profanis, & nouis formulis à Satana excogitatis; quaſi vllum ſacramentum noui teſtamenti dederit Chriſtus non credentibus,ſed infidelibus;quòd ſi veritas corporis Chriſti in ſacramento tota, vt vos traditis, poſita eſt in exhibitione corporis Chriſti in manducatione ſpirituali per ſolam fidem, quomodo nuſquam hic auctor in his,quæ hic tranſlata, & recitata ſunt, fidei meminit, niſi in hoc loco tantum, cum dicit,dediſſe corpus ſuũm credẽtibus,quod de omnibus ſacramentis dicendum eſt? Ad hæc,illud præcipue inter cætera obſeruandum tibi eſt, quod ait hic auctor, panem illum myſticum, qui accepit benedictionem patris inſeparabilem, quę facta eſt in corpore, & ſanguine, & vinum illud myſticum, ideſt, corpus, & ſanguinem Chriſti immortalitatẽ diuinitatis tribuere αὐτόθεν ideſt, ex ſeipſis comedenti, contra atq; vos docetis, non facere hoc ex ſeipſis, ſed ex adiunctione ad ſignum externum, & exhibitione corporis Chriſti abſentis per fidem ſolam. ſi hunc

Quæ ſint præcipue obſeruanda contra Caluinianos in ijs, quæ ex Magnete hactenus recitata ſunt.

Quomodo proprio uerbo,quo hic auctor uſus

si hunc auctorem, & ea, quę hic à nobis è Gręco conuersa sunt, legere volueris, in bibliotheca Veneta libros reperies, & in eis notatũ tempus ætatis huius scriptoris supra mille,& ducentos, si rectè memini, annos. Ad eundem modum philosophatus est in eodem sacramẽto Greg. Nyss. vt conuersionem panis, & vini in corpus & sanguinẽ Christi tibi, & tui similibus suaderet, quib9 ille sermo domini de danda carne sua ad manducandum vsq; in hodiernũ diem tanquam nouis Capharnaitis durus videtur. Recitemus ergo pauca, reliqua leget qui volet in auctoris huius

est, coarguitur cõmẽtitia exhibitio corporis Christi absentis per adiũctioné ad signũ externũ in sacramẽto, quæ est formula Volani secũdum disciplinam Caluini.

„ catechetico, omne, inquit, corpus ex nutrimẽto consistit,
„ ac eo firmatur, quod quidem nutrimentum ex cibo ac po-
„ tu constat; cibus autem est panis, & potus aqua vino mi-
„ xta. porrò Dei verbum ita naturæ vnitum est, & sic corpus
„ nostrum assumpsit, vt naturæ eius nõ aliam constitutionẽ
„ adhiberet, quam vt vsitatis eum rebus aleret, ac sustenta-
„ ret, nempe cibo, & potu: cibus vero erat panis, quemad-
„ modum & noster, vt iam dictum est. Sicut autem qui panẽ
„ videt, quodam modo corpus videt humanum, quoniam
„ panis in corpore corpus efficitur, ita diuinũ illud corpus
„ nutrimentũ ex pane accipiens, idem, vt diximus, quodam
„ modo erat cum illo cibo in naturam eiusdẽ corporis mu-
„ tato; quod enim carnis cuiusq; proprium est, id etiam illi
„ conuenisse confitemur; nam, & corpus illud pane susten-
„ tabatur. Corpus autem, propterea quod Deus verbum in
„ illo habitauit, diuinam obtinuit dignitatem: quamobrẽ
„ rectè nunc etiam verbo Dei sanctificatum panem in cor-
„ pus verbi Dei credimus immutari. etenim corpus illud
„ panis erat potentia, sanctificatũ est autẽ habitatione ver-
„ bi, quod in carne habitauit. itaq; qua causa panis in eius
„ corpus mutatus in diuinam potentiam transiuit, eadem
„ causa nunc etiam idem fit. vt enim illic ipsum verbũ Dei
„ sanctum effecit illud corpus, cuius firmamentum ex pane
„ constabat, & ipsum etiam quodam modo panis erat, sic
„ etiam hic panis, vt Apostolus ait, per verbum Dei, & ora-
„ tionem sanctificatur; non quia comeditur, eò progrediẽs,

vt per

„ vt per verbum in corpus euadat, sed statim per verbum,
„ vt dictum est, in corpus mutatur à verbo, hoc est corpus
„ meum. Cęterum cũ omnis caro etiam per humidum nu-
„ triatur, nec enim sine humidi coniunctione, quod in no-
„ bis humidũ est, in vita potest permanere, quemadmodũ
„ per solidum, firmumq; cibum corporis soliditatem cõfir-
„ mamus, sic etiam humidum natura simili augemus, quæ
„ cũ in nobis est, à facultate mutante sanguis efficitur; prę-
„ sertim si per vinum eam accipiat vim, vt in calidum con-
„ uertatur. quare cum diuina illa caro partem etiam hanc
„ ad se sustentandum acciperet, Deus autẽ, qui se nobis
„ patefecit, ob eam causam naturam mortalem sibi vniuit,
„ vt eam vnione sua diuinam redderet, idcirco cunctis cre-
„ dentibus gratiæ dispensatione se ipsum impertit per car-
„ nem, quæ ex vino, ac pane constituitur; fideliumq; corpo-
„ ribus coniungitur; vt homo ea coniunctione cum immor
„ tali, immortalitatis particeps fiat. hęc autẽ tribuit mutãs
„ virtute benedictionis naturam rerum, quæ videntur, hæc hactenus Greg. Nyss. quæ quidem de corpore Christi in sacramento, in ecclesia Nyssena, cui pręfuit, quę est in Cappadocia, docuit secundum traditionem beati Petri in ecclesijs Cappadociæ, vbi prædicauit, relictam, quæ tam similia sunt ijs, quę Magnetes philosophatus est, vt nesciã vter alterum imitatus sit. Sane quidem vterq; imitatus est Irinæum; immo & Dominum, cum in euangelio, vt Nicodemo, qui in legis figuras non aspiciebat, regenerationẽ ex aqua, & spiritu. S. suaderet, exemplo quodam terreno vsus est. cui qui non crederent, reliquum erat, vt eis diceret, si terrena dixi vobis, & non creditis, quomodo si cælestia dixero, credetis? sic etiam Clemens Rom. in epistola ad Iulium, & Iulianum, & ad Gentiles, inter quos isti habitabant, gentibus suadet sacramentum baptismi exemplo à natura sumpto, quòd vt omnia, inquit, gignantur ex aquis, & aqua initium creaturę est, sic velit Deus, vt per aquas denuo renascantur. habes Volane in his duobus auctoribus late explicatam rationem suadendi mutatio-

Ratio suadendi mutationem pa

nem

nem panis, & vini in corpus,& ſanguinem Chriſti per verbum eius, ductā ex pane, & vino, quibus dominus in diebus carnis ſuę, ſicut Apoſt. ait, vtebatur, & naturaliter in carnem,& ſanguinem ſuum conuertebat, vt nos conuertimus; ſicut Theophylactus quoq; antiquos patres ſecutus cap. 6. in Ioan. notauit. Hanc eandem rationem Iuſtinus, Irinæus, & Cyprianus breuius, & magis conciſſe tractarunt, ſed nullum eorum tu intellexiſti, melius intellexit poſt condemnationem Berengarij ante annos quadringentos Herbeus Britanus in comment. epiſt. ad Cor. „ neq; mirum, inquit, quod de pane,& vino carnem & ſanguinem ſuum fecit, nam & in quolibet homine carnē, & ſanguinē de pane, & vino facit, quia panis comeſtus mutatur in carnem, & vinum potatum vertitur in ſanguinē per creatoris operationem. Sed pergamus ad reliqua.

nis & uini i corpus & sāguinē Chriſti per uerbū eius, ducta ab antiquis patribus ex pane, & uino, quibus dominus; ut nos utebatur, & in corpus ſuū naturaliter more noſtro conuertebat.

Reſponſio ad illa, quæ ex Chryſoſtomi epiſtola ficta ad Cæſarium, & ex pſ. 22. male conuerſo hæretici obiiciunt: & locus inſignis eiuſdem beati Chryſoſtomi ex homilia in nouam dominicam et in Thomam Apoſtolū, cuius verba eludere non poterit vnquam Volanus. item de auctoritate celebri Euſebij Emiſeni, quem Volanus audet impudenter contemnere, & reiicere: & de locis Cyrilli Alexandrini, & Gregorij Nyſſeni, & alterius Cyrilli Hieroſolymitani obiectis Volano, et ab eo diſſimulatis.

CAP. XVIII.

Obiicis Chryſoſtomū in pſ. 22. quē prius obiecit tuus Petrus Martyr, cui Stephanus Vintoniēſis reſpōdit, cuius reſponſum, vt in aliis ſępius dixi, debueras tu quidē refellere, ſi poteras: aut ſi nō poteras, debebas ſaltē diſſimulare. Sicut diſſimulaſti illa multa alia, in quibus dicis, diſſerte Chryſoſtomū affirmare panem,& vinū manere in ſacramēto. laudo te Volane, quòd illa non es auſus proferre, ne mendacium tuum deprehenderetur, vt Petri Martyris deprehēſum eſt, qui illa multa alia, quę ais; prius obiecit,& reſponſionem tulit, qua cum Stephanus redarguit. ad alia præterea Chryſoſtomi, quæ Petrus Scarga tibi oppoſuit, tu ne verbum quidem in libello tuo reſpondes. Obiect. 18.

„ des,vt cum ait in ſermone de Encęniis,nihil remanet ſub-
„ ſtantię panis in oblatis; & in liturgia viſibilia Deũ in cor-
„ pus ſuum transmutare, & homilia 83. in Math. nos mi-
„ niſtrorum locum tenemus, qui vero ea ſanctificat,& mu-
„ tat,ipſe eſt.Auditores tuos Volane rurſus appello,vt te interrogent,quare ad hęc non reſpondiſti? audebis forte dicere, eſſe in his hyperbolicum, & figuratum ſermonem? eadem licentia potes dicere,quicquid non credis, hyperbolicum,& figuratum eſſe;vt illud dicis eiuſdem Chryſoſtomi in eodem ſermone,non panem, non vinum videri; at non dixit,non ſpeciem panis, non ſpeciem vini videri, ſed non panem,non vinum, quę ſubſtantiam panis, & vini ſignificãt,vt ſciunt Grammatici:illa vero ſpecies panis, & vini non ita,vt ſępe dictum eſt.Sed tu quia ignoras propria ſignificata panis,& vini,& quia non credis in hoc magno ſacramento vllum miraculum eſſe,proprium ſermonem in hyperbolicum transfiguras.

Quare Volanus propriũ ſermoné in hyperbolicum transfiguret.

Obiectio. 19. Quòd epiſtola Chryſoſtomi ad Cęſariũ contra ueritaté corporis Chriſti à Petro Martyre, & Volano obiecta nuſquã extet neq; Gręce, neq; latine.

Ad illud quoq;,quod ex epiſtola Chryſoſtomi ad Cæſariũ obiecisti,reſpõſum quoq; erat antea Petro Martyri ab Stephano Vintonięſi, quod etiã more tuo diſſimulaſti. illud addã ad cõfirmãdã reſpõſionẽ Stephani,euoluiſſe me diligenter volumen Gręcũ epiſtolarum Chryſoſtomi, inter quas non extat iſta à te citata,nec vlla alia ad Cęſariũ, ipſe liber epiſtolarum Gręcarum propediem teſtis erit, breui in lucem Lutetię emittendus. illud etiam te admoneo, & affirmo Volane,euoluiſſe me quàm diligenter potui duo exemplaria Chryſoſtomi manuſcripta Gręca in pſalmos,neque tamen reperiſſe pſal. 22. quem quidem vt non dubito Chryſoſtomi eſſe, ita vehementer ſuſpicor nõ bene locum interpretatum eſſe illum incertum interpretem,quiſquis ille fuerit. obtuliſſe enim in ſimilitudinem corporis, & ſanguinis Chriſti panem, & vinum non nobis, ſed ipſi Melchiſedech tribuit Chryſoſtomus,cũ panem,& vinum, quę obtulit Abraę, vmbram noſtri ſacramenti fuiſſe dicit pſal. 109. Sic enim ait, & quare dixit ſecũdum ordinem Melchiſedech? reſpondet, & propter ſacram en-

Reſpõſio ad id quod ex Chryſoſtomo pſ. 22. obiicitur, quę Petrum Martyrem,& Volanũ coarguit.

" cramenta, quòd ille quoq; panem, & vinum Abraæ obtulerit, & quòd hoc sacerdotium sit à lege liberum, & quòd neque finem, sicut dicit Paulus, neq; principium habeat. postea subiungit, quod enim ille *ἐν σκιαῖς*, idest, in vmbris habuit, sic enim est in Græcis exemplaribus, hoc reuera fuit in Iesu Christo. vmbra igitur fuit sacerdotium Melchisedech, & vmbra item sacrificiũ, idest tenuis, & obscura repræsentatio, & similitudo nostri veri sacrificii, in quo nisi verum corpus Christi esset sub specie, & similitudine panis, non fuisset vmbra in pane, & vino Melchisedech nec in nostris pane, & vino mysticis esset veritas; ac proinde quòd panem, & vinum, sicut scriptura testatur, obtulit, nõ in figura cõtigisset illi, nec vmbra fuisset, vt pater Chrysost. quẽ tu obiecisti, affirmat. sed ne amplius audeas Volane, si quid pudoris reliquum est, locum Chrysostomi psal. 22. obijcere, locum dico incerti interpretis e Græco, & psalmi, qui non extat Græce cum reliquis psal. & qui à loco eiusdem Chrysost. de Melchisedech, psal. 109. discrepat, vt docui, recitabo hic locum ex homilia eiusdem in nouã dominicam, & in Thomam Apostolum, ex quo plane intelliges, si tamẽ credere volueris, quid pater Chrysostomus, de sancta Eucharistia ex scripturis sanctis didicerit, crediderit, & docuerit. Beati, inquit, qui nõ viderunt, & crediderunt: ad nos pertinet hæc beatitudo, qui non vidimus eum, & credidimus in eum: Beati enim qui fide vident eum, qui videri non potest. *μακάριοι ἡμεῖς, οἱ καθεκάστην πανήγυριν ὁρῶντες αὐτόν; καὶ τοῖς ὀφθαλμοῖς προσφέροντες, καὶ τοῖς στόμασι ἀσπαζόμενοι, καὶ τοῖς ὀδοῦσι ἐσθίοντες, καὶ μὴ καταναλίσκοντες, ὃν ἐσθίομεν. ὢ μυστηρίων ξένων, ὢ μυστηρίων φρικτῶν, ὁ καθήμενος ἐν δεξιᾷ τοῦ πατρὸς ἐν ταῖς δεξιαῖς δ'είσκεται τῶν ἁμαρτωλῶν, καὶ ὁ παρὰ τῶν ἀγγέλων ὑμνούμενος, παρὰ ῥυπαρῶν κρατεῖται χειρῶν, καὶ φέρει φερόμενος ὑπὸ τῶν ἀναξίων τοῦ φέρειν αὐτόν, οὐ φεύγει τὰς ἁμαρτωλοὺς παλάμας ἡμῶν, οὐ φεύγει τοὺς κατακείτους δακτύλους, οὐ συντρίβει τοὺς πηλίνους ὁ ποιητής, ἀλλ' αὐτὸς προτρέπεται καὶ λέγει, λάβετε, φάγετε, φέρετε τὰς χεῖρας ὑμῶν, καὶ βάλετε εἰς τὴν πλευράν μου, καὶ τὴν ἐμὴν κατανοήσατε πάντες με-* [illegible].

Insignis locus Chrysost. de S. Eucharistia contra Caluinianos.

O λων

λῶν, ὅπερ γὰρ ἐὰν λάβητε μέλος, ἐν ἐκείνῳ ὅλος εἰμὶ ὁ παρὰ τοῦ Θωμᾶ ψηλαφηθείς. προσερχώμεθα τοίνυν ἅπαντες καθαρῶς τῷ καθαρῷ, interpretemur latine, beatî, inquit, nos, qui in vno quoq; conuentu ecclesiæ eũ videmus, eumq; oculis admo uemus, & ore salutamus, ac dentibus edimus, & quem edimus, sed non consumimus; ò sacramenta inaudita, ò sacramenta tremenda, qui sedet ad dexteram patris, in dextris hominum peccatorum reperitur: & qui ab angelis laudatur, fœdis manibus tenetur; & portat, qui portatur ab indignis, qui eum portent: non fugit manus peccatrices: nõ fugit digitos reos: non conterit ex luto fictos, eorum au- ctor: quin potius ipse hortatur, & dicit, accipite, edite, adhibete manus vestras, & mittite in latus meum: & omnes mea membra tenete; quodcunq; enim membrum ceperitis, in eo sum totus, qui à Thoma contrectatus sum. accedamus ergo omnes pure ad purum. Subiungit deinde, & dicamus accedentes, domine, non sumus digni, vt intres sub tectum animarum nostrarũ, sed quia tu vis capi, & teneri à nobis, quia tu vis vt benignus habitare in nobis, confidentes in te, accedimus ad te, dicentes, iubes domine, vt aperiamus ostia oris nostri, ingrederis enim benigne, vt tua est natura; ingrederis, & soluis vincula peccatorum: ingrederis, & illuminas cogitationes nostras tenebris obscuratas. Credimus domine, quòd hoc facies: nec enim meretricem cum lacrymis accedentem repulisti: neque publicanum pœnitentẽ abiecisti: neq; latronẽ agnoscentem regnum tuum repudiasti: neque persecutorem pœnitentem deseruisti. immo omnes, qui cum pœnitentia accesserunt, in numero amicorũ posuisti: huiusmodi precibus, & animis puris cælestia sacramẽta participamus. hactenus Chrysost. Age vero nunc Volane, admouetur ne oculis in sacramento, quod absens est à sacramento, idest corpus Christi? adhibentur ne manus absenti? fertur in manibus, qui absens est? aut teritur dẽtibus absens? vel dicã potius teritur ne dẽtibus quod non est in ore? an quia Chrysostomus dicit, fide videri, qui videri nõ potest, dictu-

dicturus es reliqua omnia, ferre in manibus, ore ſalutare, edere dentibus, attrectare digitis, hęc omnia ſpiritu fieri? at ſpiritus carnē,& oſſa nō habet, vt poſſit manu attrectā re, ore capere,& dentibus terere. nondum intelligis, vel dicam potius nondum credis, tunc enim intelliges, cum crediderís, hæc omnia per ſpecies ſenſibiles,panis, & vini in ſacramēto fieri?vtar tecum exemplo familiari, ſi te medicus cibo quopiam curare vellet, quem,ne nauſeam mo ueret,melle illitum porrigeret,& in os mitteret, an niſi cibum aperte videas;& dentem cibo infigas,ſed mel ſolum guſtes, neges habere te in ore cibum, & in ſtomachum traijcere? medico credis dicenti cibum eſſe, & quidem ſalutiferum, & te illum ſumere non dubitas, tametſi nihil ſenſu præterquam mel percipitur, & Chriſto & verbo eius non credis? ita ne durus es, vt Capharnaitas imitari malis? dices fortaſſe hyperbolicum eſſe Chryſoſtomi ſermonem, quia, dicit, mittite manus in latus meum; nobis Volane, qui credimus totum Chriſtum à nobis edi, non eſt hyperbole, non enim manus in vnum membrum eius mittimus, ſed in totum corpus, qui autem in totum corpus manum mittit, quomodo poteſt non mittere in latus?

Quomodo exemplo familiari coarguitur Volanus nō credēs carnē Chriſti in ſacramentō, manducari, quia non percipit ſenſu hoc.

Obiecit præterea tibi Petrus Scarga Euſebium Emeſ-
„ ſenum in homil. 4. de paſcha,cum ait,inuiſibilis ſacerdos
„ viſibiles creaturas in ſubſtantiam corporis, & ſanguinis,
„ ſui verbi ſecreta poteſtate conuertit, ita dicens, accipite;
„ & edite, hoc eſt corpus meum,& quæ ſequūtur;huius tandem teſtimonij lucē clariſſimam in oculos tuos infirmos incurrentem cum ſuſtinere non poſſes,ſicut dæmon,cum exorciſmi vim ferre non poteſt, confiteri cogitur verita-
„ tē, ſic tu,fateor, inquis,verba eius ita ſonare,vt mutationē
„ ſignorum in res ipſas fieri contendat. Cur igitur non cre-
„ dis? quia, inquis, non tanti eius auctoritas apud nos eſſe
„ debet, vt nomine ſcriptoris non adeo celebris, neq, tam
„ laudati ſanam orthodoxorū patrum ſententiā, obſcura-
„ ri patiamur, quid ſi fuiſſet celeberrimus, & laudatiſſimus?

Quomodo Volanus quia ferre non potuit lucē teſtimonij clariſſimi ex Euſebio Emeſſeno,eum reiecit tāquam ignobilem auctorem.

cessisses Volane? minime. quid igitur ais, non esse tanti apud vos auctoritatem scriptoris non adeo celebris; neque tam laudati? at beatus Hieronymus non dubitauit hunc auctorem, quem tu audes cōtemnere, inter celebres, & laudatos scriptores in catalogo suo referre, immo vide Volane, ne hoc sit, quod Apost. de hæretico post vnam, & alteram correctionem vitando, dixit, subuersum esse, & proprio iudicio condemnatum; scilicet quia quæcunque contradicuntur, aut inuertat, aut corrupte interpretetur, aut neget, aut dissimulet; deniq; quia nolit vllos auctores quamuis nobilissimos, qui contra sentiant, causæ suæ iudices. ad auctoritatem vero Hieronymi, & Cyrilli, qui testimonium contra te clare dicunt, sic respondes, non aliam

Vnde sit coniectura subuersum esse Volanum, & proprio iudicio condemnatum.

" cōuersionem eos agnoscere, scripta eorum testari, nisi quæ
" in ui, & dignitate sacramētorum consistit; ut nimirum ex
" rebus terrenis, & uilibus elementis sint rerum sacrarum,
" ac diuinarum sublimia signa. Si ita est Volane, & non il-
" ludis ijs, qui te audiunt, profer illis uel vnum saltem auctorem ex antiquis patribus, qui ista forma verborum, qua tu passim uteris, & quam ubiq; inculcas, vsus fuerit de conuersione siue mutatione, quæ in sola dignitate sacramentorum consistat. ut si protuleris, nos causa cadamus: sin uero nō protuleris, tu rursus causa cadas, & uictus ac prostratus iaceas. illud vero non est prætereundum, quod dū Hieronymum tecum facere vis, quia dixit Matth. 26. vt ipse quoque ueritatem corporis, & sanguinis repræsentaret; vim uerbi repræsentandi ignorare te ostendis. non enim semper quod repræsentatur, ut tu falsò existimasti, non existit. Cōsule auctores linguæ latinæ, ut ab eis, quod dico, discas. Deinde obiecit tibi Petrus epistolam Cyrilli

Quod Volanus nunquā protulit, neq; proferre unquā poterit, neq; Petrus Martyr, quē sequitur, ullū scriptorem, qui forma uerborum, qua passim utitur in mutatione, quę in sola dignitate sacramentorum consistat, usus unquam sit.

" Alexandrini ad Calosyrium, in qua ille, ne horreamus, in-
" quit, carnem, & sanguinem apposita sacris altaribus; con-
" descēdens Deus nostris fragilitatibus influit oblatis vim
" vitæ, conuertens ea in veritatem propriæ carnis. ad hunc locum cum illam formulam tuam de cōuersione, siue mutatione, vsu, & dignitate, accommodare nullo modo posses,

Locus Cyrilli à Volano dissimulatus.

ses,callide totum locum dissimulasti; quod quidem mihi
magno argumento est, esse te ex subuersis, & proprio iu-
dicio damnatis, quos Paulus dicit,& paulo ante aiebam;
vtinam me mea coniectura fallat; beatum te, si fefellerit,
quod vehementer opto, & cupio. Sed pro illo loco Cyril-
li à te præterito tanquam nodo, quem expedire non po-
tuisti,ad alium locum eiusdem epistolæ te vertisti, in quo
aliquid te inuenisse tuæ causæ commodum falsò putasti;
„ decebat,inquit Cyrillus,eum nostris vniri corporibus per
„ sacram eius carnem, & preciosum sanguinem, quæ acci-
„ pimus in benedictione viuificatiua in pane, & vino. hic
„ tu carnem, inquis, Christi, & sanguinem in pane, & vino
„ percipi asseuerat.Hic ego si responderem tibi Volane spe
ciem panis, & speciem vini vocasse Cyrillum panem,& vi-
num scio, non crederes; at non ego hoc, sed ipse Cyrillus
respondet, qui in sermone de cœna domini, & lauatione
pedum, vt supra memini, similitudinem panis,& vini vo-
cauit, quæ nunc panem, & vinum vocat. & in comm. in
Esaiam. c. lxv. explanans locum illum, Leo & bos come-
» dent paleas. comedunt, inquit, cum mansuetis fera; eo-
» rum vero cibus Christus est ille panis viuus, qui de cælo
» descendit, & dat vitam mundo. τρέφει σαρκὶ τῇ ἰδίᾳ πρὸς ἀ-
» φθαρσίαν ἡμᾶς ἀναμορφῶν καὶ ζωὴν, καὶ τοῖς ἑαυτοῦ κηρύγμασι
» τουτέστι ταῖς εὐαγγελικοῖς. idest, alit autem tum propria car-
» ne,ad immortalitatem, & vitam nos reformans,tum præ-
» dicationibus scilicet, euangelicis.. trahe huc si potes vel
obtorto collo, vt tu Petro obiicis, trahe inquam Volane
ad propriam Christi carnẽ,quam Cyrillus dicit,tuam me-
tonymiam, & figuram corporis. Venit hic in mentem Vo
lane, vt te admoneam, quę in Petrum Scargam in ipso fe-
re libelli tui vestibulo sripsisti, in te ipsum potius scripsis-
se, te enim tuis coloribus depinxisti, cum ais, vtar verbis
» tuis,adeo nihil Augustinum pro se facere Petrum demon
» strasse,vt restitantem potius,ac inuitum,quò nolit ille,ob
» torto collo trahat,& quę sunt illius clara ac dilucida, aut
» sicco pede prętereat,aut interpretationibus obscurare, &

in

„ in alienum ſenſum detorquere ſummo ſtudio cõtendat. videamus nunc, an hæc in te potius quadrent. dic Volane, præteriuiſti tu ſicco pede locum Cyrilli Alexandrini paulo ante recitatum, & tibi à Petro obiectum? an fugit potius, & præteruolauit? idem interrogabo de altero Cyrillo Hieroſolymitano tibi etiam obiecto, cum ait in 4. ca-
„ techeſi myſtagogica, cum igitur Chriſtus ipſe ſic affirmet,
„ atq; dicat de pane, hoc eſt corpus meum, quis deinceps
„ audeat dubitare? ac eodem quoq; confirmante, & dicen-
„ te, hic eſt ſanguis meus, quis dubitabit, aut dicet, non eſſe
„ ſanguinem? aquam aliquando mutauit in vinum propin-
„ quum ſanguini in Cana Galilææ ſola volũtate, & non erit
„ dignus, cui credamus, quòd vinum in ſanguinẽ tranſmutari? cur hic quoque locus præteruolauit? cur pede ſaltẽ ſicco, vt tuo vtar prouerbio, non attigiſti? Si taces, dicam ego, quia nõ potuiſti detorquere, ne obtorto quidem collo, vt tu de Petro dicis, tranſmutationem ad vſum, & dignitatem panis in tuo ſacramento. immo non contentus diſſimulatione horum duorum, tertium vnà cum iſtis prę teruectus es, Gregorium dico Nyſſenum in ſermone Ca-
„ techetico, rectè igitur ait, & nũc panem diuino verbo ſan-
„ ctificatum in corpus Dei verbi, tranſmutari credimus. &
„ infra, panis ſanctificatur per verbum Dei, & orationem;
„ non per comeſtionem ad hoc procedens, vt corpus verbi
„ fiat, ſed mox in corpus per verbum tranſmutatur, quem
„ admodũ ab ipſius verbo dictum eſt, hoc eſt corpus meũ. hæc Petrus ex Gregorio recitauit, deinde ſubiungit idem
„ Petrus, tranſmutantur, inquit, non per comeſtionem, &
„ vſum, ſed per verbum. tria illa, quę poſuimus, duobus ver
„ bis eſt complexus. Si per verbum, & non per vſum, & co-
„ meſtionẽ tranſmutatio eſt, quis dubitet eſſe corpus Chri-
„ ſti in Euchariſtia ex vi ſacramenti, quod per ipſa verba fit?
„ deinde ſi fit, antequam ſumatur, qui ſacramẽtum ſumit,
„ procul dubio Chriſti corpus iam ſanctum ſumit. ad extre-
„ mum, ſi eſt tranſmutatio panis, in ſubſtantia eſt, nõ in gu-
„ ſtu, & tactu, & reliquis accidentibus, quæ non mutantur.

Locus Cyrilli Hieroſ. à Volano prę-teritus.

Locus Greg. Nyſſeni à Volano prętermiſſus.

hacte-

„ hactenus Petrus. Ad hæc Volane, quibus te Petrus plane redarguit, nihil penitus respondisti, loco Greg. Nyss. insuper à te dissimulato; in quo satis te victum, & superatū esse declarasti; siquidem ad ἀφωνίαν te compulit; idest, fecit, vt mutus esses, dum fecit, vt nihil ad respondendum haberes. Dic Volane, quis obtorto collo trahere Augustinum, quò nolit, iudicandus est, qui illum verbis suis loquentem, nulla interpretatione adhibita citat; an tu? qui cum alioqui ingenue confitearis, cum ab Augustino, & alijs patribus sit sermo de sacramentis, crebram mutationis elementorum ab his fieri mētionem (ita enim scribis) tamen vt tergiuersando quoquomodo effugeres, coactus es profanā nouitatem verborum cōtra Paulum Apostolū adinuenire, & obtorto collo, vt tu contra Petrum dixisti, mutationem ab Augustino, & patribus in hoc sacramento crebro, te teste, commemoratam ad mutationem in fine rerum ipsarum, & vsu, nō autem in substantia trahere;
„ Sic enim ais, sed in fine rerum ipsarum, & vsu, non autem
„ in substantia hanc mutationem fieri cōtendo. Si hæc fuit Augustini, & aliorum patrum mens, & ista tua interpretatio cum eorum mente, ac sensu concordat, profer vel semel Augustinum, aut alium ex S. patribus sic loquentem. ostēde in illis istam tuam formulam, istud dico genus mutationis in fine rerum ipsarum, & vsu, aut dignitate, vt loqui soles: cum enim hic sit constituta tota vis sacramenti, & mutationis factę in creaturis, siue elementis per Dei verbum, profecto debuerunt non tacere ista tua verba.

Quomodo Petrus Scarga Volanum ad ἀφωνίαν compulit, .i. fecit, ut mutus esset, quia nihil ei reliquit ad respondendum.

Responsio ad locum ex Theophylacto nobis à Volano contra se obiectum: et quomodo propriis verbis Theophylacti redarguitur Volanus; & de Leontij Aetholij & Seueriani Gabalonensis confirmatione: respōsio itē ad aliā rursus obiectionem ex Theophylacto: et de corruptela loci Theophylacti in Volano deprehensa. item locus insignis ex libro eiusdē Theophyl. de corpore Christi.

CAP. XIX.

Respon-

RESpondes deinceps ad Theophylacti, & Damasceni auctoritatem tibi à Petro Scarga obiectam, ita vero respondes ad auctoritatē Theophylacti, vt rursus eū nobis obiicias, sic enim ais, nam Theophylactus cum non

Obiect. 20.

" figurā corporis, sed veram Christi carnem nos mãducare
" affirmat, hæc deinde subijcit, & quomodo, inquit, caro nō
" videtur? ò homo propter nostram infirmitatem fit, quia
" enim panis, & vinum ex ijs sunt, quibus assueuimus, ea nō
" abhorremus; sanguinem vero propositum vidētes, & car-
" nem non ferremus, sed abhorreremus, ideo misericors
" Deus nostrę infirmitati condescendens, speciem quidem
" panis, & vini seruat; in virtutem autem carnis, & sangui-
" nis transelemētat. Deinde subiungis tu, ex his vero Theo
" phylacti verbis nihil aliud colligi potest, quàm veram qui-
" dem corporis Christi manducationem in sacramēto exhi
" beri, sed nihilominus integras elementorum species per-
" manere, quando hæ in ipsam carnem permutatæ, nos ab
" esu deterrerent; nunc vero cum sint saluæ, & cum consue
" to à nobis modo manducētur, nihil nobis horroris incu-
" tiunt, quia in virtutem corporis, & sanguinis conuersę,
" spiritualem corporis, & sanguinis Christi manducatio-
" nem, non corporalem nobis exhibent. hæc tu Volane, quibus te ipse mirifice redarguis. primum quidem, quod nihil respondes ad id, quod in auctoritate Theophylacti potissimum erat, cum affirmat non figuram corporis, sed veram Christi carnem nos manducare; ex quo fit necessariò, vt quod dominus Iesus dixit, hoc est corpus meum, auctoritate testis tui Theophylacti, quem contra nos interpretaris, non de figura corporis accipiatur, sed de ipso corpore. Deinde, quod sæpius tibi obieci, & nunc denuo obijciendum est, panem, & vinum idem per ignorantiam sermonis latini significare putas, quod species panis & vini. itaq; sunt quidem panis, & vinum, vt ait Theophy. ex ijs, quibus assueuimus, non autem species panis, & vini; sed facta conuersione panis & vini, quibus vtimur, ne car
" nem specie carnis, quod natura abhorret, edamus speciē,

ait

ait Theophylactus panis, & vini seruari; Grece est εἶδος quod definiunt, τὸ ἑτέρου ἀνενδεῶς ἔχον πρὸς τὸ ὁρᾶσθαι, idest species, quæ non indiget alio, vt videatur, vt quidem indiget substantia, nõ enim est per se sensibilis, vt philosophi tradunt. Satis autem declarauit Theophylactus, diuersitate verborum diuersas res à se significari, sed ne sic quidẽ intelligere voluisti. Si enim, cum dixit Theophylactus speciem quidẽ panis, & vini seruat; panem & vinum, quibus vti consueuimus, intelligebat, cur vocabulum mutauit? cur non dixit vtrobiq; panem, & vinum? quare, si amplius de hoc contendere volueris, dimittam te ad Grammaticos latinos, & græcos, vt ab illis discas, quod hactenus non didicisti. Præterea, cum ait Theophylactus, speciem quidem panis, & vini seruat, in virtutem autem carnis, & sanguinis transelementat, quomodo fieri potest, vt dicat transelementari id ipsum, quod dicit idem seruari? aliud ergo est, quod dicit trãselementari, nempe panem, & vinum, quibus vti cõsueuimus, vt supradixerat; & aliud quod dicit seruari, nempe speciem panis, & vini. Sed hic Volane, scio, confugies ad regulam Petri Martyris, quam

Regula Petri Martyris contra Eucharistiã coarguitur falsitatis.

» te docuit his verbis, vbicunq; apud patres fit mentio mu-
tationis, vel conuersionis, intelligendum est de mutatio-
» ne sacramentali, qua res illę non transubstantiantur, sed
» fiunt nobis sacramenta ad significandum efficaciter, ad
» tribuendum animis, & fidei nostræ per vim spiritus S. cor
» pus, & sanguinem domini. sed faciam rursus, vt ipsa ratio te cogat, velis nolis, confiteri tacitum saltem, non habere hic locum istam profanam, & fallacem magistri tui regulam. Si fit hic transelementatio, quæ Græce dicitur μεταστοιχείωσις, & μεταποίησις ab hoc auctore, ergo alia substãtia erat prius, & alia postea est; mutatio enim vt antea dixi, manente eodem subiecto, solum fit secundum quantitatem aut locum, aut qualitatem aliquam naturalem, quæ non dicitur, nec est μεταστοιχείωσις, vel μεταποίησις; aut si nõ erat prius alia substãtia, & alia postea, nõ fit μεταστοιχείωσις idest trãsitus ab vna substantia ad aliam; hoc enim signi

P ficat

ficat μεταστοιχείωσις, idest, transelementatio; neque μεταποίησις quæ similiter significat transitum ab vna natura ad aliã: modus enim rei non sacræ nõ dicitur, nec est στοιχεῖον, aut ποίημα, idest elementum, aut creatura; siquidem non esse rem sacram mera negatio est, vnde ista tua sacramẽtalis mutatio ex re non sacra in rem sacram non potest dici nec esse μεταστοιχείωσις, neq; μεταποίησις. deinde, quod sequitur in Thophylacto, in virtutem carnis, & sanguinis transelementat, aperte iam mutationem istam vestram sacramentalem redarguit. Virtus enim propria scilicet, & naturalis, carnis, & sanguinis inseparabilis est à carne, & sanguine; sicuti calor proprius ignis inseparabilis est secũdum naturam ab igne; quare cũ dicit Theophylactus, transelemẽtari, panem scilicet, & vinum εἰς δύναμιν, idest, in virtutem carnis, & sanguinis, perinde est, vt si diceret, in carnem, & sanguinem. δύναμιν enim dicit ἐνυπόστατον. Clarius hunc locum expressit Leontius Eutholius, quem in hoc euangelista, & reliquis tribus Theophylactus secutus est, describã eum Græce, vt cõferat Volanus vtrumq;. συγκαθιστάμενος δὲ ταῖς ἡμετέραις ἀσθενείαις ἐνίησι τοῖς προκειμένοις δύναμιν ζωῆς, καὶ μεθίστησιν αὐτὰ πρὸς ἐνέργειαν τῆς ἑαυτοῦ σαρκὸς, ἵνα εἰς μέθεξιν ζωοποιὸν ἔχοιμεν αὐτὰ, καὶ οἷον σπέρμα ζωοποιὸν ἐν ἡμῖν εὑρεθῇ τὸ σῶμα τῆς ζωῆς. demittens, inquit, se
" ad nostras infirmitates, in proposita, scilicet panem, & vi-
" num immittit virtutem vitę; & transmutat ea ad energiã
" suę carnis, vt habeamus illa in viuificam participationẽ;
" & tanquam semen viuificũ inueniatur in nobis corpus vi
" tæ. quam Theophylactus dixit virtutem carnis, & sanguinis, Leontius dixit energiam carnis suæ, est enim energia, vt ecclesiastici patres definiunt, vniuscuiusq; naturæ virtus propria. hanc ipsam energiam, siue virtutem carnis Christi vocauit hic idem Leontius virtutem vitæ; quia caro Christi vnita est cum diuinitate, quę est vita. Vnde rursus, vocat corpus vitæ, quod in nobis tanquam semen viuificum inuenitur, Vt ergo semen non extra terram, sed corporaliter in terra seminatur, sic in terra corporis nostri

Quomodo testimoniũ Theophylacti à Volano citatũ mutationem sacramentalem, quã Caluiniani cõmenti sunt, redarguit.

Corpus Christi in sacramẽto semen quoddam esse uir.utis re-

ſtri corpus eſt Chriſti viuificum tanquàm ſemen futurę in nobis reſurrectionis; ſicut ante Leontiũ Seuerianus quoque Gabaloñẽſis epiſcopus dixit, quẽ Nicephorus ſcribit excelluiſſe tẽpore Chryſoſtomi in concionibus, ſentẽtiarum, & teſtimoniorum ſcripturæ ſanctæ frequentia, pa-
„ nem, inquit, verbum Dei ſumpta humanitate in myſtica
„ cœna ſacræ illius operationis magni myſterij primus ipſe
„ accepit, & benedixit, & dedit diſcipulis in memoriam ſuæ
„ mortis, & reſurrectionis dicẽs, hoc eſt corpus meum; dein-
„ de ſubiũgit, ὃ καὶ ἐσθίομεν, καὶ ἀπαθὲς καὶ ἀθάνατον, καὶ ἀφθαρ-
„ σίας πλῆρες, καὶ ἀναπιμπλῶν ἡμᾶς τῆς αὐτοῦ εὐλογίας καὶ ἀθανα-
„ σίας, καὶ ἀφθαρσίας ὥσπερ τι σπέρμα τῆς μελλούσης ἡμῖν ἐπιγίνε-
σθαι θείας χάριτος καὶ δυνάμεως τῆς ἀναστάσεως, qđ, inquit, &
„ comedimus, & eſt impaſſibile, & immortale, & incorru-
„ ptione plenum, & implens nos benedictione, & immorta
„ litate, atque incorruptione tanquàm ſemen quoddam fu
„ turæ in nobis diuinæ gratię, & virtutis reſurrectionis. Quare Volane, ne ſperes quòd corpus tuũ ſeminatum in corruptione, ſurget in gloria, niſi ſemen viuificum, quod eſt corpus vitæ, in terra corporis tui non ſolum ſpiritualiter, ſed corporaliter habere volueris.

ſurrectionis futurę in terra carnis noſtrę ſatũ auctoribus Leõtio, & Seueriano.

Veniamus iã ad Damaſcenũ, quẽ cõfiteris, paſſim aſſeuerare conuerſionẽ panis in corpus Chriſti, ſed eã conuerſionẽ vt eludas, & vtcunq; elabi, tuis, quos decipis, videa-
„ ris, obijcis rurſus eundẽ Damaſcenũ; Sic enim ais, confert
„ enim in quodã loco ſacramentũ cœnæ domini cũ baptiſ-
„ mo; & conſueuiſſe dicit Deum humanæ conſuetudini ſe
„ attemperare. cum itaq; ſoleãt homines aqua lauari, & vn
„ gi oleo, idcirco Deus ijs rebus gratiam ſuam adiunxit, &
„ ſpiritum baptiſmo; ita cum ſit mos hominũ edere panẽ,
„ & bibere vinum, ijs rebus adiunxit ſuam diuinitatem. Si
„ ergo perinde pani, & vino adiunxit Deus diuinitatem, ſi
„ cut baptiſmo gratiam, & ſpiritum ſanctum, neque tamen
„ mutatur aqua in hæc dona cæleſtia, ſequitur, neq; panem
„ naturaliter in carnẽ, & vinum in ſanguinem mutari, quã-
„ uis diuinitatem hæc elementa verbo Dei ſanctificata ha-

Obiectio. 21.

„ beant adiunctam; hactenus tu. ergo quia Damascenum testem nostrum, testem quoq; tuum esse voluisti, sit ipse causæ tuæ iudex, cuius testimonium corrumpere voluisti. recitemus, quæ Damascenus scripsit lib. 4. de fide ortho-
„ doxa in capite de mysteriis; & sicut in baptismo, inquit,
„ quia consueuerunt homines lauari aqua, & vngi oleo, cō-
„ iunxit cum oleo, & aqua gratiam spiritus sancti, & fecit
„ eam lauacrum regenerationis; sic, quia consueuerunt ho-
„ mines pane vesci, aquam, & vinum bibere, coniunxit cum
„ eis suam diuinitatem, & fecit ea corpus, & sanguinem
„ suum, vt per ea, quę consueta sunt, & secundum naturam,
„ in iis, quæ supra naturam sunt, simus. Corpus est vere cum
„ diuinitate vnitum, corpus ex Maria Virgine, nō quidem,
„ quòd corpus ipsum, quod assumptum est, è cęlo descen-
„ dat, sed quòd ipse panis, & vinum transmutantur in cor-
„ pus, & sanguinem Dei. Si vero modum inquiris, quomo-
„ do fiat, satis habe audire, quòd per spiritum. S. sicuti ex Vir
„ gine Dei matre per spiritum. S. sibi, & in se dominus car-
„ nē hypostatice vniuit; & nihil amplius scimus, quā quòd
„ verbū Dei verum est, & efficax, atq; omnipotens: modus
„ vero in perscrutabilis est. En Volane, deprehensa est corruptela, quam in testimonio Damasceni molitus es. non dixit Damascenus, vt tu finxisti, sicut aquæ, & oleo, quibus homines ad lauandum, & vngendum vti consueuerunt, gratiam suam adiunxit, & spiritum baptismo, ita pani, & vino adiunxit suam diuinitatem; non sic, inquam, dixit, nec hic substitit; sed sicut, inquit, coniunxit cum aqua, & oleo, quibus homines vti consueuerunt, gratiam spiritus S. & fecit aquam lauacrum regenerationis, sic quia consueuerunt homines vesci pane, & aquam, & vinum bibere, coniunxit cum eis suam diuinitatem, & fecit ea corpus, & sanguinē suum. hoc tu Volane dissimulasti, & quasi non dixisset, sic conclusisti, si ergo perinde pani, & vino adiunxit Deus diuinitatem, sicut baptismo gratiam, & spiritum. S. neque tamen mutatur aqua in hęc dona cælestia, sequitur, neq; panem naturaliter in carnem, & vinum.

De corruptela Volani deprehēsa, quā in Damasceno teste molitus est.

num in ſanguinem mutari. quomodo cohæret hæc tua commentitia concluſio cum eo, quod modo ex Damaſceno audiſti, & fecit ea (panem, & vinum dicit) corpus, & ſanguinem ſuum? Damaſcenus gratiam ſpiritus ſancti dixit coniunxiſſe cum aqua, & oleo, non diuinitatem; neq; dixit, feciſſe aquam, & oleum corpus, & ſanguinem, ſed hæc dixit de pane, & vino, quibus vtimur; hæc enim mutat, vt idem Damaſcenus in eodem capite ait, in corpus, & ſanguinem ſuum; cũ quibus diuinitas eſt hypoſtatice vnita. Cur tu hæc inuertiſti, mutilaſti, corrupiſti? qui vſque adeo timorem futuri iudicij abieciſti, vt ſpreta bona conſcientia, & fide non ficta, inflatus ſenſu carnis tuæ, in vaniloquium totus conuertaris volens eſſe legis doctor. iam quòd conuerſionem panis in corpus Chriſti, quam confiteris, paſſim à Damaſceno aſſeuerari, eò ſpectare interpretaris. non quidem quòd mutatio panis, & vini in corpus
» & ſanguinem Chriſti fiat, quin potius inquis, vt non nuda
» ſigna panem, & vinum eſſe putemus, ſed adiunctam eſſe
» externo ſigno veritatem corporis Chriſti, hoc commentum tuum ipſe Damaſcenus ibidẽ plane redarguit. Age enim Volane, ſi tu quomodo fiat conuerſio panis in corpus Chriſti, quam Damaſcenus dicit, aſſecutus es, & aliis, quos docere vis, per conuerſionem ſacramentalem interpretaris, ſicut ex Petri Martyris regulis didiciſti, quomodo idem Damaſcenus ait hic, modum conuerſionis non eſſe inquirendum? non enim poſſe nos aſſequi, non magis quàm aſſequi poſſumus, quomodo verbum Dei carnem ex Virgine matre ſumptam, ſecũ hypoſtatice copulauit, hoc tantum ſcimus, incarnatum eſſe, modum vero ait inperſcrutabilem eſſe. Iam ne vides, iam ne ſentis Volane, interpretationem tuam, quam in cõuerſione, quam Damaſcenus dicit, finxiſti, ab eodem Damaſceno coargui? ſi quidem tu interpretaris in Damaſceno, quod Damaſcenus ipſe dicit minime interpretabile eſſe. Dicam iterum Volane, nos, vt ſit corpus Chriſti, vbi prius erat panis, credimus verbo Dei fieri, qui dixit ſumpto pane

Quomodo Volanus interpretatur, quod teſtis ab ipſo citatus teſtatur non eſſe interpretabile.

Vt modus incarnationis ne-

que perscrutabilis nec interpretabilis est, sic neque modus mutationis panis, & uini in corpus & sanguinē Christi.

pane in manus, & mentiri non potuit, hoc est corpus meum; quomodo vero hoc fiat, nullus scire potest, nisi Deus, qui facit. hoc ipsum sentit testis tuus, & noster Damascenus; qua igitur temeritate plusquam satanica audes interpretari, quomodo fiat conuersio panis in corpus Christi, quam Damascenus, vt tu fateris, passim asseuerat, & dicit, ininterpretabilem esse? Cur non potius confiteris cum teste tuo, & nostro Damasceno, immo cum omnibus ecclesiæ catholicæ patribus, panem quidem cōuerti, siue mutari verbo Dei in corpus Christi; quomodo vero, non te assequi, immo nec inquirere velle, sicut nec quomodo verbum Dei incarnatum sit, inquiris, nec inquirendum esse indicas? ista vero mutatio sacramentalis, quā inuenistis ad interpretandum mutationem panis in corpus Christi, quam in omnibus antiquis patribus legistis, quid haberet grandis sermonis, & ininterpretabilis ad dicendum, sicut Apost. ait de Melchisedech, vt cum incarnatione à Damasceno comparanda esset? quid enim poterat esse facilius ad intelligendum, & explicandum, quàm quomodo secundum vestram sectam fiat mutatio, siue conuersio panis in corpus Christi? siquidem fit, vt dicitis, faciendo res ipsas ex communibus, & profanis per sanctificationem virtute verbi Dei sacras, siue sacra signa corporis, & sanguinis. erat ne in hoc illud inperscrutabile, quod Damascenus dixit, quem in nos citasti? Præterea scripsit idem libellū inscriptum de corpore Christi, quod sumimus, quem in bibliotheca illustrissimi, ac Reuerēdissimi Cardinalis Sfortiæ reperi vetustate nimia ex magna parte consumptum, cōfert in eo hic auctor, hoc sacramētum cum mysterio incarnationis; ἐκεῖ, inquit, ἡ ἁγία παρθένος ἡ τράπεζα ἔχουσα τὴν ὕλην τοῦ σώματος, εἶτα κατὰ τὴν τοῦ ἀγγέλου φωνὴν πνεῦμα ἅγιον ἐπῆλθεν ἐπ' αὐτήν, τότε ἡ δύναμις τοῦ ὑψίστου αὐτῇ ἐπεσκίασεν ὁ θεὸς λόγος θεία ὑπόστασις. καὶ προσελάβετο ἐξ αὐτῆς σάρκα, καὶ ὧδε κεῖται ὡς ἐν τῇ γαστρὶ τῆς παρθένου ἐν τῇ τραπέζῃ τῇ μυστικῇ, ὕλη ὁ ἄρτος, καὶ τὸ ἐξ οἴνου καὶ ὕδατος κέραμα, καὶ γὰρ ἡ μήτηρ ἐκ τούτων ἔτρεφετο καὶ τῷ βρέφει ἐχορήγει τὴν

Mutatio sacramētalis à Caluino inuenta, & a sectatoribus eius celebrata nihil penitus difficultatis ad intelligendū aut interpretandū habet, quia commētitia est.

Damasceni libellus de corpore Christi, quod sumimus

τὴν τῆς σώματος ὕλην, φησὶν ὁ ἱερεὺς ὡς ὁ ἄγγελος, ἵνα ἐπιφοιτήσαν
τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἁγιάσῃ, καὶ ποιήσῃ τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον σῶμα
ἅγιον χριστοῦ, καὶ τὸ ποτήριον τοῦτο αἷμα τίμιον χριστοῦ, καὶ οὐ διὰ
φυσικῆς οἰκονομίας, ἀλλ᾽ ὑπερφυοῦς γίνεται εἰς ἐπαύξησιν τοῦ κυρια-
κοῦ σώματος καὶ αἵματος ἓν σῶμα καὶ οὐ δύο, εἶτα ὑψοῦται ἐν ταῖς
χερσὶ τοῦ ἀρχιερέως ἐπὶ σταυροῦ, καὶ διαδίδοται κλώμενον, καὶ ἐν ἡ-
μῖν ἐνθάπτεται, καὶ συναφθαρτίζει ἡμᾶς· τοῦτο γὰρ ἐστὶ τὸ πέρας
τῆς οἰκονομίας, οὐ διαφθείρεται ἐν ἡμῖν, ὡς οὐ διεφθάρη τὸ τοῦ κυ-
ρίου σῶμα ἐν τῷ τάφῳ, ἕως δὲ τῆς ἡμῶν μεταλήψεως πάντα τὰ
τῆς φθορᾶς ὑπομένει καὶ κλᾶται ὑφ᾽ ἡμῶν τιμίως καὶ πιστῶς, καὶ ὑ-
πὸ ἀνόμων χειρῶν πολλάκις ἀτιμάζεταί τε καὶ ῥύπτεται καὶ ὑπὸ
μυῶν καὶ σκωλήκων φθείρεται, ἀλλ᾽ οὐ διαφθείρεται, οὐ δὲ χωρεῖ εἰς
τὸ μὴ εἶναι. ἔφη ὁ χριστὸς τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν, ὁσάκις
γὰρ ἐσθίετε τὸν ἄρτον τοῦτον, καὶ τὸ ποτήριον τοῦτο, τὸν θάνατον τοῦ υἱοῦ
καταγγέλλετε· θανάτου δὲ μνήμη φθορᾶς ἐστι, φθορεὺς γάρ ἐστι ὁ θάνα-
τος, καὶ μὴ διαφθορά. interpretemur ad verbū, illic, inquit,
" erat ſancta virgo menſa, quæ materiam corporis Chriſti
" habet; deinde (ſicut angelus dixit) ſpiritus ſanctus ſuper-
" uenit in eam, & tunc virtus altiſſimi obumbrauit ei, Deus
" ſcilicet verbum, perſona diuina; & aſſumpſit ex ea car-
" nem; ſic hic tanquam in vtero Virginis in menſa myſti-
" ca poſita eſt materia panis, & vinum aqua mixtum; his
" enim mater nutriebatur, & materiā corporis infanti præ-
" bebat. ſacerdos, vt angelus, dicit, vt ſuperueniens ſpiritus
" ſanctus ſanctificet, & faciat hunc panem corpus Chriſti,
" & hunc calicem precioſum ſanguinem Chriſti; & non
" per naturalem diſpoſitionem, ſed per ſupranaturalem ad
" conſumationem corporis dominici, & ſanguinis domi-
" nici fit vnum corpus, & nō duo; deinde eleuatur in mani-
" bus ſacerdotis in crucem: & frāgitur, ac diſtribuitur, & in
" nobis ſepelitur; & facit nos ſecum à corruptione liberos.
" hic enim eſt finis aduentus ſui in carne. non corrum-
" pitur in nobis, ſicut non eſt corruptum corpus domini in
" ſepulchro. quouſq; vero à nobis ſumatur, omnia, quę ſunt
" mortis, ſuſtinet; & frangitur à nobis honorifice, & fideli-
" ter: ac ſæpenumero, ſceleratis manibus fœde tractatur, &

proiici-

proijcitur,& à muſcis,& ſoricibus, non tamen corrumpitur, neq; interitum capit. Chriſtus dixit, hoc facite in meã commemorationem, quotieſcunq; enim manducabitis panem hunc,& calicem bibetis, mortem domini annunciabitis, memoria autem mortis, memoria diſſolutionis eſt; mors enim diſſolutio eſt,& non corruptio permanẽs. potes ne Volane ad hæc Damaſceni aptare mutationem tuam ſacramentalem? ſi igitur non potes, condemnet te tuus teſtis. Paulo ſupra quærit idem Damaſcenus, quare non hoc fecit dominus poſt reſurrectionẽ, ſed ante? quia, inquit, corpus factum per reſurrectionem incorruptibile, neq; frangitur, neq; comeditur; ergo ſi ſacramentum ſignum tantum eſſet corporis Chriſti, ideſt, ſi non eſſet vere corpus Chriſti in ipſo ſacramento, vt vos dicitis, non hoc impediſſet, auctore Damaſceno quominus poſt reſurrectionem hoc feciſſet. Redi igitur Volane cum Berengario ad eccleſiam catholicã, ne in ſempiternum pereas, & confitere Greg. xiij. Pontifice Romano, quod ille Greg. xij. his verbis confeſſus eſt de conſ. diſ. 2. cap. Ego Berengarius ore, & corde confiteor, panem, & vinum, quæ in altari ponuntur, poſt conſecrationem non ſolum ſacramẽtum, ſed etiam verum corpus, & ſanguinem domini noſtri Ieſu Chriſti eſſe,& ſenſualiter non ſolum ſacramentũ, ſed in veritate (ſcilicet verum corpus, & ſanguinem domini noſtri Ieſu Chriſti, quæ proxime nominauerat) manibus ſacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri (ſcilicet in ipſo ſacramẽto) iurans per ſanctam, & homouſion Trinitatem, & per hęc ſacroſancta Chriſti euangelia eos, qui contra hanc fidem venerint, cum dogmatibus, & ſectatoribus ſuis æterno anathemate dignos eſſe pronũcio, & quæ ſequuntur. Redeo ad Damaſcenum, cuius teſtimonio cum tuam ſacramẽtalem mutationem labefactari ſentires, & violentæ interpretationi, quam verbis eius adhibuiſti, diffideres, alia via aggreſſus es auctoritatem eius imminuere. recentem enim auctorem eſſe dicis, qui ante octingentos annos vixit; & eius libros multis

Quia ſe dedit dominus Ieſus in ſacramẽto in memoriam paſſionis ſuę manducandũ, & frãgẽdum, ac dentibus terendum alioqui impaſſibiliter, decebat ut adhuc paſſibilis eſſet, immo iã pati inciperet, cum illud dedit, idcirco non dedit illud poſt reſurrectionẽ, cum iam erat impaſſibilis. hæc eſt Damaſceni mens.

tis corruptelis; & erroribus non ferendis refertos, quos omnes scholæ Theologorum ad discẽdam Theologiam, & via, ac arte docendam tanquam duces, & magistros optimos delegerunt; ex cuius libris de fide orthodoxa si vel pauca tu degustasses, quos nec odoratus esse videris, non esses ad hæresim Caluini, & Cinglij delapsus, omitto quæ hic auctor, qui omni ętate, ex quo fuit, nobilissimus, & castissimus dogmatistes semper habit⁹ est, aduersus hæreticos Nestorianos, Monophysitas, Monothelitas, & Iconoclastas diuinè scripsit; & multa alia, quæ prætereo: quia non est mihi propositum auctorem laude omnium patrum, qui post eum secuti sunt, celebratissimum laudare, vt tibi respondeam; qui nescio, an aliquid ex eo legeris: aut aliter eum noueris, nisi de nomine.

Qualis, ac quãtus auctor sit Damascenus, quem Volanus propter imperitiã, & hęresim suã contemnit.

Responsio ad illa quæ contra concilium Lateranense Volanus obiecit: & quomodo probetur rem transubstantiationis in sacramẽto Eucharistiæ non nouam, vt Hæretici fingunt, sed antiquam, & verã: & de octuaginta quatuor interpretationibus horũ verborum, hoc est corpus meũ, quæ in libris Hæreticorum feruntur. CAP. XX.

Obiectio. 21.

SEd quis non desinat mirari istud tuum censorium supercilium in vnum Damascenum, qui in mille ducentos, & amplius Concilij Lateranensis patres insane insultantem videat? Sic enim ais, nihil ergo agis, qui quod
" mille ducentos aut eò plures Concilij Lateranẽsis produ-
" cis, vt tu vocas patres, tantam huic causæ, quam defendẽ-
" dam illi susceperunt, auctoritatem te conciliare posse pu-
" tes; Quis non videt esse te ex eorum numero, de quibus Iudas Apostolus scripsit, quorum os loquitur superbiam, & quos beatus Petrus dicit blasphemare quæ ignorant? hoc enim tibi euenit, qui catholicũ dogma, quod patres, & maiores tui semper tenuerũt, & cuncta Polonia ab initio euãgelicæ prædicationis susceptæ professa est, ignoras; & qđ ignoras, blasphemas, dogma dico de veritate corporis Christi, qđ ex mystica mẽsa ore carnis nostrę sumitur, & manducatur ad salutẽ æternã. Sed videamus prius quàm

Polonia Volanum auditis, & per salutem animarum vestrarum obtestor, vt petatis ab eo, vt proferat vobis vnum tantum ex istis tot & tam claris testimonijs antiquitatis, quæ iactat, in quo dicatur hoc, quod ipse nunc dicit, panem, & vinum quoad substantiam manere in sacramento integra, aut saltem hoc, panem, & vinum manere integra; vt si neminem proferat, qui illud, quoad substantiam manere, aut hoc, manere integra dicat, merum mendaciũ esse credatis: Sin autem proferat, causam vincat. aut rursus, cũ nos tam multos, & tam antiquos proferamus, qui dicunt, panem, & vinum, in corpus Christi, & sanguinem mutari, ad quos interpretandos vel potius corrumpẽdos necesse habuit ista secta Volani mutationem sacramentalem inuenire, rogate eum, vt vel vnum saltem ex antiquis istis ostendat, qui dicat panem, & vinum non mutari in corpus, & sanguinem Christi, vt si non ostenderit, rursus pro certo habeatis, ab eo vos decipi. Præterea, quod fingit Volanus, de accidentibus sine subiecto in sacramento manentibus, neq; minimam mentionem à patribus fieri, nos falsum esse probamus testimonio Cypriani, Augustini, Cyrilli Alexandrini, & alterius Cyrilli Hierosolymitani antiquioris, & Macarij Aegyptij, qui post mutationem panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi, speciem panis, effigiem panis, similitudinem panis, apparentiam panis, & figuram panis, vocant. Petite vos Poloni ab eo, vt probet speciem, effigiem, similitudinem, apparentiam, figuram panis remanẽtem cum corpore, & sanguine Christi, in quæ panis, & vinum mutata sunt, non significare, & esse accidentia sine subiecto; quod cum probare non poterit, reliquum erit, vt quod Volanus vobis dicit, commẽtum diabolicum esse credatis. rem autem transubstantiationis, vt ad eam reuertar, non nouam esse, vt tu Volane somnias, nos testimonio auctorum, qui ante mille ducentos annos scripserunt, probamus, qui μεταστοιχείωσιν, & μεταποίησιν vocant, vt Greg. Nyssenus, Leõtius, Damascenus, Theophylactus, & alij, ne omnes enumerem; quid enim

Commentum Volani manifestum inuentum ac decipiẽdum simplices.

refert, rem transubstantiationis Græce, an latine efferre, & eloqui? putas ne Volane esse has voces significantes, an non? Si significantes, non enim negabis, ne te ridiculum prębeas, interpretare nobis magis latino verbo, quàm trãsubstantiationis, si tibi polítulo hoc verbum sordet: aut verte, si magis placet, transmutationem. fortassis hoc verbũ deosculaberis, quod videatur tibi posse aptari ad mutationem tuam sacramẽtalem. Verum non posse vllo modo, docui te superius rationem vtriusq; verbi μεταστοιχειώσεως, & μεταποιήσεως repugnare isti tuæ transmutationi sacramentali. relege locum, ne iterum repetam.

Responsio ad illud blasphemum mendacium Volani, post Conciliũ Lateranense cœpisse adorari sanctam Eucharistiam: & quomodo Volanus ignoret, esse corpus Christi in multis & infinitis altaribus, non esse operationem propriam carnis Christi, sed diuinitatis per carnem sub specie sensibili panis & vini: & quæ Hippolytus Martyr cõtra Bironem hæreticum scripserit, quæ Volanum redarguunt somniantem confusionem naturarum in Christo in multis altaribus posito: & de insigni interpretatione illius loci Ioannis, quid si videritis ascendentem in Cælum, ex Theodoro Melitenense. CAP. XXI.

Aliud commentum blasphemũ Volani. Obiect. 23

PErgamus ad aliud commẽtum blasphemum, quo superiora cumulasti. Sic. n. ais, post Lateranense cõciliũ „ Eucharistia demũ adorari, & pro ipso Deo, proh dolor: coli cœpit, & paulopost, nullũ tamẽ cultũ diuinũ, qui „ soli omnipotenti debetur Deo, sacramẽto fuisse exhibitũ „ res ipsa loquitur. Sic probas articulos tuæ sectæ. edissere Volane tuis discipulis, vbi, & quomodo res ipsa loquitur. apud vos res ipsa loquitur, apud quos mutus est cultus, quia sublata est Eucharistia; at apud patres, & maiores tuos, qui te in die iudicij condemnabunt, nõ erat mutus, qui hymnis, & laudibus sanctam Eucharistiam concelebrabat. paulo ante recitaui locum ex homilia beati Chrysostomi, quo adoratio, & cultura sanctę Eucharistiæ continetur, in quo vno testimonium habes Volane totius ecclesię Cõstantinopolitanę, quæ quàm late pateat, & quàm

sit

„ ſit ampla, credo non ignoras. accedamus ergo (inquit il-
„ lud os aureum) pure ad purum, & dicamus accedentes,
„ domine nō ſumus digni, vt intres ſub tectum animarum
„ noſtrarum; ſed quia tu vis capi, & teneri à nobis, quia tu
„ vis, vt benignus habitare in nobis, confidentes in te, acce-
„ dimus ad te dicentes, iubes domine, vt aperiamus oſtia
„ oris noſtri; ingrederis enim benigne, vt tua eſt natura; in
„ grederis, & ſoluis vincula peccatorum; & quę ſequuntur,
quæ cultum, & adorationem, ac gratiatum actionem con-
tinēt. Prætereo aliorum ſanctorū patrum de adoratione
s. Euchariſtiæ teſtimonia Dionyſij, Ambroſij, Auguſtini,
Euſebij Emiſeni & aliorum. Aliud præterea commentum
„ adiunxiſti, Innocentius, inquis, hic tertius, nouus tran-
„ ſubſtātiationis auctor, primus hanc legem tulit, vt Eucha-
„ riſtia in omnibus eccleſiis ſub ſeræ, & clauis cuſtodia ſer-
„ uaretur. Hunc nō longo poſt tempore ſecutus Honorius
„ iij. ſerio ſacerdotibus omnibus mandauit, vt Euchariſtia
„ in loco ſingulari mundo, & ſignato ſemper reconderetur.
miror Volane, cū libros ſcribas, & velis diſcipulos abdu-
cere poteſt te, vt de alijs tui ſimilibus Paulus dixit, nō legiſ
ſe epiſtolam Clementis Romani Petri Apoſtoli diſcipuli,
qui ſic ſcripſit in epiſt. 2. ad Iacobum fratrem domini, tri-
„ bus enim gradibus commiſſa ſunt ſacramenta diuinorū
„ ſecretorum; ideſt, presbytero, diacono, & miniſtro, qui
„ cū timore, & tremore reliquias corporis dominici cuſto-
„ dire debent; ne qua putredo in ſacrario inueniatur, &c. ſi
hanc epiſtolam negare volueris, habes veſtigia antiqui-
tatis eius à me in quinto libro defenſionis canonū, & epi-
ſtolarum pontificum apoſtolicorū aduerſus Magdebur
genſes centuriatores notata. habes eandem legem de re-
liquiis corporis dominici in ſacrario cuſtodiendis in lib.
8. cap. 13. conſtitutionum apoſtolicarum, quas idem Cle
mens Romanus litteris mandauit. Sed tu Volane, quia ab
Innocentio iij. & Honorio iij. legem iſtam latam legiſti;
nouam & recentem imperite exiſtimaſti, ſubiungens, ne-
„ que vero concluſionem, aut adorationem ſacramētorum
priſcis

biDei; & longe differre propriam operationem carnis Christi à propria operatione Dei per carnem Christi. Cōuertam hic latine, quę Hippolytus Martyr nobilissimus, & peruetustus auctor contra Bironem hęreticum scribit, qui naturam diuinam cum humana in Christo cōfusam esse tradebat, ex quibus quę Petrus Martyr ignorauit, & tu ignoras, intelliges, nec intellexerunt, inquit, omnino non esse propriū carnis, quod per eam ostenditur, quodq; non ab ea naturaliter oritur; cum alioqui perspicua, & manifesta sit huius rei demonstratio. ego enim qui lingua loquor, & manu scribo, vnam, & eandem animæ meæ intelligentis enuncio notionem, quæ ipsius est operatio naturalis; & nullo modo naturaliter ex ipsa lingua, aut manu nascitur, aut profertur: neq; quia per linguā, & manū patefiat, notio est, aut dicitur linguæ, & manus. nemo .n. sapiens nouit manum, vel linguam intelligentem; sicuti neq; sanctissimam Dei carnem, quia assumpta sit, & per eā virtus, & operatio diuina declaretur, quisquam natura creatricem, sicuti Deum dixerit. quin potius pie, & reuerenter confitetur credēs, quòd propter nostram salutem, & vt auctor vniuersum genus humanum ad immutabilitatem alligaret, ex sanctissima semper virgine Maria in cōceptione impolluta, sine mutatione sua anima sibi intelligente cum corpore sentiente informata, factus est homo natura à peccato alienus, idem Deus verbum, idem totus homo, diuinitate quidem diuina per sanctam carnem, quæ natura non erant carnis, operans; humanitate vero humanā, quę natura non erant diuinitatis, in Dei tolerantia patiens; nihil diuinum sine corpore, neq; humanum sine diuinitate faciens. & sicut nouo modo vtraque operatus est, ita in vtrisq, immutabilitatē naturalem seruauit ad confirmandam fidem de incarnatione sua perfecta, & vera, & nihil vitiosum habente. Biron autem, vt dixi, confundens vnitate operationis diuinitatem, & humanitatem Christi, simul naturaliter dissoluit vitam, ignorās identitatem, vt ita dicam, operationis indicem esse solius identi-

Quomodo ignoret Volanus propriā operatione carnis Christi à propria operatione uerbi Dei per carnē Christi differre.

Quomodo quę Hippolytus martyr contra Bironē hęreticū scripsit, ignorantiam Petri Martyris, & Volani sectatoris eius coarguunt in eo, quod tradūt negari ueritatem humanæ naturę si corpus Christi in Sacramento sit in multis locis.

in euangelio Matthæi, cum virtute multa, & maiestate in nubibus cæli, quæ angelos, quibus comitatus descendet, in ænigmate, significant, sicut ait Apostol. 2. Thess. in reuelatione domini Iesu de cælo cum angelis virtutis eius: Sic autem descendet, sicut cernētibus Apostolis ascēdit, ascēdit igitur in virtute item multa, & maiestate, cum nubes, quæ comitatum etiam angelorum significabat, suscepit eum ab oculis eorum; rursus, sicut in virtute multa descēsurus est, & ascēdit prius, sic etiam in virtute multa, & maiestate sedet ad dexteram Dei patris in cælo. at in sacramēto apud nos non est in maiestate, immo est sub vili specie panis, & vini, idem, qui in cęlo est in maiestate. tu vero Volane, qui nec ista distinguis, neque credis, sed Christum in cælo claudis, & tantum à nobis corpus eius distare, quantum cælum à terra distat, putas, ideo erras; dicam iterum, quia nescis scripturas, & virtutem Dei. immo te sic errantem locus ille euangelij Ioannis coarguit, quem tu per vim, & fatuè ad tuam spiritualem communionem detorques, murmurabant multi ex discipulis Christi, vt euangelium narrat, quia audierant eum dicentem, qui manducat me, ipse viuet propter me; & rursus, qui manducat hunc panem, viuet in ęternum. multi ergo inquit, audientes ex discipulis eius dixerunt, durus est hic sermo; & quis potest eum audire? Sciens autē Iesus, apud semetipsum, quia murmurarēt de hoc discipuli eius, dixit eis, hoc vos scandalizat? Si ergo videritis filium hominis ascendētem, vbi erat prius? Quis hic est tam tardo, & hebete ingenio, qui continuo vt hanc interrogationem suspensam audit, non intelligat quid tacitum sit, quod subaudiri postulet? postulat enim hęc interrogatio, vt subaudiatur, quid tunc dicetis? qui modo dicitis, durus est hic sermo, & quis potest eum audire? Præterea, quis cum ratione dubitare potest, quin sic interrogādo voluerit dominus scādalum illorum tollere? ne amplius sermo durus videretur eis, qui prius videbatur? desinerentque murmurare, sed potius crederent, quod de corpore suo cibo viuifico man-

Scripturarū, & uirtutis dei christi in cælo claudūt Caluiniani.

Quomodo locus euangelij Ioan. Si ergo uideritis filium hominis ascendentem ubi erat prius? errorem Caluini, & Volani discipuli eius coarguat.

ducando audiebant? hoc enim erat, quod eos ſcandaliza bat, eiſq; durū,& impoſſibile videbatur. ergò videre corpus Chriſti natura originis ſuæ terrenum,& craſſum aſcēdere in cęlum ad tollendum ſcandalum illius duri ſermonis, ideſt, ad ſuadendum fidem eius valebat: & qui hoc, quod ita eſſe ratio ipſa conuincit, neget, is profectò iudicio, & ſenſu cōmuni careat. Videamus igitur, quomodo hæc interrogatio ad tollendum ſcandalum adhibita, ad id valebat, ideſt, vt non videretur illis durum,& impoſſibile, quod prius videbatur. quia ſcilicet videntes oculis ſuis corpus natura ſua graue, & ponderoſum ſine pennis, & ſine vehiculo angelorum in ſublime aſcendere, ſicut ſcriptum eſt, ipſis cernentibus eſt eleuatus in cęlum, non poterant iam dicere, quomodo poteſt hoc fieri, quod fieri videbant? neceſſe igitur erat, vt quod propria natura corporis Chriſti non ferebat, id eſſet diuinitatis in eo, & per eū operantis aſcēſum illum mirabilē in cælum. idipſum ſuadendum, & credendum eſt in illo ſermone, qui durus & impoſſibilis videbatur, quomodo caro Chriſti manducaretur,& manducata faceret viuere in æternum? nempe quia cum corpore erat vnita ipſa vita, quæ eſt diuinitas. Vrgebo adhuc amplius hunc locum de aſcēſu Chriſti in cęlum, ſi ſuadere volebat dominus, per fidem fieri, vt mā ducando panem ſacramentalem, vt tu Volane ſomnias, corpus Chriſti alioqui abſens non ore, ſed ſpiritu manducaretur, & ſic manducatum viuificaret, quorſum ad hoc ſuadendum aſcenſum Chriſti in cælum cum ſacramento conferebat? Cum tu non neges, aſcendiſſe Chriſtum in cęlum αὐτόθεν ideſt, ex ſe; negas vero ſacramentum corporis Chriſti, ideſt, Euchariſtiam αὐτόθεν ideſt, ex ſe viuificare, ſed per adiūctionem externam corporis Chriſti abſentis. Deniq; vt os tuum obſtruatur, & ne huius loci interpretationem à me excogitatam putes, vt eſt tua à Caluino inuenta, ſed intelligas potius ex apoſtolica prædicatione eccleſiis catholicis tradita, & vſq; in hodiernum diem in eis fideliter conſeruata profectā eſſe, interpretabor è Græco ad uer-

co ad verbum, quæ in hũc locum Theodorus Melitinensis episcopus in Armenia minore, quem secutus sum, scripsit in libro eruditissimo explanationũ in euangelia. extat
„ is auctor in bibliotheca Vaticana. Si igitur, inquit, vide-
„ ritis filium hominis, idest, me, qui videor vobis filius ho-
„ minis propter carnem, ascendentem humanitate scilicet
„ post resurrectionem, vbi eram prius diuinitate, quid dice-
„ tis tunc, scilicet ab ipsa veritate conuincti? etenim si existi-
„ matis carnem meam non posse viuificare, quia non inest
„ hoc in natura carnis, quomodo instar auis in cælum ascẽ-
„ det? hoc enim æque impossibile est carni terrenę. Si enim
„ supra naturam ascendet, quid obstat, quominus viuificet,
„ quamuis non sit naturæ eius insitum viuificare? qui enim,
„ quod terrenũ est, facit cęleste, plane viuificum etiam red-
„ det; licet innatum insitumq; naturæ eius propriæ sit inte-
„ rire. non polliceor verbis tantum, ascensurum me in cæ-
„ lum, ne rursus dicatis, illud quomodo? quin immo oculos
„ vestros adhibeo testes verborum: vestra spectatio omnem
„ contradicentem flectet, meq; è cęlo descendisse, & omnia
„ facere posse planum faciet. tametsi enim maxime descen-
„ sus meus è cælo homines latere videtur, & ob eã causam
„ dubius, vel etiam incredibilis putatur iis, qui audiũt; atta-
„ men ascensus meus in cęlos post resurrectionem in con-
„ spectu discipulorum factus omnem ambiguitatem dissol
„ uet, & meum corpus viuificũ esse demõstrabit. non enim
„ ipsis cernentibus, ascendere in cælum possem, nisi inde
„ prius ad vos descendissem. deinde subiungit, vides quo-
„ modo per ea, quæ dixit, ea quæ illi occultabant, penitus
„ patefecit, abducens eos ab ea opinione, qua Ioseph patrẽ
„ eius putabant, & scandalum tollens? non enim hæc dixit,
„ quod scandalũ augere vellet, sed potius tollere; qui enim
„ filium esse Ioseph existimaret, nunquam quę dicebat, cre-
„ deret. Cui vero persuasum esset, è cælo eum descendisse,
„ & illuc ascensurum, huic facilius iam erat, ea quę dicebã-
„ tur probare. Hactenus Theodorus iste. Vnde putas Volane ecclesias Armeniæ, vbi hic Theodorus fuit Episcopus,

Interpretatio loci Ioãnis grauissima, auctore Theodoro Melitinensi episcopo.

hanc de corpore Christi in .S. Eucharistia doctrinam nisi ab aliquo ex Apostolis, aut eorum discipulo per traditionem accepisses? nondũ enim in Armeniam Berengarius, nec ante eum Bertramus cum mercibus metonymicis troporum, & figurarum penetrauerat. Sed persequamur reliqua.

Responsio de testimonio Bertrami; & quomodo à suo teste mendacii conuincitur Volanus: & de testimonio Iconomachorum, *& catholici regis Galliarum* Caroli, *&* Adriani, *ac Nicenę Synodi contra Caluini de sacramento* Eucharistiæ *hæresim: & de Berengario à .S. conciliis, et 4. Pontificibus damnato: et quam multi illis temporib. contra eum scripserint. item responsio ad id, quod Petrus Martyr ex Tertull. obiecit, et quomodo in se ipse testem citauerit, et locus Tertulliani os hæreticorũ obstruat, et Caluinus cum Marcione cogatur dicere non impleuisse dominum legem, sed destruxisse, cum sic interpretatur hoc est corpus meum idest, figura corporis mei.*

CAP. XXII.

Obiect. 25 OBiicis nobis deinde Volane Bertramum, quem auctorem quia sciebas non esse nobilem, illustrẽ reddere voluisti, dicendo iussu Caroli regis Galliarum librũ pro defensione figuræ tuæ scripsisse, & qui paulo ante Eusebiũ Emes. à Hieronymo laudatum, & inter nobiles scriptores ecclesiasticos relatum tanquam paruæ auctoritatis, & Ioannẽ Damascenum tanquam recentẽ, quia eis respondere non poteras, reiiciebas, Bertramum presbyterum, & monachum Damasceni ętate multo inferiorem; quia tecũ facit, virum vitę integritate, & diuinarũ scripturarum scientia clarissimum appellasti. Sed hoc leue est, & minutũ; illud vero non ita, quod iussu Caroli librum scripsisse contra eos, qui verba cœnæ domini proprie, & citra vllum mysterium accipienda contenderent, commentus es, vel ipso Bertramo tuo, quem laudas, & sequeris, teste.
„ Sic .n. ait in proœmio, iubes gloriose princeps, vt quid
„ de sanguinis, & corporis Christi mysterio sentiam, vestræ
„ magnificentię significem, &c. & rursus in principio ipsius
libri,

„ libri, quód in ecclesia inquit, ore fideliũ sumitur corpus,
„ & sanguis Christi, quærit vestræ magnitudinis excellẽtia,
„ in mysterio fiat, an in veritate? En Volane Bertramus tuus dicit, iussisse Carolum scribere, vt sciret idẽ Carolus, quid Bertramus sentiret; tu dicis, iussisse scribere contra eos, qui verba cœnę domini proprie accipienda contenderẽt. hoc commẽto Carolum ex secta tua facere voluisti, quod quidem commentum tuum optandum mihi fuit, quia te mendacem coarguit; & commentitium mysterium figurę tuæ. post habitam enim synodum Nicenã pro cultu imaginum aduersus hęreticos defendendo, ac sanciendo missus fuit ad Carolum nepotẽ Caroli Magni liber ab hæreticis imaginum oppugnatoribus, quo cõtinebantur capitula reprehensionum illius synodi; capitula ista misit Carolus tanquam pius, & catholicus ad Adrianũ Pont. Romanum per Algibertum abbatem, vt ad illa pro ipso Carolo hæreticis responderet. Sic enim ait in proœmio re-

Quomodo Volanus cõmento suo redarguatur.

„ sponsionum Pont. Adrianus, Vnde pro vestra melliflua
„ regali dilectione per vnumquodq; capitulum responsum
„ reddidimus, non quæ libent homini, absit, defendentes,
„ sed olitanam traditionem scientiæ catholicæ & apostoli-
„ cæ Romanæ ecclesię tenentes, priscam prædecessorum no
„ strorum sanctorum Pontificum sequimur doctrinam, re-
„ ctæ fidei traditionem modis omnibus vindicantes. Sequuntur deinde ordine reprehensiones, & responsiones. in actione igitur sexta synodi Nicenæ c. 38. reprehensio
„ est, quod magnæ, inquiunt, sit temeritatis, ingẽtisq; absur
„ ditatis sæpe memoratas imagines corpori, & sanguini do
„ minico æquiparare velle. Responsio, non æquiparauerũt,
„ sed magis scripturaliter dixerunt; nullus enim aliquando
„ tubarum spiritus. S. Apostolorum, aut probabilium pa-
„ trum nostrorum quis sine sanguine nostram libationem,
„ quę ad memoriam passionis Christi domini nostri, & om-
„ nis eius dispensationis facta est, dixit imaginem corporis
„ eius: neq; susceperunt à domino dici aut confiteri; sed au
„ diunt dicentem euangelice, nisi manducaueritis carnem filij

Testimonium Iconomachorum, & Caroli regis Galharũ, & Adriani Põt. ac synodi Nicenę in Caluini de sacramento S. Eucharistię heresim.

„ filij,hominis,& biberitis eius ſanguinem nõ habebitis vi-
„ tam in vobis. En Volane reſponſum Caroli per Adrianũ Pont. vná cum teſtimonio, & auctoritate ſynodi Nicenæ ad reprehenſionem illorum hæreticorum,qui contra Caluinum,& te iam pugnabant,vt hodie Lutherani proteſtãtes, & confeſſioniſtę,& Bucerani pugnant. Vos enim libationem calicis ſine ſanguine habetis,& ſacramentum Euchariſtiæ figuram, & imaginem corporis Chriſti contra euangelium, & apoſtolorum,& ſanctorum patrum doctrinam, vt hic Adrianus ſuo, & Caroli nomine teſtatur,tenetis. Vide quid de laudibus Caroli in extremo capitulo A-
„ drianus ſcribat, de vero veſtra prærectiſſima, à Deo prote-
„ cta excellentia orthodoxę fidei ſtabilitate roborata fre-
„ ti exiſtimus, quia radix eius firmiſſima à prauis, & infide-
„ libus hominibus nunquam concutitur, vel mouetur, ſed
„ eam, quam cœpit rectæ fidei traditionem doctrinę ſpiri-
„ tualis matris ſuæ ſanctæ catholicæ,& apoſtolicæ Romanę
„ eccleſię tenere,& amplecti,incunctanter vſque in ſęculum
„ ſęculi ſine reprehenſione manentem credimus; & quæ ſequuntur. Huius tu Caroli talis,ac tanti,tamq; catholici regis, & fidei, ac doctrinę Romanę eccleſiæ matris ſpiritualis tam ſtudioſi iuſſu Bertramum tuum, hæreticum librũ contra eos, qui verba cœnæ proprie accipienda contenderent, ſcripſiſſe auſus es fingere, patrem tuum Caluinũ imitatus, qui in ſuis peſtiferis inſtitutionib' imagines inſectans finxit quoque nomine Caroli nepotis Caroli Magni ſcriptum fuiſſe librum illum reprehenſionum ſynodi Nicenæ, quem paulo ante dixi, quem Caluinus vocat refutatorium. cuius mendacium, cum omnium auctorum, qui de huius Caroli pietate, & religione ſcripſerunt, tum Ionę Aurelianẽſis epiſcopi teſtimonio, qui ꝑ imaginibus libros tres contra Claudiũ Taurinenſem ad Carolũ hunc ſcripſit', lib. 3. de dogmaticis characteribus verbi dei ſatis coargui, vt nunc etiam tuum. Cæterum,Bertramum citare, quid aliud eſt, quàm dicere,hæreſim Caluini non eſſe nouam? Scito ergo Volane, vt nunc à catholicis Caluinus

nus cõfutatur, sic etiam Bertramum à Paschasio Corbetẽ si, ante annos fere septingentos confutatum fuisse, & quidem eruditissime, & grauissime. Extat liber, & in publico fertur. Eodem tempore contra sectam Bertrami, quę tradebat, nisi sacramentum esset figura corporis Christi, non posse mysterium esse, Remigius quoq; episcopus Antisiodorensis sic in canonem Missę scripsit, si in veritate corpus Christi est, quare appellatur mysteriũ? propterea vtiq; quia post consecrationem aliud est, & aliud videtur, videtur siquidem panis, sed in veritate corpus Christi est, & sãguis. Consulens ergo omnipotens Deus infirmitati nostrę, qui vsum non habemus comedere carnem crudam, & bibere sanguinem, facit, vt in pristina remaneant forma illa duo munera; & est in veritate corpus Christi, & sãguis, sicut ipse dixit, caro mea, verè est cibus, & sanguis meus verè est potus: hactenus Remigius. De calice huius Bertrami hausit postea Berẽgarius: & ex calice vtriusq; nostra ętate Caluinus, & reliqui eius sectatores in tribus cõciliis Romanis, & Vercellensi, ac Turonensi à principio cum eodem Berengario damnati quatuor per ea tempora Pontificibus Leone ix. Victore 2. Nicolao 2. & Greg. 7. contra huius Berengarij hęresim, quàm multi postea consecutis temporibus in variis prouinciis, regnis, & nationibus scripserint, quia enumerare longum esset, ex libro Ioannis Garetij canonici ordinis S. Augustini de cõsensu vniuersalis ecclesię sup veritate corporis Christi in sacramento Eucharistiæ cognoscere poteris. Ad hunc locum de Bertramo perueni, vt verum fatear, tædio fœtidæ scriptionis tuę fessus: etsi libenter toleraui tũm propter te errantem, tum propter alios, quos in errorem mittis. Omnibus enim debitores sumus, sicut Apostolus nos docuit, iis, qui videntur sibi sapientes, & insipientibus. nihil à principio, quod sciam, vsque ad hunc locum pretermisi, quin ad omnia responderem, & omnia, quę opponis, refellerem, & quędam prolixe, ne me diceres prouerbio tuo sicco pede transisse. quędam etiã erant, quę non indigent

Qui auctores Bertramũ paulo post eius ętatem cõfutauerunt.

De calice Bertrami hausit Berẽgarius, & de calice utriusq; Caluinus, & Caluiniani.

Berengarius à quinq; Conciliis, quattuor pontificibus damnatus.

noua confutatione, quia nihil noui affers, sed potius eodem reuolueris; vt sus in volutabro luti, iuxta prouerbiũ scripturæ sanctæ, nisi nouum dicendum est, cum nouo modo in eadem re erras; & alios in errorem inducere vis; vt
„ cum ais cum Petro Scarga loquens, ex his autem Augu-
„ stini verbis, eo quod non solum corde, sed etiam ore Chri
„ sti carnem maducari dicat, tu in Eucharistia verum Chri-
„ sti corpus esse colligis. Deinde quasi de Petro Scarga triũ
„ phans, subiungis, sed bene habet, quod pro me tu tibi re
„ spondeas, teq; ipsum confutes. interrogas enim, quomo-
„ do inuisibilis, & impassibilis Saluator manducari, ac teri
„ dentibus potest? potest certe, inquis, sed modo sacramen
„ tali, cum sub speciebus panis, gustu scilicet, & tactu, quę
„ sola os nostrum contingunt, verè manducatur. hic tu Vo
„ lane subiungis, rectè sanè, nec id nos inficiamur, Christũ
„ nimirum ore percipi, in quãtum signum externum, quod
„ Christi corporis est sacramentum, ore percipitur. hic Volane videri vis nobiscum sentire; vel potius nos tecum, vt noua ratione, & via alios decipias. at non ita est, neque tu cum Petro Scarga, idest, cum catholicis idem sentis: neq; Petrus tecum. tu enim solummodo sacramentum, & non verum corpus Christi ore manducari, & dentibus teri sentis, quod Berengarius damnare iudicio ecclesię catholicæ coactus fuit, de cons. dis. 2. c. Ego Berengarius. Petrus vero cum Aug. non ita sentit, dum ait modo sacramentali sub specie panis verè Christum manducari; non sentit inquã, quod tu interpretaris, & dicis te non inficiari, Christum scilicet ore percipi, in quantum signum externum, quod Christi corporis est sacramentum, ore percipitur. quod, vt dixi, coactus fuit Berengarius damnare, & confiteri catholicè, panem, & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem non solum sacramentum, hoc enim tu dicis, & sentis, sed etiam verum corpus, & sanguinem domini nostri Iesu Christi esse: & sensualiter, siue sensibiliter non solum sacramentum, sed in veritate manibus sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri scilicet

licet corpus Christi: tractari inquam, & frangi, ac dētibus
teri, scilicet in sacramento, idest, per species panis, & vini.
sic sensit Petrus cum catholicis. hoc sensit Aug. quem in
te testem citauit, cum dixit, mediatorem Dei, & hominū
Christum Iesum carnem suam nobis ad manducandum,
bibendumq; dantem fideli corde, & ore percipimus. In
summa, tu Volane verum corpus Christi non vis esse re, &
veritate, idest, corporaliter in sacramento, sed spirituali-
ter tantum, quatenus per fidem absens, & in cælo sedens
apprehenditur, hæc enim sunt vestra verba, quæ in nullo
vnquam auctore catholico, & ecclesiastico ostendere ha-
ctenus potuistis, quia à vobis inuenta sunt.

Obiect. 26.
Formarum uerborum, qua Caluiniani in suo sacramento defendēdo, & docendo utuntur, in nullo auctore ex ecclesiasticis, & antiquis patribus hactenus ostendere potuerunt, nec unquam poterunt, quia ab ipsis inuēta est.

Sed quia ad omnia iam, quæ Volanus nobis obiecit, re-
sponsum est, superest, vt respondeamus ἐκ περιουσίας Petro
Mart. cuiusest discipulus Volanus, ad id, quod ex Tertul.
nobis opposuit, quod Volanū vel fugisse, vel neglectū esse
mirandū est, cū alioqui in eo ille maxime nitatur. in libro
» igitur contra Marcionē, acceptum, inquit, panē, & distri-
» butum discipulis corpus suum illum fecit, hoc est corpus
» meum dicendo; idest, figura corporis mei. ad quem locū
quia episcopus Vintoniensis aliter, & paulo obscurius re-
spondit, respondebo ipse rursus ita plane, & enodate, vt
omnibus pateat Petrum Martyrem contra se citasse Ter
tullianum testem. Probat ergo Tertull. lib. 4. impleuisse
legem, & figuras eius pluribus exemplis contra Marcio-
» nē, qui Christum aiebat legem destruxisse; nam & tot, in-
» quit, festis Iudæorum festum Paschæ agit. in hoc enim sa-
» cramento prænunciarat Moyses, Pascha est Domini, ideo
» & effectum suum ostendit. concupiscentia, inquit, concu-
» piui hoc Pascha edere vobiscum, antequam patiar. O le-
» gis destructorem, qui concupierat etiam Pascha seruare;
» nimirum veruecina illum Iudaica delectaret? an ipse erat
» qui tanquam ouis ad victimam adduci habens, & tanquā
» ouis coram tundente, sic os non aperturus, figuram san-
» guinis sui salutaris implere concupiscebat? Et paulopost,
» professus itaq; se cōcupiscentia concupisse edere Pascha,

„ vt ſuum, (indignum enim, vt quid alienum concupiſceret
„ Deus) acceptum panem, & diſtributum diſcipulis corpus
„ ſuum illum fecit, Hoc eſt corpus meum dicendo, id eſt fi-
„ guram corporis mei. hactenus Tertull. figuram corporis
ſui dicit, illam ſcilicet figurā corporis ſui, quæ erat in le-
ge: de figuris enim Legis impletis loquebatur, id eſt, pa-
nem illum, quem conſecrauit. quod magis adhuc ſtatim
„ declarat, ſubiungens, figura autem non fuiſſet, ſcilicet in
„ lege, (de hac enim agit) niſi veritatis eſſet corpus. Probat
„ autem hoc rurſus, ſubiungens, quia vacua res, quod eſt
„ phantaſma, figuram capere non poſſet; id eſt, niſi hoc eſ-
ſet corpus, non potuiſſet eſſe in lege prius aliqua eius fi-
gura: quia neceſſe eſt ſemper, vt ſit res, cuius eſt figura, ſi-
ue ſignum; ſiquidem omni rei, idem Tertullianus paulo
ſupra dixerat, ab eo imponitur ſignum, ſiue figura, cuius
eſt res; ſicut a pane impoſitum fuit ſignum, ſiue figura cor
pori Chriſti, quod eſt res illius ſigni, ſiue figuræ, id eſt pa-
„ nis. Vnde ſubiungit Tertullianus, aut ſi propterea panem
„ corpus ſibi finxit, id eſt, ſi in lege panis erat figura vacua
„ re, hoc eſt corpore, cuius eſſet figura, ergo panem, inquit,
„ debuit tradere pro nobis, vt panis crucifigeretur. Deinde
clarius adhuc de pane vetere, qui fuit figura corporis
„ Chriſti in myſterio; ſequitur enim, cur autem panem cor-
„ pus ſuum appellat, & non magis peponem; quem Mar-
„ cion cordis loco habuit, non intelligens veterem fuiſſe
„ iſtam figuram corporis Chriſti dicentis per Hieremiam;
„ aduerſus me cogitauerunt cogitatum, dicentes, venite;
„ coniiciamus lignum in panem eius; ſcilicet lignū in cor-
„ pus eius; ſic Tertullianus interpretatur. Deinde, quod ſta-
tim ſequitur, omne iam os hæreticorum, qui hunc locum
Tertulliani contra veritatem corporis Chriſti ſub ſpecie
„ panis, obiiciunt, obſtruit. Subiungit enim, itaq; illumina-
„ tor antiquitatum, quid tum voluerit ſignificaſſe panem,
„ ſatis declarauit, corpus ſuum vocans panem; ſic & in ca-
„ licis mentione teſtamentū conſtituens ſanguine ſuo ob-
„ ſignatum, ſubſtantiam corporis cōfirmauit. nullius enim
corpo-

„ corporis ſanguis eſſe poteſt, niſi carnis; nam ſi qua corpo-
„ ris qualitas non carnea opponetur nobis, certè ſangui-
„ nem niſi carnea non habebit. itaq; conſiſtit probatio cor-
„ poris de teſtimonio carnis; probatio carnis de teſtimonio
„ ſanguinis. Hactenus Tertullianus. Cum ergo dixit Tertullianus, Hoc eſt corpus meum; id eſt figura corporis mei, non eſt interpretatus illud, corpus meum, dicens, id eſt figura corporis mei; ſed potius interpretatus eſt illud, Hoc, quod ſubſtantiam panis demonſtrabat, vt ſi diceret, Hoc eſt corpus meum, id eſt, hoc quod hactenus figurabat in prophetiis & in typis veteribus Paſcha nouũ meũ, quod concupiui vobiſcum comedere, vt veterem figuram corporis mei nunc implerem; quod figurabat, inquam, tunc corpus meum, hoc eſt nunc corpus meum. igitur aut non fuit panis, vt Tertullianus rectè colligit, in vetere lege, & prophetia figura corporis Chriſti in hoc myſterio, quod eſt ſummum bonum noſtrum, contra Apoſtolum, qui ait, vmbram habebat lex futurorum bonorum; aut ſi fuit panis figura, & vmbra vacua corpore futuro, panis, vt dixit Tertullianus, & non corpus debuit crucifigi. quare ſi corpus crucifixum eſt, & non panis, cum dixit; Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur, profectò panem mutauit in corpus ſuum, vt figuram & prophetiã, quæ in pane data fuerat, impleret comedẽdo Paſcha nouum, quod concupierat edere cum diſcipulis, vt impleret illud vetus, mutando panem illius Paſchæ, qui fuerat futuri figura, in verum corpus ſuum. Sed vt diſputationem Tertulliani in Marcionem, tanquam haſtam amentatam in Volanum iam torqueamus, ſi panis in lege non erat figura corporis Chriſti, vt panes propoſitionis, & panes azymi, quibus Iudæi in Paſcha vtebantur, cur propheta Hieremias corpus Chriſti crucifigendum, typicè & Propheticè vocauit panem, & non potius peponem, quẽ Volanus loco cordis, vt Marcion habuit? Sin vero panem appellauit, quia erat in lege figura, & vmbra veri & viuifici panis, qui eſt nũc caro Chriſti; ergo cùm accepit panem in ma-

Quomodo intelligatur, quod Tertullianus ait hoc eſt corpus meum, id eſt, figura corporis mei, eodem Tertulliano interprete.

Quomodo non potuit dicere Christus, hoc est corpus meũ, idest, figura corporis mei, ut Metonymici somniant, nisi sibi ipse contradiceret, & mentiretur.

nus, & dixit, Hoc est corpus meũ, non potuit significare, Hoc, quod demonstrabat, id est substantiam panis esse figuram, siue signum corporis sui, nisi mentiretur, sibique contradiceret, qui in lege & prophetis panem fecerat figuram & signum corporis sui. cum enim gratia & veritas figurę in nouo Testamento per Christum facta sit, necesse est secundum Euangelium, vt non iam panis figura & signum corporis Christi fiat, sed ipsum verum corpus Christi. Vetera enim transierunt; ecce facta sunt omnia noua. in veteribus autem numerabantur figuræ & vmbræ futurorum, quas lex & prophetæ habebant. Cum Marcione ergo facit Caluinus, cum quod dominus accepto in manus pane dixit, implens figuram veteris testamenti, Hoc est corpus meum, sic interpretatur, id est, figura corporis mei. sic enim interpretando, facit, vt nõ venerit Christus noster ad implendã legẽ & prophetas, sed ad soluendũ, vt Marcion, cõtra quẽ Tertullianus scribit, faciebat. de cuius spiritu Caluinus & Volanus, & reliquũ eius sectę hauserũt.

Quomodo Caluinus cũ interpretatur, hoc est corpus meũ idest figurã corporis mei, cum Marcione facit: & Christum uenisse negat ad implendum legem, & Prophetas.

De loco Apostoli, qui mãducat, & bibit indigne, iudiciũ sibi mãducat, & bibit, nõ diiudicans corpus Domini, quid respõderit Petrus Martyr magister Volani, vt negaret malos sumere corpus Christi in sacramẽto: & quomodo respõsio eius redarguitur. itẽ de loco Augustini expresso contra eundem errorem, quomodo conatur Volanus eludere eum, sed non potest vllo modo, ipso Augustino interprete: & quomodo non distinguit hæreticus corpus Christi sumere, & fieri participem Christi, sicut neque distinguit sumere solum sacramentũ, & sumere corpus Christi sacramento tenus: & de hæresi quorundam veterum, qui aiebant simul esse in corde spiritum gratię, & spiritum peccati.

CAP. XXIII.

VEnio iam ad illud libelli tui tertium, idemque extremum, An scilicet mali, veraque fide & pœnitentia vacui solis externis signis participent: an simul & ipsum corpus Christi. his enim verbis quæstionẽ posuisti. de qua quidem non erat mihi opus contra te differere vel tuo testimonio. tu enim cõfiteris, si semel constet, substantiam panis, & vini mutari, & conuerti in sustantiam corporis,

poris,& sanguinis Christi, necessario consequi, esse in Eucharistia reale, & substantiale, verumq; corpus Christi; & malos perinde atq; bonos corporis Christi participes fieri: at cōstare de mutatione substantiæ panis,& vini in substantiam corporis,& sanguinis Christi,testimonijs scripturæ sanctæ & sanctorum patrū plane conuincimus,tametsi nolenti credere,persuadere, & fidē facere non possumus. Differam tamen de hoc, licet sciam me, vt est in prouerbio, actū agere: vt videas nihil prorsus ex libello tuo præteritum esse. Ac primum quidem quia ille locus Apostoli in epistola ad Cor.itaque quicunque manducauerit panē
„ hunc,& biberit calicem domini indigne reus erit corpo-
„ ris, & sanguinis domini, & rursus, qui enim manducat &
„ bibit indigne, iudicium sibi manducat, & bibit, non di-
„ iudicans corpus domini, quia ille,inquam,locus hæresim istam manifeste coarguit,respōdet Petrus Martyr Andreę
„ Volani magister, & doctor, hoc inquiens, nihil est, quia,
„ Ambrosius respondet quoad primum locum, sic dicens,
„ Quid est autem reos esse, nisi pœnas dare mortis domi-
„ ni? occisus enim est pro ijs,qui beneficium eius in irritum
„ ducunt. Ecce, inquit Petrus Martyr, quid vocat reos esse
„ corporis Domini: nec ad hoc requiritur transubstantia
„ tio: & indignè sumentes asseruntur non diiudicare,id est,
„ in pretio non habere corpus Domini. quia tanta, inquit,
„ est coniunctio inter symbola & significata, vt istorum cō-
„ tumelia in illa redundet.Sic iste respondet. sed elabi hinc non potest, & eum redarguit articulus adiunctus corpori & sanguini; qui illud corpus & illum sanguinem primo loco positum demostrat, de quo dixit Dominus, accepto
„ pane in manus, Accipite & manducate. Hoc est corpus
„ meū, quod pro vobis tradetur. Similiter & calicem, post-
„ quā cœnauit,dicens, Hic calix,nouum testamentum est in
„ meo sanguine: Hoc facite quotiescūque biberitis in meā
„ commemorationē. Quare cum postea subiungit, itaque
„ quicunque māducauerit panem hunc, & biberit calicem
„ Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini;
necesse

Quomodo conuincatur auctoritate Pauli sumere malos corpus Christi in sacramento, & quomodo Petrus Martyr proprietate sermonis Pauli teneatur constrictus ne elabi possit.

necesse est secundũ proprietatem sermonis Græci, vt illud ipsum corpus dicat, de quo, accepto pane in manus, dixerat, Accipite & manducate, Hoc est corpus meum. & illũ calicem, de quo similiter, Et calicem &c. &; Hoc facite, quotiescunque biberitis, in meam commemorationem. Reum ergo corporis dicit, accepti scilicet & manducati, & calicis item accepti & potati. Quare interrogemus nunc Petrum Martyrem, & eius sectatores, quo ore corpus & sãguinẽ accepit iste, qui indignè accepit, & ideo factus, est reus corporis, & sanguinis domini; carnisne an spiritus? non spiritus, quia cum indignè accipiat, vt pote carnalis, qui spiritu non ambulat, non potest habere os spiritus ad accipiendum: accepit igitur ore carnis: ac sola quidẽ symbola siue signa corporis & sanguinis accipere non potuit; quia nec illud corpus primo loco positum, de quo dominus accepto pane in manus, dixit, Hoc est corpus meum, solum signum siue symbolum erat, sed sacramentum ex vtraque re, vt isti etiam concedunt, constans terrena & cælesti, id est, specie panis & corpore Christi: quare, cum proprietas articuli adiuncti, illud primum, vt dixi, demonstret, necesse est, vt iste indignè sumens, reus sit corporis Christi in sacramẽto, indignè sumpti ore corporis: & reus sit sanguinis conculcati, sicut dixit Apost. in epist. ad Hebr. cap. 10. conculcatum enim vocauit sanguinem Christi in sacramento indignè sumptum, vt ipse antea docui. Bene quidem redarguerat hic Petrum Martyrem Episcopus Vintoniensis; sed ego ipsius Apostoli verbis & vi ac proprietate sermonis, ne vllus subterfugiẽdi locus relinqueretur, reuincere etiã volui. Volano quoq; Polono eandem hęresim defendenti, quod mali Christi corpus in sacramento non sumant, obiecerat Petrus Scarga locum Augustini libro 5. de Baptismo contra Donatistas cap. 8. sicut enim, inquit, Iudas, cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed malè accipiendo locũ in se diabolo præbuit; sic indignè quisque sumẽs dominicum sacramentum, non efficit, vt quia ipse malus sit.

" ſit, malum ſit;aut quia non ad ſalutem accipit,nihil acce-
" perit. corpus enim dñi & ſanguis domini nihilominus
" erat etiam illis, quibus dicebat Apoſtolus,qui manducat
" indignè,iudiciũ ſibi manducat & bibit nõ diiudicans cor
pus dñi. Hactenus Auguſtinus. Hunc locũ Volanus quia vno nõ potuit,duplici tropo metonymię & ſynechdoches conatus eſt eludere. corpus enim & ſanguinẽ vult ſignificare hic ſacramenta,non quidẽ integra,vt ex duobus conſtant,ſed ex vno tantũ,ideſt,ex vna ſpecie viſibili, quæ iſte, vocat ſolà ſacramenta,rem nouam verbo nouo a ſe inuẽto: ſic enim fingit dicere Auguſtinum, quod nuſquam in
" eo oſtendere potuit,ſola ſacramenta indigne vſurpata in
" iudicium manducari tradit.Et paulo ante idem Volanus,
" nec enim, inquit, in Petrum Scargam intuens, tibi con-
" cedo, malos ita percipere ſacramentum, prout id in pro-
" pria ſignificatione naturaque ſua accipitur,ex duabus cõ-
" ſtans rebus, ſed figurata & metonymica dicendi ratione,
" toto ſcilicet pro parte vſurpato; vt dicantur ſumere ſacra-
" mentum, qui tamen vnam ſacramenti partem, externum
" nempe & viſibile elementum percipiunt.Sic iſte interpretationem loci Pauli & Auguſtinum Pauli interpretẽ tropis violentis & abſurdis ac repugnantibus eludit. Auguſtinus enim cum ait, ſic indignè quiſque ſumens dominicum ſacramentum, non efficit,vt quia ipſe malus eſt, malum ſit: aut quia non ad ſalutem accipit nihil acceperit. corpus enim domini & ſanguis dñi nihilominus erat etiã illis,quibus Apoſtolus dicebat;qui manducat indignè,iudiciũ ſibi mãducat & bibit.quæ hic vocauit corpus Dñi,& ſanguinẽ dñi,proxime vocauerat dominicũ ſacramẽtũ nõ per ſynechdochẽ, toto.ſ.pro parte,vt iſte ait, vſurpato,ſed propriè ſine tropo pro integro ſacramento; alioqui quoquomodo cũ proprio & legitimo ſacramẽto baptiſmi ſacramẽtum dñicum non proprium & legitimũ cõtuliſſet Auguſtinus? quomodo, inquam,cõparaſſet cum integro ſacramento baptiſmi dimidiatum ſacramentum domini-
" cum? Sed recitemus, quæ Auguſtinus ſcripſit, neque re-
miſſio

Quomodo redarguitur Volanus, & conuincitur uiolentis, & abſurdis tropis interpretatiõne loci Pauli & Auguſtinum interpretẽ eludere.

„ missio, inquit, irreuocabiliū peccatorū consequitur bapti-
„ sma, nisi non solū legitimū, sed etiam legitimè habeatur:
„ neq; tamen si legitime non habebitur, & peccata vel non
„ remittentur, vel remissa replicabuntur, propterea vel ma-
„ lū, vel nullum erit in baptizato baptismi sacramentum,
„ Deinde subiungit, simile exemplum ex altero sacramen-
„ to legitimo sumptum. sicut enim, inquit, Iudas, cui buccel-
lam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed malè
„ accipiēdo, locū in se diabolo præbuit, sic indignè sumens
„ dominicum sacramentum, non efficit, vt quia ipse malus
„ est, malum sit: aut quia non ad salutem accipit, nihil acce-
„ perit. Hoc autem rursus probat idem Augustinus auctori
tate Pauli in ijs, quos dixit indignè manducantes, iudiciū
sibi manducare & bibere. Quid vero ineptius aut magis
ridiculum esse poterat, quàm si Augustinus ad confirmā-
dum, quod dicebat, scilicet nō satis esse habere legitimū
sacramentum baptismi, nisi legitimè & salubriter, id est,
in charitate haberetur, exemplum simile ex sacramento
dominico nō legitimo, sed imperfecto, id est, ex specie tā-
tum visibili cōstante petisset? nūquid ridiculus & ineptus
est Augustinus Ecclesiæ catholicę decus & lumen? absit.
sit potius Volanus ipsum ridiculum, & ineptiæ ipsæ, qui
non solum Augustinum, sed ipsum Apostolum quasi fa-
tuum & insulsum ludit. quid enim magis insulsum, quàm
monere, vt probet se ipsum homo, & sic de pane illo edat,
de quo scilicet dixerat, Accepit panem, & gratias agens,
fregit, & dixit, Accipite & māducate, hoc est corpus meū,
si nō potest cōtingere, vt aliquis nō se prius probās, id est,
indignè de illo ipso pane edat? quod si contingere potest,
quod iste hactenus hæretica fatuitate oppletus negat;
vt qui non seipsum probat, ęquè de illo pane edat, vt is,
qui se probat; hic autē ore spirituali accipit corpus Chri-
sti in sacramēto, vt Volanus iste etiam ex disciplina sacra-
mentaria Caluini & Zuuiglij dicturus est, ille qui seip-
sum, sicut Apostolus præcipit, non probat, quo ore nisi
carnali accipit? spirituale enim os fidei efficacis ex istorū
disci-

Quomodo Volanus ineptum facit Augustinū, & Apostolum ludit.

disciplina non habet. Est igitur inuitis hęreticis, & Paulo Apostolo contradicentes reuincente, corpus Christi in ipso sacramento, quod sumitur. Iste vero Volanus tum propria ignorantia præpeditus, tum Caluinianæ disciplinæ errore excœcatus, idem putat esse, participem Christi fieri, & sumere cörpus Christi. Hinc illa eius in nos falsæ religionis plena oratio. Vide enim, inquit, obsecro, quomodo ista conuenire possunt, vt quos indigne mysteria Christi tractantes, membra effici satanę testatur Augustinus, eosdem simul & Christi participes esse te iudice (Petrum Scargam dicit) affirmare debeat. Deinde subiungit tanquam zelo honoris Dei incensus, procul absit ab omnibus piis pectoribus, ne tanta contumelia corpus Christi afficiant, vt simul in idem domicilium Christum dominum & saluatorem cum satana atrocissimo perpetuoq; hoste ipsius includant. quam quidem blasphemiam non possunt, (inquit in nos intuẽs) effugere omnes isti, qui aut externa sacramentorum elemẽta in res ipsas significatas transubstantiari putant, aut in eis, scilicet transubstantiatis perinde vt aurum in scrinio contineri existimant.

Quomodo Paulus conuincat, corpus Christi esse in sacramẽto, quod ore carnis sumitur.

Quomodo Volanus errore obcœcatus idem putat esse participem Christi fieri, & corpus Christi sumere.

Disce igitur Volane quod ignoras, qui indigne mysteria Christi tractantes, membra fiunt satanæ, etsi corpus Christi ore acceperunt, quia tamen spiritum gratiæ, id est, spiritũ Christi non habent, carnem quidem sumunt, at spiritus eorum, id est, mens spiritui Christi non adhæret: fiunt inquam vna caro, non vnus spiritus sicut Apostolus ait. qui autem adhæret domino, vnus spiritus est. vnio autem carnis tantum, sine vnione spiritus nihil prodest. nõ itaq; efficiuntur participes Christi, qui tanquam membra mortua per peccatum cum diuinis, vt ait Dionysius, & viuificis membris Christi vniri non possunt. Ex his iam intelliget Volanus, non includi (sic enim loquitur) in idem domicilium Christũm dominum cum satana hoste. per peccatũ enim satanas in mente siue corde hominis habitat; sicut nos dominus in Euangelio docuit, cum reuersus satanas reperit domum suam scopis mundatam, & vacantem,

Quare qui indigne sacramentum corporis Christi accipiunt, nõ fiunt mẽbra Christi.

„ tem, id est reperit cor infrugiferum, tunc accipit septem
„ alios spiritus, & intrãtes, inquit, habitant ibi, & fiunt no-
„ uissima hominis illius peiora prioribus. itaq; cum nõ ha-
Cap. 81 „ bitat gratia in homine, tunc inquit S. Diadochus Episco-
„ pus, Photinensis, in profundo cordis instar serpentis dæ-
„ mones delitescunt. quare cum sit vna & simplex animæ
Cap. 78 „ forma, vt idem ait, non potest fieri, vt duæ personæ tunc ibi sint, spiritus scilicet gratiæ, & spiritus peccati, qui fuit error imo hæresis veterum quorundam, quos hic auctor, quem proxime memini, pluribus in locis refellit. Volanus vero conuersus in vaniloquium, volens esse legis doctor non intelligens, neq; quæ loquitur, neq; de quibus affirmat existimauit, non posse fieri, si quis indigne carnẽ Christi in sacramento ederet, quin spiritus Christi in anima eius esset simul cum satana; quod perinde est, vt si diceret, non posse participari corpus Christi sacramentaliter, quin simul participetur spiritualiter cum plane dicat Augustinus, quem idem Volanus testem citat, ex tract. 26. super Ioannem, qui non manet in Christo, & in quo non

Error quorundam hæreticorum ueterum, spiritum gratiæ, & spiritum peccati simul esse in eadẽ anima.

" manet Christus, neq; mãducare spiritualiter eius corpus,
" neque bibere eius sanguinem; licet carnaliter, inquit, &
" visibiliter premat dentibus sacramentum corporis & san-
" guinis Christi; sed magis tantæ rei sacramentum ad iudi-
" cium sibi manducat & bibit. non dixit Augustinus, licet
" carnaliter & visibiliter premat dentibus solum sacramen tum, ut Volanus prophanam nouitatem uerborum introducens, uel potius renouans, loquitur, & Augustinũ loqui fingit, cum paulo post in libro suo his uerbis ait; nec.n.a seipso August. dissentire putandus est, qui corpus
" Christi nemini ad exitium dari contendit, sed sola sacra-
" menta indigne usurpata in iudicium manducari tradit:
" non dixit inquam, Augustinus solum sacramẽtum, siue sola sacramenta, sed sacramentũ corporis & sanguinis Christi, id est, corpus & sanguinem Christi in sacramento, hæc enim est uis huius cõnexionis sacramenti corporis & sanguinis Christi; & indigne manducantes non solum sacra

Nouitas ueiborũ hæretica dicere, solũ sacramentum manducari.

mentum

mentum, ſed ſacramento tenus, id eſt, ſolo ſacramẽto ait manducare corpus Chriſti, quia non manent in Chriſto. Sic ergo Berengarius princeps auctor iſtius diſciplinæ loquebatur, & ſentiebat, vt nunc Volanus, antequam ſententiam ſuam & verba in hunc modum in ſynodo Romana Gregorij vij. damnaret, confiteor de ſacramẽtis dominicæ menſæ eandem fidem me tenere, quam dominus & venerabilis Pater Gregorius vij. & hæc ſancta Synodus auctoritate Euangelica & Apoſtolica tenẽdam tradidit: mihique firmauit, ſcilicet panem & vinum, quæ in altari ponuntur poſt conſecrationem, non ſolum ſacramentũ, ſed etiam verum corpus & ſanguinẽ domini noſtri Ieſu Chriſti eſſe; & ſenſualiter non ſolum ſacramentum, ſed in veritate manibus ſacerdotum tractari, frangi, & fideliũ dentibus atteri, & quæ ſequuntur. Qui igitur poſt cõſecrationem panis, ſolum ſacramentum ponit, aut dicit, vt nunc Volanus, ab ipſo etiam Berengario primo auctore, non vnius ſynodi, ſed plurium ſynodorum iudicio, & Euangelica atque Apoſtolica auctoritate damnatus eſt. fictum igitur eſt, vt paulo ante dixi, quod ait Volanus, dicere Auguſtinum, ſola ſacramenta in iudicium manducari. non enim eſt idem manducare ſacramento tenus, ſiue ſolo ſacramento corpus Chriſti: & manducare ſolum ſacramentum. qui enim ſolum ſacramentum manducari dicit, corpus Chriſti a manducatione excludit. non ſic autem, qui corpus Chriſti manducari dicit ſacramento tenus. Dicit hoc quidem Auguſt. lib. 21. de ciuitate Dei cap. 25. illud vero, nuſquam. Sic enim ait, Denique ipſe dicens, qui mãducat carnem meam, & bibit ſanguinẽ meum, in me manet; & in quo ego non maneo, non ſe dicat, aut exiſtimet manducare corpus meum, aut bibere ſanguinem meum. Hactenus Auguſtinus. non dixit, qui non in me manet, & in quo ego non maneo, non manducat corpus meum, neque bibit ſanguinem meum, manducat enim ſacramento tenus corpus; ſed dixit, non ſe dicat, aut exiſtimet manducare corpus meum, quia ſcilicet ſic manducando corpus

Quomodo Volanus loquitur & ſentit, ſicut Berengarius.

Qui poſt conſecrationem ſolũ ſacramẽtum dicit, ab ipſo etiã Berengario huius erroris auctore, & duce damnatus eſt.

Quod non ſit idem, manducare ſolum ſacramentũ: & manducare corpus Chriſti ſacramento tenus, ſiue ſolo ſacramento.

pus Christi, non vnitur cum eo secundum spiritum eius, sed secundum carnem tantum, quæ nihil prodest ex se; quin potius diuina natura vnita cũ carne Christi, per carnem tribuit vitã digne manducanti. Eo itaque sensu hoc dixit, quo dicere solemus, qui vt Christianum decet, non agit vitam, nõ se dicat, aut existimet Christianum. cur ita? quia & si iste Christianus est, nihil tamẽ ei ꝑdest sic Christianum sine vita Christiana esse. hic enim est sacramẽto tenus Christianus: ita qui corpus Christi non sic manducat, vt spiritus Christi particeps fiat, is non re uera, id est, spiritualiter, sed sacramento tenus, id est, solum corporaliter, ac sensibiliter corpus Christi manducat.

Quibus, & quo modo prodest caro Christi manducata.

De interpretatione loci Aug. ab hæreticis obiecti ab ipso Aug. facta; & quis dicatur ab eo vere manducare corpus Christi: & quomodo idem corpus Christi aliis est odor vitæ in vitam: alijs odor mortis in mortẽ: & quomodo ratione philosophicæ theologiæ ex Paulo demõstretur, malos corpus Christi sumere in sacramento; & quomodo sacramẽtum absolute, nunquam nisi proprie, & sine figura vlla pro toto sacramento, & non pro parte accipitur, vt volunt hæretici: & quomodo intelligendus locus Aug. ex sententiis Prosperi. CAP. XXIIII.

SEd doceamus adhuc Volanum, sic Augustinum intellexisse, quæ nos ex verbis ac sententijs eius dicimus, in eodem loco paulo ante respondens ijs, qui liberatio-
„ nem ab æterno igne promittebant; non omnibus, inquit,
„ habentibus sacramentum baptismatis, & corporis Chri-
„ sti, sed solis catholicis quamuis male viuentibus pollicen-
„ tur, quia non solo, inquiunt, sacramento, sed reipsa man-
„ ducauerunt corpus Christi in ipso scilicet eius corpore cõ
„ stituti, de quo corpore ait Apostolus, vnus panis, vnum
„ corpus multi sumus. qui ergo est in eius corporis vnitate,
„ id est, in Christianorum compage membrorũ, cuius cor-
„ poris sacramentum fideles communicantes de altari su-
„ mere consueuerunt, ipse vere dicendus est mãducare cor-
„ pus Christi, & bibere sanguinem Christi; ac per hoc hęre-
„ tici & schismatici ab huius vnitate corporis separati, pos-
sunt

„ sunt idem percipere sacramentum, sed non sibi vtile, im-
„ mo vero etiam noxium, quo iudicentur grauius, quàm
„ vel tardius liberentur. non sunt enim in eo vinculo pacis,
„ quod in illo exprimitur sacramento. Hæc de illis August.
„ qui quidem non negabant; vt Volanus negat, catholicos male alioqui viuentes verũ corpus Christi manducare: immo non solo sacramento corpus Christi manducare aiebant, sed reipsa, id est (sic enim interpretabantur) in ipso corpore Ecclesię, cuius est hoc sacramentum, constituti. rursus isti hæreticos & schismaticos vtpote ab Ecclesia separatos concedebant quidem percipere idem sacramentum, id est, idem corpus Christi in sacramento; sed inutile ipsis & noxium, quia non essent in pace cum Ecclesia, cuius erat sacramentum, quod perceperant, quod illi vocabant manducare corpus Christi non solo sacramento, sed re ipsa, quia in pace Ecclesię & vtiliter, vt de catholicis male viuentibus falsò existimabant. Nihil vero in his Augustinus reprehendit, pręterquam temeritatem impiã promittendi illis liberationem ab igne ęterno; cum Apostolus enumeratis operibus carnis, plane pronunciet, eos qui talia agunt, regnum Dei non possessuros. Sed Volanus faber & architectus metonymicus, cum apud Augustinum, aut alios, mali corpus Christi & sanguinem, aut sacramentum participare dicuntur; corpus Christi & sanguinem metonymice pro signis & externis symbolis accipit, & sacramentum pro sola externa specie sensibili tropice totum pro parte, cum vtrumque sit commentitium. August. enim cum corpus Christi dicit, corpus Christi intelligit; & cum sacramentum dicit, sacramentum item intelligit, id est, sacrę rei signum, quod non est nec esse potest sola species sensibilis extra rem, cuius est signum. nec enim cum Augustinus dicit, non sacramento tenus, sed reuera corpus Christi manducare, hóc significat, non speciem solam manducare: species enim sola post consecrationem esse non potest, quia dominus dixit, sumpto pane in manus, qui potuit facere, qđ dixit, Hoc est corpus meũ,

Quomodo quidam ab Augustino notati, interpretarentur manducare corpus Christi re ipsa.

Quomodo post cõsecrationem species sola nõ potest esse.

& vt

&c vt dixit sic proprie intelligi voluit, ne metonymia, de qua nihil hic spiritus sanctus pręcepit, deciperemur: sed significat sacramentum corporis Christi, siue corpus Christi in sacramento non corporaliter tantum, sed simul etiã spiritualiter manducare, quod est reuera corpus Christi manducare. quia qui sic manducat, in Christo tanquam in cibo natura suà viuifico manet; & Christus tanquã cibus viuificus in ipso. Hæc est res huius sacramenti, quam August. dicit omni homini esse ad vitam, & nulli ad exitium: quod non intelligens Volanus, nobis obijcit, vt probet malos non manducare corpus Christi. Hanc rẽ sacramenti manducare, vocauit hic idem August. manducare corpus Christi nõ sacramento tenus, sed reuera, quod idẽ interpretatus est ibidem sic manducare, vt in eo maneat Christus, & ipse qui manducat in eo: contra vero qui non sic manducat, quia non manet ipse in cibo viuifico, neq; cibus viuificus in eo, nõ dicitur reuera corpus Christi mãducare. idem enim corpus Christi, sicut Paulus de Euangelij eius prædicatione dixit, alijs est odor vitæ in vitam; alijs odor mortis in mortem, non quidem natura sua, vt paulo ante aiebat B. Chrysost. sed vitio accipientiũ indigne. Sic etiam B. Simeon dixit, Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionẽ multorum in Israel. & in eandem sententiam dixit Angelus Danieli de aduẽtu Christi tunc futuro, vt cosumaretur præuaricatio. quod in Euangelio significauit Dominus, cum dixit, implete mẽsuram patrũ vestrorum. peccata enim patrũ & sua summo scelere mortis Christi Iudæi impleuerunt & cumularunt: quod non fecissent, nisi venisset, & locutus eis fuisset. Hoc fuit, positum esse in ruinam multorum; in resurrectionẽ vero multorum, quia venit, vt idem Angelus ibidem dixit, vt finem acciperet peccatum, & deleretur iniquitas, & adduceretur iustitia sempiterna. Vtrumque complexus est dominus in Euangelio cum dixit, In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident, videant; & qui vident, cæci fiant. Hęc ergo quia Volanus vel ignorat, vel non credit, idcirco nec

Quid sit apud Augustinum reuera corpus Christi manducare, & non sacramento tenus.

Quomodo corpus Christi alijs uitam afferat: alijs mortẽ, quod Volanus nõ intellexit, quia nõ credidit.

eo nec intelligit, quomodo idem corpus Christi in sacramento ab alijs manducetur in ruinam, id est, in iudicium; ab alijs in resurrectionem, id est, in vitā sempiternam. Sic
„ enim ait peruersa ergo est doctrina, & in ipsum filiū Dei
„ contumeliosa; carnem Christi, quæ manducata ipso testā-
„ te, omnibus est viuifica, mortiferam & exitiosam esse qui-
„ busdam dicere. Hæc Volanus. quem vno verbo condemnat Apostolus. si enim caro Christi manducata non est intelligenda omnibus illis tantum viuifica, à quibus digne manducata est, vt in omnibus Ecclesiis catholicorum docemus, quomodo Apostolus dixit, qui .n. manducat indigne, iudiciū sibi mãducat & bibit? cui enim cauendum est ne sacramentū corporis Christi indigne mãducet, nisi cui studendum est, vt idem sacramentum digne manducet? manducare enim digne sacramentum, & nō manducare digne sub affirmatione & negatione sunt; quare necesse est, vt de eodem sint affirmatio & negatio, vt si affirmatio vera est, sit negatio falsa; aut si affirmatio falsa, negatio sit vera. quare si qui digne sacramentum manducat, non solum elementum sensibile manducat, sed corpus Christi, siue vere, vt nos catholici profitemur; siue in spiritu tantum, vt hæretici, cōsequens necessario est, philosophica Theologia hoc ἀποδεικτικῶς conuincente, vt etiam qui indigne manducat non sacramentum solum, sed in sacramento corpus Christi mãducet. falsum ergo est quod Volanus ex disciplina Caluini ait, cum mali dicuntur sacramentum Eucharistiæ manducare, solam speciem visibilē intelligi; accipique hic sacramentum metonymice, totū pro parte. Illud etiam addam, et si non reprehendo, quod Petrus Scarga in suo ad Volanum libro scripsit vsurpari sæpe nomen sacramenti a B. Augustino improprie, ac metonymice, totum pro parte, continens pro contento; tamen quia hoc auide Volanus arripuit ad probandū malos dici ab Augustino participes sacramenti cum bonis fieri; id est, partis sacramenti, toto, vt ait, pro parte vsurpato: idcirco cum Volano cōtendo, nusquam ab August. nec

Demonstratio ex uerbis Pauli cōclusa, corpus Christi in sacramentis manduceri etiam ab indigne manducātibus.

Quomodo nūquam ab Aug.

nec ab alio expatribus antiquis sacramentũ absolute, nisi proprie & sine figura metonymię pro toto sacramento S. Eucharistię accipiatur.

nec ab alio ex antiquis Patribus, sacramentum absolute, nisi proprie & sine figura metonymię pro toto sanctę Eucharistiæ sacramento accipi. Augustinus enim cum pro parte accipit, non simpliciter dicit sacramentum, sed coniuncte sacramentũ visibile, quod ad solam speciem sensui oculorum subiectam refertur in tract. in Ioan. 26. sacramẽtum enim simpliciter dicitur, & est, per quod Christus significatur, & participatur. sic enim ait diuinus Dionysius, positis super altare venerãdis symbolis, per quæ Christus significatur, & participatur. quæ ille vocat symbola veneranda, quæ sunt species, siue figura panis & vini cum corpore & sanguine Christi, nos vocamus sacramentum.

Quomodo intelligendus sit locus Aug. ex sententijs Prosperi.

Quare cum ait August. ex sententijs Prosperi, sacrificium Ecclesiæ constare ex visibili elementorum specie, & inuisibili domini nostri Iesu Christi carne & sanguine, & sacramento, & re sacramenti; non vocauit sacramentum solam speciem visibilem elementorum, quam proxime dixerat, sed sacramentum vocauit, per quod significatur, & participatur Christus, quod species sensibiles sacramentales, & corpus Christi complectitur: rem vero sacramẽti vocauit ipsum Christum, qui per sacramentum significatur, & participatur. Differunt autem ista duo, per quod significatur & participatur; & ipsum quod significatur & participatur illud est sacramentum; hoc Christus ipse tantum; ex vtroque autẽ constat sacrificium Ecclesiæ, in eo enim est Christus nobis quidem cum velo, angelis vero & beatis spiritibus sine velo; nobis inquam, opertus, illis reuelatus, & facie ad faciẽ apparens. Hanc vim habet sentẽtia August. apud Prosperum. Deinde, esto, concedatur in hac sententia Prosperi vsurpatio ista sacramenti pro parte. at in loco quem Volanus ex Augustino citat tract. in Ioan. 26. vt auctoritate eius probet, malos siue infideles non sumere corpus Christi in sacramento, sed solum, vt ipse ait, symbola visibilia, in eo inquam loco non potest accipi ab Augustino pro parte. sic enim ait Volanus, hoc vero alio in loco clarissimis verbis edisserit idem August. sacramentum sumi-

„ mitur, inquit, quibusdam ad vitam, quibusdam ad exi-
„ tium: res vero ipsa, cuius est sacramentum, omni homini
„ ad vitam, nulli ad exitium, quicunque eius particeps fue-
„ rit. Respondeat ergo Volanus, cum Augustinus dicit sacramentum sumitur quibusdam ad vitã, quomodo accipitur hic ab Augustino sacramentum? non negabit Volanus, quin pro toto sacramento accipiatur: sola enim species visibilis nulli sumitur ad vitã. si ita est, quomodo clarissimis verbis iudice Volano, edisserit Augustinus, si cum continuo subiungit, quibusdam ad exitium, sumitur scilicet sacramentum (hoc enim repetendum est) iã non pro toto, vt in altero membro eiusdem orationis, sed pro parte accipitur? An hoc erat bene latine loqui, & clarissimis verbis edisserere? Si te Volane putas bene latine loqui, cur Augustinum facis indisertum, & tam inopem verbis, vt vno & eodem verbo in eodem loco diuerse vsus sit, idque, vt hęresim tuam auctoritate Augustini probes?

Quomodo Volanus Augustinum facit indisertum, & inopẽ uerbis, ut auctoritate eius hęresim suam confirmet.

Vbi, & quomodo dominus Iesus verbis suis declarauit, & aperte dixit, non se loqui figurate, sed proprie de sacramento corporis sui, prauidens futuros Metonymicos: & quàm inepta & periculosa sit metonymia ad tradendum dogmata: & quomodo in pane, cum accidentia tantũ substantiæ panis significat, non sit metonymia, sed homonymia: & quomodo hanc homonymiam dominus docuerit, idest, panem esse, & vocari accidentia panis sine substantia: & quare dominus salua esse voluerit; & quare nomen panis carni suæ imposuerit, cũ dixit, panis, quem ego dabo, caro mea est: et de synecdoche figura in pane visibili pro toto sacramento ex specie sensibili panis & re insensibili constante: et quomodo hæretici metonymiam adamant hic, & synecdochen oderunt.

CAP. XXV.

Sed quia tu Volane, vt antea dixi, necessario sequi concedis, malos quoq; corpus Christi in sacramẽto sumere, si semel constet mutari panem in corpus Christi, constare autem magis hoc non potest, quàm si ex ipsis verbis Christi constet, ipsum non figurate, & metonymice loqui, si ipse, inquam, dicat, proprie se loqui; demonstre-

mus vbi hoc plane dicat, vt semel Zuuingliis, Caluinis, & Volanis metonymia ista intereat, & perimatur. Cū igitur Christus de dāda carne sua sub specie panis ad māducandū differēs, dixisset, panis quē ego dabo, caro mea est pro mundi vita, intuens in illud, quod facturus erat, cum accepto pane in manus, dixit, Hoc est corpus meū, quod pro vobis tradetur, post multa, quæ ad suadendum hoc sacramentū corporis sui disseruerat, præuidens Metonymicos futuros, ad extremū, verba, inquit, quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt; an non satis hoc loco declarauit, proprie se locutū esse, propriisq; verbis vsum? Quomodo .n. si verbo carnis, quod carnē; & verbo corporis, quod corpus significat, nō carnē, & corpus proprie, vt communis loquendi & intelligendi consuetudo ferebat, sed figurā carnis & corporis metonymice intelligi voluisset? quomodo inquam, dixisset, verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt? an nō satis expressit, vt dicta erant à se verba, id est, proprie, sic etiam intelligi voluisse? qui enim verbis alias res, quàm verba proprie declarant, voluerit significare, nunquam sic dicit, verba, quæ ego locutus sum, si eos, qui audiunt, aut non itelligendo, aut intelligendo male, in errore versari non vult. Deinde cum dixit, quæ locutus sum vobis, an nō intuebatur in omnes fideles, qui per verbum Apostolorum credituri erant? quis hoc neget? Si ergo omnibus nobis locutus est hæc verba, quàm multi sunt inter nos, qui metonymias ignorant; nec aliud vnquam intellexerunt, quàm corpus, cum corpus audiunt; nec aliud quàm carnem, cum carnem? in eo ergo error esse non poterat, quid illa verba corpus, aut caro in illis locis proprie significarent, de quo cauere admonendo non opus fuit: in eo vero esse poterat, quomodo caro sua, quam manducandam esse dicebat, manducari posset: aut quomodo manducata, vitam sempiternam tribuere. Hic igitur opportuna & necessaria erat cautio. idcirco, verba, inquit, quæ locutus sum vobis, carnem scilicet meam manducandam esse, & māducatam vitam sem-

Quomodo, & ubi Christus plane docuit, nō se de corpore suo dando ad māducandū, metonymice, sed proprie loqui.

Quid dominus admonere uoluerit, cum in euangelio differens de corpore suo ad manducandū dando dixit, uerba, quę ego loquor &c.

ſempiternam tribuere,non dixit,metonymice accipienda ſunt pro figura carnis, quaſi non ſit vere cibus, id eſt, ore humano vere comedendus, ſed extra panē ſpiritu per fidem ſolā apprehenſus; nihil horum dixit, quæ ſunt myſteria Caluinianæ diſciplinę;ſed dixit,ſpiritus & vita ſunt. nomine ſpiritus & vitæ ait Athanaſius lib. 3. ad Theophylum de aſſumptione humanitatis, Deum ſignificat; ſicut
„ nomine carnis, qua caret ſpiritus,hominem ſignificat er-
„ go, inquit, omnem poteſtatem adſcribendam eſſe Deo;
„ omnem vero infirmitatem carni. & libro primo. ſpiritus,
„ inquit, uiuificans eſt caro domini, quod enim ex ſpiritu
„ naſcitur, ſpiritus eſt. Itaque, quod caro eius fieret vere cibus, qui vere ore caperetur, & manducanti digne vitam ſempiternam afferret, docuit, non ex ipſa carne,ſed ex diuinitate proficiſci, quæ vnita cū carne, vt caro edi poſſet, & edenti viuifica eſſe, effecit. hoc erat, verba,quæ locutus fuerat, ſpiritum & vitam eſſe; id eſt, diuinæ poteſtatis, & ſubſtantialis vitę eſſe propria, quę per carnem in ſpecie panis manducandam, fieri dicebat. Sed dicet hæreticus, vt dixit dominus, carnem ſuam manducandā eſſe in hoc ſermone, quem differens de ſacramēto corporis ſui fecit, ſic etiam dixiſſe, daturum ſe panem, qui eſſet caro ſua. ſic
„ enim ait, Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi
„ vita. hic ſaltem dicet, nos non poſſe metonymiam fugere, putabitq; hęreticus, quòd panis, qui ſubſtantiam panis ſignificat, & accidentia eius continet, pro accidentibus contentis à nobis accipiatur,de quo tamen, inquiet, nihil dominus admonuit. Sed fallitur opinione;nō enim eſt metonymia hic; in metonymia enim nomina diuerſa ſunt, & res ſubiectæ nominibus diuerſæ, vt nauis pro hominibus, qui in naui ſunt: & cælum pro cælitibus: & ſignum pro re ſignata,quę extra ſignum eſt,quæ ſola habitudine,non re ipſa, in ſigno continetur,ut imagines rerū, aut hominum;cuiuſmodi ſignum ponunt hæretici ſacramentum S. Euchariſtię. huiuſmodi metonymia non eſt idonea figura ad tradendum dogmata. niſi enim factum

Quę ſententia his uerbis ſubiecta ſit, uerba, quę ego loquor, &c.

Quod in uerbo panis, cum accipitur pro ſolis accidentibus, non ſit metonymia.

Quid ſit proprium metonymię.

Quomodo metonymia nō ſit

figura idonea ad tradendum dogmata.

sit prius planum, de continente, an de re contenta; de signo, an de re signata, quod dogmatice traditur, accipiendum sit, continget in magno errore versari eos, qui audiunt; & eum, qui tam periculosa & ancipiti obscuritate docuit, occasionem lubrici lapsus præbuisse. Exemplo sunt hæretici isti metonymici, qui ea, quæ dominus in Euangelio Ioannis de pane suo dando ad mãducandum, qui esset caro sua pro salute humani generis crucifigẽda, disseruit, & quod alij quoq; Euangelistæ de eodem mysterio panis in corpus Christi verbo domini cõuersi scripserunt, de pane integro accipiunt comedendo, tanquam signo carnis Christi in cælo manentis, & extra signum per spiritum fidei manducando. vt quod dominus de carne sua præsente vere ore corporis nostri per speciẽ panis mãducanda tradidit, isti cõtendant per suam metonymiam, de signo pro re signata metonymice accepto traditum esse; ad quos refellendos vel illud solum satis est, quod hoc illis non mandauit dominus, nec Apostoli eius. nam & sancti Apostoli ad condemnandũ eos, qui Antiochiæ tradebant, oportere circuncidi; hoc satis esse Antiochenis iudicarunt, quòd illis sic docere non mandassent. sic enim scriptum est in Actis Apostolorum, quoniam audiuimus, „ quòd quidam ex vobis exeuntes, turbauerunt vos euerten„ tes animas vestras, iubentes vos circuncidi, & seruare le„ gem, quibus non mandauimus; placuit nobis collectis in „ vnum, & quę sequuntur. Ostendant igitur hęretici, vbi do„ minus & magister noster mandauit ipsis de metonymia; aut discipuli eius Apostoli sancti. quod si nusquam hoc ostendere possunt, agnoscant se in iis numerari, qui ex catholica Ecclesia exeuntes fratres turbauerunt, euertentes animas eorum, negantes veritatem corporis Christi in sacramento ipso, & metonymiam introducẽtes, quibus nõ mandauit dominus, nec Apostoli eius. cum ergo dominus dixit, panis, quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita; non est enim hic, vt dixi, metonymia, vbi similitudo, siue figura panis, panis dicitur, nec metaphora; neq; catachre-

Quod ad refellendos Metonymicos satis est non posse eos ostendere, ubi Christus, aut Apostoli eius mãdauerint de eo, quod per suam metonymiam tradũt impie & blaspheme.

chresis,sed est communitas nominis cum diuersa ratione rei significatæ, quæ homonymia dicitur. panis enim substantia proprie,ac prius panis dicitur & est;sola vero accidentia panis, sapor, odor, color, quia sunt propria naturæ panis,panis quoq; communi vocabulo,tametsi minus proprie & posterius,dicuntur.Est autem hęc homonymia à domino declarata, ne quis errore laberetur. Cum enim dixit, panis, quem ego, scilicet qui sum omnipotens verbū Patris,dabo,caro mea est,pro mundi vita, id est, quam dabo pro mūdi vita: (sic enim legūt & interpretantur Cyrillus & Leontius Eutholius in comment. Ioan. & Theophylactus) mortuus est enim vt viuificaret nos, qui eramus, sicut Apostolus ait, mortui peccatis; cum dixit inquam, panis, quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita, in illud intuebatur, quod in cœna postea dixit sumpto in manus pane, Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: vbi cū mutatio substantiæ panis fiat in substātiā corporis Christi:siquidē omnipotēs est, & fidelis, ac verax,qui dicit de creatura sua,Hoc est corpus meū;necesse est,vt quod demōstratur dicēdo,Hoc,illud sit,vnde conuersio siue mutatio fit, id est,substantia panis. quare cum adhuc panis postea dicatur, & sit, quem facta mutatione substantiæ panis in carnem suā,dat,vt in Euangelio Ioan. dixerat, panis, quem ego dabo, caro mea est, consequens necessario est,vt accidentia illius substantię panis mutatę, teste sensu,remaneant salua sine subiecto cum carne Christi; quæ accidentia licet homonyme, panis tamen dicatur & sint. Sed quia hæretici ab hoc miraculo accidentium sine subiecto omnino abhorrent, vim & necessitatem eius ignorantes, dicendum est hic, quod ait magnus Athanasius in sermone de Pascha ad recenter baptizatos. quærit enim,quare ianuis occlusis ingressus est dominus ad disci» pulos post resurrectionē, qui remoto saxo & aperto ostio » monumenti resurrexit? vt qui non credebant, inquit, re» surrexisse, ingressum ianuis clausis demirarentur; atque ita viso miraculo ingressus,ad credendum miraculum resurre-

Quid nomen panis proprie, & prius, & quid nō ita proprie & posterius significet, & quomodo sit homonymum.

Collatio loci Ioannis cum loco Matthęi ad demonstrādam conuersionem panis in corpus Christi saluis accidentibus panis.

Quomodo hęretici vim & necessitatem miraculi accidentiū panis sine subiecto remanentiū ignorent.

Quare voluit deus, ut in miraculo sanctissimæ Eucharistię remanerent salua accidētia sine subiecto substātiæ panis.

surrectionis non visum adducerentur. sic etiam, vt idem ait, reuoluto lapide, & aperto sepulchro surrexit corpus, vt viso item hoc miraculo, idem crederetur factum in inferno, quod in sepulchro: id est, sicut visum fuit sepulchrū corpore Christi spoliatū, sic crederetur factum esse in inferno, vt similiter anima Christi, quæ ibi detineri non potuit, spoliaretur, licet non fuisset hoc visum. Similiter dicendum est in miraculo sanctiss. Eucharistiæ; percipi sensu accidentia, postquā dominus dixit, Hoc est corpus meū, vt cōuersionem substantię panis in corpus Christi, quam penitus nō sentimus, credamus; siquidē verax est, & omnia potest qui dixit. vt enim in eodem sermone & eodē loco ait idem Athanasius, ὅπου προστάττει θεὸς, τῆς συνηθείας ἀργοῦσιν οἱ νόμοι. id est, vbi iubet Deus, nihil agunt leges cōsuetudinis. Sed quomodo, dicet aliquis, panem appellat non solum accidentia illa substantiæ panis relicta, quibus alioqui cōuenit, quamuis homonyme nomē panis, quia sunt propria naturæ panis, quæ prius erat, sed etiam veram carnem suam Christus panem appellat, cum ait, panis, quē ego dabo, caro mea est. Atqui re & veritate panis ille ex accidentibus solis constans, non magis erat caro Christi, quàm illa substantia panis, quam demonstrat dominus, dicens, Hoc est corpus meum; ex quo fit, vt appellatione caro Christi esset panis. Cur vero imposuerit nomē panis carni suæ in sacramento dominus, causam attulit Magnetes auctor Ecclesiasticus vetustissimus cuius antea memini; vt admoneret, inquit, nos, ex terra esse corpus item & panem; & vnius generis substantiam esse corporis & panis: quare cuius creatura esset terra, cum & non alium posse vere, dicere sumpto in manus pane, Hoc est corpus meum. Aliaquoque ratio grauissima appellationis huius extitit, quam doctissimus auctor Tertullianus lib. 4. contra Marcionem reddit, ait enim vocando panem corpus suum, satis declarasse fuisse panem, veterem figuram corporis Christi per Hieremiam dicentis, venite conijciamus lignum in panem eius. Præterea etiam corpus suum

Quare dn̄s carnem suā in sacramento, panē uocat, tres potissimū grauissimas causas esse alteram a Magnete, alterā a Tertulliano notatam, & tertiā a nobis.

panem

panem vocauit, vt declararet daturum se carnē suam ad manducandū sub specie panis, quæ à sacramento corporis sui inseparabilis esset. Hinc S. Apostoli didicerunt vocare quoque panem ipsam communionē corporis Christi; sicut Apostolus ait, panis, quem frangimus, nonne participatio siue communio corporis domini est? panem in quam vocant per synechdochen, ex parte totum sacramentum. panis enim visibile sacramentum est, vt B. quoque August. in tractatu 26. in Ioan. vocat totum vero sacramentum ex visibili specie & re inuisibili, scilicet corpore Christi constat. Sed Caluiniani vt metonymias hic amplexantur, & in manibus habent; sic synechdoches hic etiam oderūt, sicut confessionistæ in iustificatione. sic enim Philippus vocat in respons. ad art. Bauar. inquisi. Synechdochen Origenicam qua interpretantur catholici fide hominem secundum Apostolum iustificari, id est, fide cum charitate, quæ est fides viua, quę formata vocari solet; imo vsque adeo fugiunt in appellatione panis synechdochen, vt contra potius ex toto partem accipiendam esse contendant, vt cum dicuntur mali apud August. sumere sacramentum de visibili symbolo interpretatur Volanus ex disciplina Petri Martyris; idque figurata, inquit, & metonymica dicendi ratione toto pro parte vsurpato, in quo satis rudem grammaticum se nobis probat. quia enim metonymia est, cum continens pro re contenta dicitur, vt nauis pro iis, qui sunt in naui, & cœlum pro iis, qui in cælo; totum autem continet partes, metonymiam quoque existimauit esse in vsurpatione totius pro parte; quasi qui in naui sunt, partes nauis sint, ex quibus cōponatur; sicuti ex specie visibili & re inuisibili tanquā ex partibus totū sacramentum Eucharistiæ constat. iste vero bellus Grammatista metonymicus nihil differre putauit totum à continente; aut contenta, quæ non sunt partes continentis, à contentis, quæ sunt partes, in quibus totum, quod partes suas cōtinet, simpliciter dictum, nunquam pro parte sola accipi potest. nec enim cum hominem dicimus vulneratum,

Quomodo Caluiniani sic oderūt synechdochē in sacramēto Eucharistię sicut confessionistæ in iustificatione.

Quomodo totū qd ex partibus suis constat, cū

simpliciter dicitur, aut ponitur nunquã pro parte sola accipitur.

qui vulnus accepit in pede, aut manu, manus solũ, vulnerata est, & non potius homo in pede aut manu: neque cũ Petrum aut Paulum in cælo esse dicimus, totum hominẽ dicimus pro sola anima eius; immo totum dicimus, quia omnes, sicut scriptũ est, viuunt ei; sic dicimus Deũ Abraã, & Deum Isaac; quod dominus attulit ad probandam resurrectionem corporum. Illud vero risu dignum est, quod Caluinus & Theodorus Beza sic volũt esse metonymiam in pane, cum ait Apostolus, panis, quem frangimus, nonne participatio corporis domini est, sicut in eo quod ibidem ait, calix benedictionis, cui benedicimus, nonne cõmunicatio sanguinis Christi est? cum omnes, qui Dialecticam primis labris degustarunt, sciant distinguere hoc genus habendi, tanquam in vase; sic enim, dicimus calicem habere speciem vini, sub qua est sanguis Christi, sicut modium habere triticum, aut dolium vinum: panem vero nemo vnquam dixit habere corpus Christi tanquã in vase. Hactenus ad totum librum tuum responsum est: efficiat pater misericordiarum, vt quæ hactenus contra te scripsi, tibi afferant salutem, hoc enim mihi propositum fuit, ac nõ potius ante tribunal domini in illa die, cum reuelabit occulta cordium, in te testimonium dicant. Sin vero tibi non proderunt, quod Deus auertat, spero, & cõfido alijs non paucis istic profutura. Age ergo Volane frater, annus remissionis est, propera huc si potes, aut libet; aut fac istic, vt impleatur in te, quod in Leuitico de lege Iubilæi

Quomodo sit ridiculum, & ex ignorantia dialecticę profectũ qđ Caluinus, & Theodorus Beza voluerũt esse metonymiam, cum Paulus dicit, panis, quem frangimus; sicut cum dicit, calix benedictionis &c.

„ scriptum est; & vocabis, inquit, remissionem cunctis habi-
„ tatoribus terræ, ipse est Iubilæus, reuertetur homo ad pos-
„ sessionem suam: & vnusquisq; rediet ad familiã pristinã:

tu fidẽ amisisti, per quam, sicut ait B. Petrus, in virtute Dei custodimur in salutem paratam reuelari in tẽpore nouissimo, hæc est possessio tua, & nostra: redi ergo ad fidem ecclesiæ catholicæ, vt per eam ad possessionem salutis æternę redeas: & ad familiam pristinam, patrum, & maiorum tuorum, qui in fide antiqua à primis, & sanctis magistris tradita vsque ad extremum vitæ perseuerarunt. sequitur

„ in eadem lege Iubilęi, & remissionis, non feretis, neq; me-
„ tetis sponte in agro nascentia; hęc sunt opera carnis, quæ
Paulus dicit in epist. ad Gal. in quibus numerat sectas, quæ Græce dicuntur hæreses, quas ij, qui ex diabolo sunt, sicut ait dominus in euang. Ioannis, & desideria eius facere volunt, in agro cordis sui diabolo seminante, sponte excipiunt. Ille, inquit, cum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur: sic Caluinus, Zuinglius, Petrus Martyr, quos tu secutus es, ex proprijs, sicut diabolo magistro didicerunt, locuti sunt, nō permanente in eis, sicut ait Ioannes, quod ab initio audierant. Recede ergo frater Volane ab eis, ne cū eis, qui iam ininferno ardent, pars tua sit. Redi ad id, quod ab initio audisti, & permaneat in te; quia si permanserit, ait idem Ioannes, quod audisti ab initio, & tu in filio, & patre manebis; & hęc, inquit, est promissio, quod ipse pollicitus est nobis vitam ęternam. Crede ergo magis Ioanni euangelistæ, ei esse proximam vitam æternam, qui in eo, quod ab initio ab Ecclesia catholica audiuit, permanserit, quàm Caluino, qui permanenti in secta sua noua, & à cuncto orbe Christiano damnata non potest promittere nisi ignem ęternum, in quo ipse est. Imitare eos, quos dominus iusto, & profundo, atq; inperscrutabili iudicio suo permisit, aliquando in hæresem incidere; ex qua postea eosdem summa sua misericordia cum in genti eorum, quos secum perdiderant, fructu, & lucro extraxit. postquam lex Iubilęi, & remissionis iussit non fere-
„ re, neque mittere sponte in agro nascentia, subiungit, sed
„ statim oblata comedetis, interpretemur nos hoc esse nūc, quod princeps apostolorū Petrus ait in epist. sua priore,
„ Sperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam in reuelatio-
„ nē Iesu Christi quasi filij obedientiæ non configurati prio
„ ribus ignorantiæ vestrę desideriis, sed secundum eum, qui
„ vocauit vos, sanctum. Deus domini nostri Iesu Christi pater glorię det tibi, quod Apostol⁹ Ephesijs precatur, quos metuebat, vt in actis Apostolorū dixit, à peruersis, & nouis magistris, quos lupos non parcentes gregi vocat, sedu-

cendos esse, quod iam tibi accidit; det, inquam, quod illis precatur, spiritum sapientiæ, & reuelationis in agnitione eius, illuminatos oculos cordis tui; vt scias, quæ sit spes vocationis eius, & quę diuitię glorię hęreditatis eius in sanctis. Quia vero modus voluminis non patitur, vt plura hic scribam, proximo deinceps, vt quod in proœmio sum pollicitus, exequar, locos scripturæ sanctæ varios tum nouæ, tum veteris de sancta Eucharistia contra eundem Volanum, & omnes Metonymicos Caluini discipulos adiuuante Dei gratia proferam, & excutiam.

FINIS PRIMI TRACTATVS.



FRANCISCI TVRRIANI SOCIET. IESV,

DE SANCTISSIMA EVCHARISTIA ALTER TRACTATVS

AD ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D. GEORGIVM RADIBILIVM POLONVM.

Quomodo fidem summi miraculi, quod in sancta Eucharistia fit, dominus in vetere testamento contra hæreticos, qui illud negãt, præmunierit; et cur omnia in figura veteribus contingebant; & eorum exempla varia: & quare facturus sermonẽ dominus in euangelio Ioannis de mysterio Eucharistiæ semel & iterũ de Manna vetere meminit; & de comparatione eorum quæ à Moyse scripta sunt de Manna, cum S. Eucharistia; et quomodo lex euangelica habet secundũ Apostolũ ipsam imaginem bonorũ præsentiũ, vt habebat lex vetus vmbrã futurorũ. CAP. I.



ETsi satis superiore tractatu metonymiam Volani & omniũ Caluinistarum confutasse videmur, tamen quia nulla hæresis capitalior est, & semel cœpi opem pro virili parte Polonis ferre, quibus nostræ Societatis Patres in studio & prædicatione catholicæ doctrinę desudant, & elaborant, persequar adhuc pestem istam altero tractatu, quẽ ad te, Illustriss. & Reuerendiss. D. Radibili, ideo mitto, quòd visus sum debere tum pro tua virtute, & cum Reuerendiss. D. Valeriano coniunctione, tum pro nostræ societatis amore, studio, & pietate scri-

bere etiam ad te.Incipiā vero inde, vnde pestis ista omne miraculum alienū à S. Eucharistia esse affirmat. sic enim
„ ait Petrus Martyr, omne miraculum vel ratione vel expe-
„ rientia sentitur, vel scripturæ apertis verbis probari po-
„ test: At, hic, inquit, nihil horum miraculorum, quę con-
„ fingunt, sentitur,ergo frustra à miraculis opem implorāt.
„ Et rursus alio loco. Multiplicare miracula absque scriptu
„ ræ sanctæ testimonio, non est, inquit, theologicum. Magno itaque studio Petrus Martyr, & qui eum sequuntur, miracula in mysterijs sanctissimæ Eucharistiæ negant; quæ tanquam grauissima iacula torqueri sentiunt, quibus argumenta eorum à naturæ legibus petita, quibus maxime confidūt spōte cedere necesse est. Videamus igitur prius, an huius summi miraculi, quod in hoc magno sacramen to fit, fidem scriptura sancta quod isti negant, præfulcierit, istorum pręuidens incredulitatem, recitemusq; ante omnia, quę accommodate ad hunc locum Basilius Seleuciæ, auctor grauissimus & eruditissimus, tempore Synodi Chalcedonensis in homilia de Iona scripsit, causam expli
„ cans cur omnia in figura Hebręis, sicut Apostolus ait, con
„ tingebant; interpretemur latine. Solitus est, inquit, à prin-
„ cipio Deus adumbrare tanquam in vetere imagine noua
„ gratię opera. etenim quia quæ superant leges naturæ, au-
„ ribus & oculis hominum incredibilia sunt, idcirco Deus
„ imagines miraculorum prius tāquam fundamentū iecit,
„ vt homines spectaculum illorum mirabilium in ipsis illis
„ imaginibus pręmeditati, & tenues eorum vmbras in con-
„ templatione rerum vsitata, ceu in speculo prospicientes,
„ illa postea, quæ naturæ antecellunt credere possent. sicuti
„ pictores prius species ac formas adumbrant, quàm colori
„ bus exprimant; vt verbi causa, quia erat passio Christi fu-
„ tura hominibus gloriosa ac salutaris, prius in typo mira-
„ cula delineauit, in Abraam scilicet, & in Isaac, qui patri
„ in ea re cooperatus est. Rursus quia futurum erat, vt Virgo
„ pareret, ne dicerent homines incredibilem esse Virginis
„ partum, prius steriles miraculum præmeditātur; & Sarra

Ex Basilio Seleucię, cur omnia in figura Hebręis cōtingebāt

anus

„ anus iam ſterilis,in partu ſuo,fidem Virginis partui pepe„ rit.Erat prętere a ſanguis Christi ſalutem mortalibus alla„ turus, & ne rei nouitas incredibilis eſſet, ſanguis agni ia„ nuis illitus, fecit vt foris maneret interfector, & angelus „ morte armatus, viſo ſanguine in fugã compelleretur. Ad „ hæc,quia dandus erat hominibus baptiſmus,qui promit„ teret mortis tranſitum,& vitę reditum, prius mare ſubſer„ uit typo;& virga percuſſum,pedibus peruium efficitur,vn„ de Paulus, omnes, inquit, mare tranſierunt, & omnes in „ Moyſe baptizati ſunt:baptiſmum vocat viam maris, erat „ enim figura mortis per aquam impletæ.Deinde quia erat „ ſepultura Christi mortuos liberatura,& futura mors inte„ ritus mortis, ac paſſio paſſionum medicina; ne tu Iudæe „ non credas, & miraculũ calumnieris,vide tuum Moyſem, „ qui huius rei imaginem in æreo ſerpẽte adumbrauit. ſer„ pens mordebat, & ſerpens ſanabat. Sicut Moyſes, inquit, „ exaltauit ſerpentem, & quæ ſequuntur. Erat etiam Chri„ ſtus mortuos à mortuis excitaturus.canet enim,inquit, tu„ ba, & mortui reſurgent:at quia tu Iudæe, non credis Pau„ lo apoſtolo, idcirco anteceſſit Elias, qui primus mortuũ „ ad vitam reuocauit: item Enoch remanſit extra ſagenam „ mortis: & Elias non ceſſit legibus naturæ, omnia enim in „ figura contingebant illis. Denique quia erat Christus gẽ„ tes linguis piſcaturus;cõcluſuruſque in ſagenam, & orbẽ „ impietate implicatum ad ſe aggregaturus, erat autẽ Pro„ phetis incredibile adducendas eſſe gentes ad pietatẽ ac „ verum cultum Dei,factis ipſis ſuadet hoc Deus non credẽ„ tibus. idcirco Ionam ad Niniuitas mittit, docens Prophe„ tas, quanto ſint gentes magis gratię, quàm Iudæi, de ſalu„ te:quanto item gentiles ad capiendam fidem feruidiores „ quàm Iſraëlitæ. Hæc Baſilius Seleuciæ,ſcribens de Iona typo Christi, qui gentes ad fidẽ & Dei culturam vocaturus erat. quę ipſe etiã de obſtupendo ſanctiſſimæ Euchariſtię miraculo ſcribens, ad ſuadendum hæreticis fidem eius, accommodatiſſima eſſe exiſtimaui. Ex his enim exemplis intelligere poſſunt, ſi tamen credere volunt, quare domi- Varia ſcripturę veteris exẽpla, in quibus futurorũ myſteriorum veritas adumbrata erat, & eorum fides præfulciebatur.

nus

nus facturus sermonē de mysterio corporis & sanguinis
sui,& quidem multū, de Manna veteris populi Israëlitici
semel & iterum in eodem sermone commemorauerit;cō-
memorauit scilicet, vt in illud intuentibus non iam incre
dibilia viderentur,quę postea tēpore suo in.S. Eucharistia
futura erant. siquidem hoc solitus esset Deus facere in cæ-
teris, quę incredibilia etiam fore videbantur. Ergo quia
futurum erat, vt litigarent Iudęi adinuicem,sicut Euange
lium ait, dicentes, quomodo potest hic nobis dare carnē
suam ad manducandum?ne te hæretice moueret illorum
quęstio, & ne illorum ignorantiam & incredulitatem ad
argumentū contra veritatē carnis Christi raperes, in Man-
na typo & figura. S. Eucharistię antegressa est similis quæ-
» stio.cum enim dominus dixisset, Ecce ego pluā vobis pa-
» nes de cęlo. & iterum, mane saturabimini panibus, vidis-
» sentque mane filij Israel Manna, dixerunt, inquit scriptu-
» ra,ad inuicem,Man hu,quod significat,quid est hoc?igno-
» rabant enim inquit, quid esset. perinde itaque erat, quasi
dicerent, quomodo potest esse hoc, quod videmus,panis?
non enim erat frumentum, sed vt ait scriptura,minutum,
» & quasi pilo tusum ad similitudinem pruinę super terrā.
» quibus ait Moyses,Iste est panis,quem dominus dedit vo-
» bis; quod si illi,qui ad inuicē dixerunt,quid est hoc? Moy-
si dicenti esse panem, quem dominus dedisset, sicut se da-
turum esse dixerat, quamuis frumentum non viderent,
neque panes fecissent, neque gustassent,tamē crediderūt;
quanto magis tu hęretice, Christo dicenti, hoc est corpus
meū. &, nisi mādu caueritis carnem filij hominis, & bibe-
ritis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis, et si
carnem non vides, tamen credere debes? ne igitur hęreti-
cus diceret, etsi articuli fidei sint supra sensus externos, ta
men nō sunt contrarij sensibus externis, vt Petrus Martyr
in obiect. 63. dixit, ideo enim negat transubstantiationē,
» quia oculi,inquit,dicunt se videre panem & vinum,nares
» olfacere panem & vinum,& sic de reliquis sensibus:igitur
» doctrina transubstantiationis non est articulus fidei; ne
hoc

Quare dominus antequā de mysterio. S. Eucharistię in euāgelio Ioan. dissereret, bis de Manna Israëlitici populi commemorauit.

Quare Petrus Martyr neget transubstantiationem.

hoc inquam hęreticus diceret, ſed potius contra teſtimonium ſenſus Deo crederet affirmanti, delineauit prius miraculum huius myſterij in vmbra & figura eius. vt enim dixi, panem promiſerat Deus, & panem expectabant Iſraëlitę: quod autem viderunt datum de cęlo, non erat frumẽtum, vt quidem dare ęque facile potuiſſet; & cũ ſenſus reclamarent, & dicerent, quid hoc? quia ignorabant quid eſſet, videbant enim non eſſe frumentum, vnde panis vſitatus ac communis fieri ſolet, continuo tamen vt Moyſes dixit, Iſte eſt panis, quem dominus dedit vobis ad veſcen-
„ dum, antequã coquerent, & tortulas ex eo facerent, quaſi
„ ſaporis panis oleati, vt eſt in libro Numerorum, acquieuerunt verbis eius, & crediderũt panem eſſe, qui ex eo quod apparuit minutum, vt coriandrum album, inſtar pruinę ſuper terram, faciendus erat. fidem itaque Moyſi, contra oculos teſtes filij Iſrael adhibuerunt, vt Euangelici Iſraëlitę Chriſto Moyſis domino multo magis crederent contra ſenſum oculorum, & guſtus ac tactus dicenti, hoc eſt corpus meum. Præterea etiam quia futurum erat, vt Chriſtus totus eſſet in ſacramento ſub ſpecie panis, & ſub quauis minima parte, & idem ac totus ſub ſpecie vini; neque tamen plus eſſet ſub vtraque ſpecie, quàm ſub vna: nec in maiore parte ſpeciei aut partibus, quàm in minutiſſima, ne hoc incredibile videretur, & ne hæreticus diceret, vt Petrus Martyr iam dixit in obiectione 77. hoc eſſe ſpoliare Chriſtum quantitate ſua, & corpus eius quantum in paruo pane concludere; & ne alij fraudari ſe corpore Chriſti impie quererentur, quia nõ traderetur eis communio ſub vtraque ſpecie, prius hæc miracula in Manna, tanquam in vmbra & figura futuri ſacramẽti, præmeditatus eſt Deus.
„ Sic enim ſcriptum eſt, & collegerunt alius plus, alius mi-
„ nus, & menſi ſunt ad menſuram gomor: neque qui plus
„ collegerat, habuit amplius: neque qui minus parauerat, reperit minus. ſiue enim quis multo cibo indigeret, ſiue paruo, diuinitus fiebat, vt vna eſſet illa & eadem menſura vnicuique æqualis; vt neque deficeret Miloni; neque ſupereſſet

Quomodo deus miraculũ. S. Euchariſtiæ, quod hęretici negant, in Mãna tanquam in umbra delineauit, ut fidẽ eius non credẽtibus ſuaderet.

Quæ Petrus Martyr in Euchariſtiam obijcit.

resset ἀρχομένῳ τῶν γυμναστῶν vt aliquid ex Philoſopho mutuemur, id eſt, tyroni ac rudi athletæ. Vnde merito Ioſephus θεῖον καὶ παράδοξον βρῶμα vocauit, id eſt, cibum diuinũ & admirabile, vt iam Iudæus & ab Euangelio alienus, plus vmbræ futuri ſacramenti (etſi ille vmbram eſſe tanti myſterij ignorauit) tribuiſſe reperiatur, quã Caluinus, aut Petrus Martyr, & reliqui eius ſectæ ipſi magno Eucharistiæ ſacramento tribuunt. ille enim Ioſephus diuinum miraculum in illo pane eſſe & agnouit, & confeſſus eſt, & virtutem diuinam illi pani impartitam: iſti vero nihil plus miraculi in ſacramento myſtici panis, quàm in quouis alio cibo per verbum Dei & orationem, ad comedendum ſanctificato, agnoſcunt; neq; confitentur, prҫter mutationem quandam ſacramentalem, quam ipſi loco tranſubſtantiationis commenti ſunt; qua mutatione ſacramentali fieri aiunt ſacramenta ad ſignificandum efficaciter, ad offerendum & exhibendum animis & fidei noſtræ per vim ſpiritus ſancti corpus & ſanguinem domini.

Quomodo plus miraculi, & diuinitatis Ioſephus Iudæus Mannę tribuerit, quam Caluinus, & Petrus Martyr, q Chriſtum cognouerunt ſacraméto ſanctiſſ. Euchariſtię tribuerit.

Regulæ Petri Martyris Satanicæ.

hęc enim eſt regula quinta Petri Martyris, qui in alia regula Satanica tradit, fidem tantę eſſe efficacię, vt res prҫſentes faciat non quidem realiter, aut eſſentialiter, ſed ſpiritualiter. atq; hoc pacto, inquit, veteres eundem Chri-
» ſtum habuerunt in ſacramẽtis, quo & nos fruimur. ſi hoc
» pacto, id eſt, ſecundum efficaciam fidei Chriſtum prҫſentem ſpiritualiter in ſuis ſacramentis veteres habuerunt, vt nos habemus, quomodo verum erit, quod Apoſtolus
» ait, vmbram habebat lex futurorũ bonorum, non ipſam
» imaginem rerum? non enim dixit prҫſentium ſed futurorum, nec enim habebant bona prҫſentia ſpiritualiter, quamuis haberent eundem ſpiritum fidei quem nos, ſed vmbram tantum futurorum bonorum: lex vero Euangelica habet ipſam imaginem rerum, id eſt, habet in ſacramentis ſuis ſub ſignis & imaginibus res ipſas ſpirituales vere prҫſentes, vt in ſacramento ablutionis ſacrę, id eſt, in Baptiſmo, cum ſit, habet prҫſentem cum ablutione corporis aſperſionem cordis à conſcientia mala, ſicut Apoſtolus

Quomodo lex euangelica habeat ſecundum Apoſtolũ ipſam imaginẽ rerũ.

ſtolus ait. Habet inquam pręſentem regenerationem nouę creaturę, iuxta verbum domini, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto non intrabit in regnum cęlorum. huiuſmodi vero emundationis conſcientię,& ablutionis corporis vſq; ad aſperſionem cordis pertingentis non pręſentiam ſpiritualem, ſed vmbram futurę rei tantum, veteres in ſuis baptiſmatibus, & aſperſionibus habebant. Item in ſacramento Euchariſtię habet lex Euangelica ipſam imaginem rei pręſentis, id eſt, rem ipſam pręſentem ſub imagine iuxta verbum domini, qui dixit, Hoc eſt corpus meum, & non dixit: Hæc eſt externa adiunctio, ſiue exhibitio corporis mei in ſpiritu tantum per fidem: & qui dixit; Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis; & non dixit, niſi manducaueritis ſpiritu tantum,& nō etiam ore. Sic etiam non habebant veteres in Manna vmbratico & figura futuri Chriſtum pręſentem; ne mentiatur ſecundum iſtos Apoſtolus, qui non vmbram pręſentium bonorum,ſed futurorum in lege eſſe dixit. quare relinquitur, vt lex Euangelij, re ipſa & veritate pręſentem illum habeat in ſuo ſacramēto; quia dominus dixit, Hoc eſt corpus meum, & non dixit, hoc ſignificat pręſens eſſe per efficaciam fidei corpus meum. Habet inquam corpus Chriſti reipſa in ſacramento panis myſtici pręſens, & quidem ęque in ſingulis partibus, ſiue paruis ſiue magnis,ſiue vtriuſq; ſiue alterius ſpeciei, idque operatione virtutis „ Dei,cui ſubeſt,vt ait Sapiētia,cū voluerit,poſſe. id eſt, cui⁹ voluntas eſt potentia. ipſe enim fecit quęcunq; voluit in cęlo & in terra, ſicut in vetere Manna. eiuſdem enim virtutis diuinę fuit, facere tunc, vt ſiue corpus magnū & robuſtum eſſet, ac copioſo pane egēs; ſiue paruum & tenue indigens paruo, vna menſura gomor ęqualiter ſufficeret, vt neq; alteri deeſſet, nec alteri redundaret. Ad hæc,quia hic panis, qui myſtica benedictione conſecratus, & caro Chriſti viuifica factus, daturus erat αὐτόθεν, id eſt, ex ſeipſo ac per ſe vitam manducanti, vt in quo eſſet ipſa vi-

et quomodo lex uetus non umbrā præſentium bonorū, ut facit Petrus Martyr, ſed futurorum, ut Apoſtolus tradit, habebant.

ta, sicut dominus dixit, qui manducat hunc panẽ, viuet in æternum, ne tu Iudæe, aut Hæretice, non crederes domino Iesu hoc affirmanti, fecit Deus, vt Manna in diem collectũ putrescere non posset, tanquam esset virtute Dei incorruptibile; licet cum Sol incaluisset, liquefieret, sicut ait scriptura; cum tamen in posterum diem contra præceptum Moysis relictum computresceret, amissa virtute diuina, & vermibus scateret. fecit item, vt Manna cibo alioqui leui & infirmo sine frumento quadraginta annis in deserto filij Israël viuerẽt, hæc inquam mirabilia fecit prius in vmbra & figura, vt homines sub nouo testamento, nisi Iudæi aut hæretici esse vellent, multo maiora adhuc in reipsa & veritate crederent. atque illa quidem Moysi narrãti credimus: hic autem Christo dicenti de carne sua, quam daturus erat ad manducandum sub specie panis, sicut postea accepto in manus pane dixit, Hoc est corpus meum, credimus inquam, dicenti de carne sua cum verbo vnita, » hic est panis, qui de cælo descendit, non sicut manducauerunt patres vestri Manna, & mortui sunt: qui manducat » hunc panem, viuet in æternum. nunquam hoc loco dominus Iesus de Mãna illo meminisset, nisi miraculum in Mãna factum ad credendum aliud maius, quod de pane viuifico, quem daturus erat, promittebat, pertinere voluisset. ideo enim illis panibus natura sua infirmis, quos voluntate sua pluit de cælo; vnde Dauid pluuiam voluntariam appellauit, tantam virtutem supra naturam indidit, vt tãquã firmi & perfecti filios Israël tot annis in deserto alere possent, sicut scriptum est, in eodem Psalmo de illa panũ voluntaria pluuia; infirmata est tu vero perfecisti eã, vt cum aliud maius miraculum & alium cibum perfectiorẽ sub infirmissima & inani siue vacua specie panis promitteret, fidem promittẽti Christo haberemus. perfectiorem dico cibum, qui non vitam 40. annorum tantũ præstaret, & postea moriendum esset, vt in Manna contigit; sed vitam immortalem, quia scilicet in ipso est vita non per fidem, sedper naturam. quod quidem qui non credit, is pro-

Quare fecit Deus, ut Mãna in diem collectũ putrescere non posset, & cũ esset alioqui cibus leuissimus, posset tamen alere filios Israel in deserto annis XXXX.

Qui ea, quæ dominus de sacramento corporis sui tradit, non credunt, & miraculũ in eo negant, nec ea quæ de Manna scriptura tradit credunt: neque miraculũ in eo agnoscunt ullũ.

is profectò neque illud de Manna credere videtur.

Quare in psal. 77. vocatum sit Manna panis angelorum; & quomodo hoc ad S. Eucharistiam spectaret; & descensu angelorũ de ad ecclesiam cũ sacrificium Missæ fit: & quomodo eiusmodi descensus Metonymicos redarguat. item de mirabilibus in libro Sapientiæ in Manna propter. S. Eucharistiam notatis.

CAP. II.

SEd videamus hic quare Manna Psalmus 77. panẽ angelorum vocauerit, an hoc etiam ad Eucharistiã pertineret. sic enim ait, Et mandauit nubibus desuper, & ianuas cæli aperuit, & pluit illis Mãna ad mãducandũ, & panem cæli dedit eis; panem angelorum manducabit homo. panem scilicet angelorum dicit, id est, ministerio Angelorum datum, quos prius in ænigmate vocauit nubes, quibus mandatum dedit, vt è sublimi instar nubium stillãtium plueret Manna. Interrogemus ergo hæreticos, qui corpus Christi in sacramento esse negant, cur Deus Manna vmbram futuri tanto honore dignatus est, vt angelicas potestates administras eius esse, & ex eo panẽ angelorum vocari voluerit? Voluit scilicet, vt tu Hęretice, aut Iudæe, cum audires angelos innummerabiles in Ecclesiã descendere, cum sacramentum corporis Christi celebratur, & panem Angelorum in Ecclesia dici; ne contradiceres, aut dubitares; immo inde dominum glorię & regem Angelorum ibi corpore suo pręsentem esse iudicares. Audi quid S. Nilus monachus B. Chrysostomi discipulus ad Anastasium Episcopum de B. Chrysostomo scripserit. sæpe, inquit, vidit, vt valde διορατικὸς fere omni tempore in Ecclesia angelos, sed maxime tempore sacrificij Missæ. itaque admiratione & lætitia plenus amicis multum spiritualibus seorsum narrabat, quemadmodum cum sacerdos oblationem sanctã facere inciperet, plurimi angeli è cælo delapsi, splendidissimis stolis induti, nudo pede, aspectu intento, vultu demisso, circunstãtes altare, magna reuerentia & quiete, ac silentio, vsque ad mysterij cõsummatio-

Quare scriptura Manna vocat panem angelorum.

De descensu angelorũ tempore oblationis.

mationem aſſiſtunt: deinde diſcurrentes huc atque illuc per totam eccleſiam, Τοῖς ἐπισκόποις καὶ πρεσβυτέροις τὴν χορηγίαν ποιουμένοις τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος συνεργοῦντες συγκρατῦσι καὶ συνεπισχύουσι, id eſt, Epiſcopos ac presbyteros, qui corpus & ſanguinem diſtribuunt, adiuuant, & corroborant. Deinde ſubiungit, Ταῦτα γράφω ἵνα συνιέντες τὸ φοβερὸν τῆς λειτουργίας μήτε αὐτοὶ διατεθῆτε ἀμελοῦντες τοῦ θείου φόβου διαχεόμενοι, μήτε δὲ ἄλλους τινὰς συγχωρῆτε ὁμιλεῖν ἢ ψιθυρίζειν ἐπὶ τῆς προσκομιδῆς, μήτε νεύειν θρασυλέως ἢ παρασαλεύεσθαι τῆς ἐμβριθοῦς στάσεως, μὴ δὲ ὧδε κἀκεῖσε περιβλέπεσθαι ἢ ῥεμβεύεσθαι ῥαθύμως καὶ χυδαίως. Hæc inquit ſcribo, vt intelligentes, quanti tremoris ſit diuina Miſſa, nec ipſi remiſſi, timorem Dei negligatis; nec vllos alios loqui, aut muſſitare tempore oblationis, neque innuere audacter, aut à ſtatu grauitatis dimoueri: nec huc atq; illuc circunſpicere, aut ignaue & diſperſe vagari permittatis. Dicit enim dominus Moyſi, ac per eum omnibus ſacerdotibus, facite filios Iſraël reuerentes, & non contemptores. Hactenus S. Nilus. Viderit Petrus Martyr vtrum aliquam ex regulis ſuis poſſit huc accommodare ad interpretandum ſecundum diſciplinam ſectæ ſuæ iſtã corporis & ſanguinis domini tanta reuerentia & tremore aſſiſtentibus angelis diſtributionem. Si vt Zuingliani, & Caluiniani tradunt, corpus & ſanguis tam longe remota ſunt à ſacramento, quàm eſt cęlum & terra; quid agit tot angelorum tempore oblationis deſcenſus? quid illud aſtare oculis intentis, vultu demiſſo, tanto ſilentio, ac reuerentia? ſi non eſt ibi niſi ſignum corporis & ſanguinis Chriſti, & eiuſmodi ſigni, id eſt, ſacramenti tantummodo corpus & ſanguinem Chriſti ſignificantis, & non continentis diſtributio fit; & per efficaciam fidei fit, vt corpus Chriſti extra ſacramentum ſpiritu tantum ſumatur, quid opus eſt, vt angeli è cælo, vbi corpus Chriſti eſt, ad Eccleſiam vbi nõ eſt, deſcendant? Huc pertinet etiam quod Apoſtolus in priore epiſt. ad Corinthios ait, cum præcipit mulieribus orare in Eccleſia operto capite tanquam ſubiectas viris ſuis,

Quomodo qui Chriſtum à ſacram to excludunt, & cælo includunt, inanem faciũt deſcenſum angelorum ad eccleſiam tempore oblationis.

ſuis, propter angelos, qui ſcilicet teſtes fuerunt ſubiectionis earũ à Deo ſancitæ, cum facta eſt mulier ex viro, quod angeli viderunt. Ex quo etiam intelligimus tunc maxime angelos ad Eccleſiam deſcendere, cum ad synaxin, id eſt, ad ſacram corporis & ſanguinis communionem in Eccleſia conueniendum eſt. De eiuſmodi enim cõuentu ad ſynaxin loquitur ibi Paulus, vbi iam Corinthiis, quod à domino Ieſu de ſacramento corporis & ſanguinis ſui à ſanctis Apoſtolis traditum erat, non ritè ſeruabant; quod idẽ Apoſtolus acriter reprehendit. quid ergo, dicam iterum, opus eſt, tunc præcipue in Eccleſia illo angelico comitatu, & ſtipatoribus ex cæleſtium virtutum ordinibus, ſi ibi non eſt corpus Regis angelorum & hominum adfuturũ? dictus quidem eſt ille Iſraeliticus panis angelorum propter miniſterium, vt dixi angelorum: hic vero myſticus Eccleſiæ panis, (de quo in quodam Hymno Eccleſia canit, Ecce panis angelorum, factus cibus viatorum) panis angelorum dicitur, non ſolum propter miniſterium, quo angeli Epiſcopos & ſacerdotes conſecrãtes & diſtribuentes adiuuant; (vt paulo ante ex S. Nilo & Chryſoſtomo audiuimus) ſed quia eum participant, licet non ſicut nos, operte, & ſub ſpecie panis, ac vini, quod naturæ noſtræ mortali conuenit, ſed reuelata facie. participatio enim Chriſti, quæ nobis συμβολικῶς παραδέδοται, vt Dionyſius in cæleſti Hierarch. cap. 1. ait, id eſt, in ſacramento S. Euchariſtiæ tradita eſt; angelis, inquit, tradita eſt ὑπερκοσμίως, „ id eſt, ſupra naturam huius mundi; ſine ſymbolis inquam. Hæc ergo, quæ hactenus diximus in Manna illo mirabilia, prouiſa ſunt à Deo, vt Iudæi & Hæretici, quod ſæpe dixi, cum illa contemplarentur, mirabilibus noſtri ſacramenti fidem adhiberent. Ac rurſus, ne hæreticorũ & Iudæorum in Deum ſuper S. Euchariſtia, murmurationes te Catholice mouerent, permiſit vt ſuper Manna cibo alioqui à Deo dato, & ita firmo facto, vt filios Iſrael tot annos alere poſſet, in Deum tamen, & in Moyſem murmurarent, cum aiebant, Anima noſtra iam nauſeat ſuper cibo

Quare panis myſticus panis angelorum dicitur.

Participatio corporis Chriſti angelis tradita ſine ſymbolis.

Miracula in Manna prouiſa ad præmuniendam fidem miraculorũ in ſacramento S. Euchariſtiæ.

Murmurationes Iudæorum

in Manna, quē cibum leuissimum uocabāt, quorsum permissu dei spectarent.

bo isto leuissimo. 70. interpretes διάκενον id est, inanem & vacuum dixerūt. sic enim Zuingliani & Caluiniani sacramentum. S. Eucharistiæ, quod nostræ Ecclesiæ habent, nihil esse dicunt, præterquam panem, cum tamen in eo sit vita ipsa omnis vitę fons. & sicut illi Israëlitę tunc ab illa in principio quęstione, quid est hoc? progressi sunt ad dicendum cum nausea cibum leuissimum, siue inanem esse, sic isti à Iudaica illa quæstione; quomodo potest hic dare nobis carnem suam ad manducandum eò euaserunt, vt profiterentur panem tantum esse S. Eucharistiam, quæ est alioqui panis viuus. Alia prętere mirabilia in libro Sapientię Salomonis de Manna notata sunt, & ad vtilitatē
» nostram scripta; vt illud, omne delectamentum in se ha-
» buisse; & omnis saporis suauitatem. substantia enim, in-
» quit, tuā dulcedinem tuā in filios ostendebat & deseruiēs
» vniuscuiusque voluntati, ad quod quisq; volebat, conuer
» tebatur. Conferamus ergo etiam hæc mirabilia cum ijs quæ in sancta Eucharistia longe admirabiliora sunt, si qui dē vt facilius crederentur, prius in illo vetere Manna adūbrata fuerunt.

Mirabilia notata in libro Sapientię de Manna collata cum mirabilibus de sacramento Eucharistiæ.

quia enim hæc esca omni voluptate spirituali digne manducantem afficit, vt vnicuique conuenit secundum donum proprium, quod habet à Deo, id est, secundum fructum, quem quisque in sua vocatione à Deo affert (hoc enim vocat Apostolus proprium cuiusque donum B. Athanasio interprete) idcirco data fuit illi veteri populo esca ad omnem gustum accommodata, sicut ait Sapientia, & omnem in se delectationem habens. Deinde quia ostēsurus erat Christus summam erga suos delectionem dando eis magnificum donū, quod Dionys. vocat μεγαλοδώρους χάριτας (nullum enim donum, neque gratia vlla maior esse potest, quàm ea, quæ ex se tribuit vitā ęternam, id est, sancta Eucharistia) idcirco in illo vetere panē e cælo, id est, in Manna ostendit Deus suā erga filios dul-
» cedinem; sicut scriptum est, cum ait, substantia enim tua
» dulcedinē in filios ostendebat. quia enim nihil est in hac vita, quod magis appetant homines, quàm viuere, dando

filijs

filijs Israël panem è cælo, hoc est Manna, ad alendũ eos, suam erga eos dilectionem ostendit; seque illis amicum dulcem, & suauem præbuit. si quidem quod illi maxime desiderabant, & magnopere commodum eis erat, exhibuit; qui postea exhibiturus erat per Christum panem verum, de quo in Euangelio Ioannis dixit, panis verus est, qui de cælo descendit, & dat vitam mundo; & dixerunt ad eum, domine, semper da nobis panem hunc, immo ipse docuit, panẽ hunc quotidie petere, & de summa eius dilectione in huius panis viui ac cælestis dono ostensa, dixit B. Ioannes Euangelista, vt in superiore tractatu explicauimus, cum dilexisset suos, qui in hoc mundo erant, in finem dilexit eos. Ad hęc, quia hic panis viuus & mysticus, vt quisq; vult, ita ei vel vita, vel mors efficitur, sicut Apost. „ ait, probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, „ & de calice bibat: qui enim manducat & bibit indigne, iu„ dicium sibi manducat & bibit nõ diiudicans corpus do„ mini, vt hoc postea facilius crederetur, fecit prius Deus in illo Manna, vt sicut scriptum est in eadem Sapientia Salomonis, seruiens vniuscuiusq; voluntati, in quodcunque quis vellet, transmutaretur, scilicet in saporem etiã porri, cepe, & allij, pro quibus in deserto suspirabant, quæ quidem interdum mortifera esse solent comedenti. Age ergo, si is, qui indigne sumit sacramentum corporis & sanguinis, nihil sumit, quod sibi sit mortiferum, pręterquam signum, quomodo huc pertinere potest illa trãsmutatio Mannæ in saporem porri, aut allij aliquando ęgroto & infirmo mortiferi? si enim pertinebat, oportebat, vt quod illic in figura, & vmbra fiebat, vere fieret hic in re illius figuræ, & in corpore illius vmbræ. res autem & corpus illius typi & vmbrę veteris non est, quod est signum tantũ, vt hæretici facere, & dicere coguntur: quare relinquitur, vt sit verum Manna, id est, verum in sacramento Christi corpus, quod vita quidem est bonis; mors vero malis. vt iam paris sumptionis, dispar sit exitus, vt est in Ecclesiastico Hymno. Hinc B. Chrysostomus in homilia de tradi-
tione

,, tione mysteriorũ & obliuiscendis iniuriis, καθάπερ σώματι
,, καὶ τροφὴ ὅταν εἰς γαστέρα χυμοὺς ἔχουσαν πονηροὺς ἐμπέσῃ πλεῖον ἐπι-
,, τείνει τὴν ἀῤῥωστίαν οὐ παρὰ τὴν οἰκείαν φύσιν, ἀλλὰ παρὰ τὴν ἀσθέ-
,, νειαν τῆς γαστρὸς, οὕτω δὴ καὶ ἐπὶ τῶν μυστηρίων τῶν πνευματικῶν συμ-
,, βαίνειν εἴωθεν. καὶ γὰρ καὶ ταῦτα ἐπειδ᾽ ἂν εἰς διάνοιαν ἐμπέσῃ πονη-
,, ρίας γέμουσαν μᾶλλον αὐτὴν διαφθείρει καὶ ἀπόλλυσιν οὐ παρὰ τὴν
,, οἰκείαν φύσιν ἀλλὰ παρὰ τὴν ἀσθένειαν τῆς δεξαμένης ψυχῆς. vt
,, inquit, esca, qua vtitur corpus, cum in ventrem humores
,, habentem corruptos deijcitur, inualetudinem auget, nõ
,, quidem natura sua, sed vitio ventris: sic sane in sacramen-
,, tis spiritualibus euenire solet. hæc enim cum in mentem
,, alicuius prauam inciderint, eam potius vitiant, & perdũt,
,, non naturæ suæ vi, sed vitio animę, quæ illa accepit? Vnde
,, subiungit. Nemo igitur intus retineat prauas cogitatio-
,, nes, quinimmo repurgemus cor, καὶ καθαρᾷ προσερχόμε-
,, θα θυσίᾳ, ἁγίαν ποιήσωμεν τὴν ψυχήν, id est, ad sacrificiũ pu-
,, rum accedamus, reddamus sanctam animam. Hactenus
,, de Manna illo mirabili collato cum admirabili sacra-
,, mento Eucharistiæ, cuius vmbra & figura fuit.

Quomodo quod scriptum est in euang. Lucæ, desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum, de Pascha mystico corporis Christi in sacramento dictum sit & de loco in epistolæ prioris ad Cor. Pascha nostrũ immolatus est Christus ad idem Pascha mysticum; pertinente; & qui sint auctores, qui sic intellexerint; & quomodo ex ipsis verbis, quibus vsus est Apost. elicitur de Pascha mystico dixisse, Pascha nostrum immolatus est Christus. CAP. III.

SEd differamus iam deinceps de locis scripturæ noui
,, testamenti contra istorum metonymiam, ac primum
,, de loco euangelij Lucæ, cum dominus dixit, desiderio
,, desideraui hoc pascha manducare vobiscum, antequam
patiar. An enim dicturi sunt Metonymici de Pascha agno
vetere locutum esse hic dominum? non puto, ne cum Mar
cione a Tertulliano rideantur, cum contra eum disputãs
,, ait, nimirum verucina illum Iudaica delectaret? an ipse
erat, qui tanquam ouis ad victimam adduci habens, & tã-
quam

,, quam ouis coram tondente, sic os non aperturus, figurã
,, sanguinis sui salutaris implere concupiscebat? & paulo-
,, post, professus itaque se concupiscentia concupisse edere
,, Pascha, vt suum, (indignum enim erat, vt quid alienum
,, concupisceret Deus) acceptum panem, & distributum di-
,, scipulis corpus suum illum fecit, Hoc est corpus meũ di-
,, cendo; idest, figuram corporis sui. panem, qui vt idẽ Ter-
tullianus contra eundem Marcionem probat, erat in le-
ge vetere figura corporis sui, dicit fecisse dominum cor-
pus suum, suumque Pascha, quod desiderio desiderabat
manducare cũ discipulis suis. itaq; non de typico Pascha,
in quo figura tantum erat, hoc dixit, desiderio desideraui
hoc Pascha manducare vobiscum, ante quam patiar; sed
poti⁹ de illo mystico Pascha, in quo veritas corporis Chri-
sti, quæ in Pascha typico, idest, agno vetere figurata, &
adumbrata fuerat, & salus nostra cõtinebatur; quam tan-
to desiderio desiderabat, vt pro ea mortem subire deside-
raret, & in ipsius mortis pro nobis subeundę commemo-
rationem hoc optabilissimum Pascha nobis in fine relin-
queret, in quo tota æternæ vitæ, & cælestis glorię adipiscẽ-
dæ fiducia, & spes nobis collocanda esset. sic quoq; Leon-
tius Ætholius in commentariis Lucæ hunc locum inter-
,, pretatur. Τοῦτο τὸ πάσχα ἐπιθυμῶ παραδοῦναι ἡμῖν τὰ καινὰ
,, πράγματα, καθὸ μέλλω πνευματικοὺς ποιεῖν, id est, hoc Pascha
,, vobis tradere desidero, nouas scilicet res, quatenus factu-
,, rus sum vos spirituales. Sed ne hæc Tertulliani & nostra,
immo sanctorum patrum interpretatio loci euangelici
eripi vllo modo à Caluinistis possit, astringenda est Pau-
li apostoli auctoritate, vt iam inde locos Pauli de sancta
Eucharistia contra Metonymicos scrutari incipiamus,

Quomodo Tertullianus locũ euangelij Lucæ de Pascha, quod dominus cum discipulis manducare desiderabat, intellexerit, & contra Marcionem interpretatus sit, quę interpretatio Metonymicos quoque refellit.

Paulus igitur cum Corinthios reprehẽderet, qui Incœstũ
illum non eiecerant ex Ecclesia, quin potius de eo gloria
bantur, tanquam magistrum, vt ait Theodoretus, habe-
,, rent peritissimum, postquam dixit, & vos inflati estis, & nõ
,, magis luctum habuistis? & paulo post, non est bona glo
,, riatio vestra; subiungit, nescitis, quòd modicum fermen-

Quomodo qđ dñs de cœna mystica dixit, desiderio desideraui hoc Pascha manducare uobiscũ, auctoritate Pauli confirmatur.

„ tum totam massam corrumpit? fermentum enim vocat inflationem & gloriationẽ illam malam; siquidem panis „ qui fermento caret, non intumescit. Vnde S. Nilus, diffi- „ cile,inquit est nõ inflari virtutibus egregijs, sed potius re- „ manere submissum, & vt ita dicam, azymũ. nec enim in- „ quit, azymum intumescit, aut inflatur igne. Vnde subiũ- „ git Apostolus, Expurgate igitur vetus fermentum, vt sitis noua conspersio. vetus fermentum vocat hic vitam veteris hominis nondum renouati per baptismum, ad quam pertinet omnis inflatio & inanis gloria: quam vitam deponere præcipit, vt fiant noua conspersio, id est, nouum fermentum gratiæ, sicut B. Ignatius hunc locum imitatus „ in epist. ad Magn. abijcite, inquit, malum vetus fermen „ tum, quod corrumpit, & putrefacit; & percipite nouum „ gratiæ fermentum. nouitatem vitæ intellexit, in qua oportet ambulare eos, qui baptizãtur. Vnde B. Syritius ad baptismum retulit hunc Apostoli locum in epist. 1 cap. 2. hortans enim ad baptizãdum in Pascha & Pentecoste, quate „ nus inquit, Apostolica illa impleatur præceptio, vt expur „ gato fermento veteri, noua incipiat esse conspersio. Ad- „ didit Apostolus, sicut estis azymi, quia baptizatos, quos azymos vocat, tanquam vetere vitio per baptismum liberatos decet incorruptę vitę nouitas. Deinde quia azymorum meminit, quibus Iudæi in Paschate vtebãtur, vt idem Theodoretus obseruauit, idcirco conuenienter, in „ quit, subiungit; etenim Pascha nostrum immolatus est „ Christus. Quomodo autem conuenienter azymis subiun- „ geret hoc Paulus, nisi loqueretur de Pascha, quod immo- „ lasset Christus, quodque ipse met Christus fuisset? agnus enim ille typicus immolatus quidem est à Christo, & discipulis ritu Iudaico, erat enim sacrificiũ, & sic scriptura Exodi appellat; non tamen erat ipse Christus, sed figura eius. neque Christus in eo immolabatur, nisi typice tanquam in vmbra. at Paulus hic Christũ dicit esse Pascha hoc, de quo loquitur, & ipsum Christũ esse Pascha hoc immolatum, quod nostrum appellat; quia non erat Iudaicum Pascha,

Quomodo q̃d Paulus dixit, etenim Pascha nostrũ immolatus est Christus, de Pascha mystico idest, de S Eucharistia accipi uoluit, & qui sint auctores. Theodoretus.

ſcha, vt illud vetus, quod erat agnus ex genere pecoris. Ita
etiam intellexit Titus Boſtrenus, cuius meminit B. Hiero- Titus Boſtrenus.
nymus in catalogo ſcriptorũ Eccleſiaſticorum. ſic enim
in commentarijs Lucæ Euangeliſtæ ait, explanans locum
„ illum, deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobi-
„ ſcum antequam patiar. οὐκ ἐξ ἀγέλης ἀμνὸς ἁγιάζει τοὺς ἐν
„ Χριστῷ, αὐτὸς δὲ μᾶλλον ἁγίως ἱερουργούμενος διὰ τῆς μυστικῆς εὐ-
„ λογίας καθ' ἣν εὐλογούμεθα, καὶ ζωοποιούμεθα. γέγονε γὰρ ἡμῖν ἄρ-
„ τος ζῶν ὁ ἐξ οὐρανοῦ καταβὰς, καὶ ζωὴν διδοὺς τῷ κόσμῳ. Non
„ agnus, inquit, ex grege ſanctificat eos, qui in Chriſto ſunt,
„ ſed ipſe potius Chriſtus ſancte immolatus per myſticam
„ benedictionem, in qua benedicimur & viuificamur: factus
„ eſt enim nobis panis viuus, qui de cælo deſcẽdit, & vitam
„ dat mundo. Sic etiã Origenes in homilia 6. in Ieſum Na- Origenes.
ue interpretatus eſt. ſic enim B. Hieronymo interprete lo-
quens de filijs Iſrael, qui in Galgalis circuncisi Paſcha ibi-
„ dem fecerunt, non enim, inquit, ante circunciſionem Pa-
„ ſcha facere poterant; neque ſtatim poſt circunciſionẽ car-
„ nes agni comederunt antequam ſanarentur; ſed poſtea
„ quam ſanati ſunt, dicitur, quia fecerunt Paſcha filij Iſrael
„ quartadecima die menſis. deinde interpretans allegorice,
& conferens circunciſionem & eſum agni cum baptiſmo
& Paſcha myſtico, de quo loquitur Apoſtolus, quod eſt S.
„ Euchariſtia, ſubiungit, Vides ergo quia nemo immundus
„ facit Paſcha, nemo incircunciſus, ſed quicunque mundus
„ fuerit & circunciſus, ſicut & Apoſtolus interpretatur di-
„ cens, etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. ete-
„ nim diem feſtum celebremus non in fermento veteri, nec
„ in fermẽto malitiæ & nequitiæ, ſed in azymis ſynceritatis
„ & veritatis. Hactenꝰ Origenes, & interpretatio Hieronymi
è Græco. Auctore igitur & interprete Origene, Paſcha no-
ſtrum, qđ immolatus eſt Chriſtus, vocauit hoc loco Apo-
ſtolus Paſcha myſticum, quod baptizati in Eccleſia come-
dunt; cuius figura erat Paſcha, quod Iſraelitę comederunt
in Galgalis poſt circunciſionem. Ad eandem ſententiam
Apoſtoli ſpectat, quod Iſidorus Peluſiota auctor inſigni Iſidorus Peluſiota.

ſanctitate vitæ, & illuſtri ſanctarum ſcripturarum ſtudio, & doctrina in epiſtola ad Nilum ſcribit. interpretãs enim cur Moyſes agnum aſſum comedere pręcepiſſet, vt adumbraret, inquit, typice ſacramentum ſcilicet incarnationis,
» in quo ignis diuinæ ſubſtantiæ cum carne vnitus eſt ἀφρά-
» στως, id eſt, modo inexplicabili; deinde ſubiungit, cum
» carne inquam τῇ νῦν παρ' ἡμῶν ἐσθιομένῃ, καὶ τὴν ἄφεσιν κα-
» κῶν ἐργαζομένῃ, cum carne inquam, quæ à nobis nunc
» comeditur, & remiſſionem peccatorum conficit. Ecce
» agno veteri aſſo ad epulandum, quod erat Paſcha Iudęo-
» rum, reſpondet interprete Iſidoro, tanquam typo, caro Chriſti, quæ ad epulum myſticum in Eccleſia nunc adhibetur; quod Paulus vocat Paſcha noſtrum, quod eſt Chriſtus, qui pro nobis myſtice immolatus eſt, vt syncere & munde epulemur. Idẽ Iſidorus in epiſt. etiam ad Ophelium Grammaticum explanans, quid in ænigmate ſignificaret ille ritus comedendi agnum feſtinanter. ſignifica-

Iſidorus Peluſiota.

„ bat, inquit, ὅτι χρὴ σπουδαῖον εἶναι τὸν τὸ θεῖον καὶ ἀληθὲς πάσχα
„ ἐσθίοντα, id eſt oportere eſſe virtutis ſtudioſum, qui diui-
„ num & verum Paſcha comederet. Hic quoque agno veteri, qui feſtinanter comedebatur, qui erat vetus Paſcha, reſpondere facit Paſcha diuinum & verum, quod non negligenter, ſed ſtudioſe & accurate comedendum eſt; & vt Paulus monet, pure ac syncere. Sic quoque B. Chryſoſtomus hunc locum Apoſtoli de Paſcha myſtico accepit. ſic enim in homilia de ieiunio primi Paſchæ ſcripſit, explanans locum illum, cum dixit, quotieſcunq; enim manducabitis panem hunc, κύριον, inquit, ἐποίησε τὸν προσιόντα

Chryſoſtomus.

" πάσης ἡμερῶν παρατηρήσεως ἀπαλλάξας αὐτὸν, id eſt, omni
" obſeruatione dierum liberauit accedentem relicta ei po-
" teſtate libera. Vnde paulo poſt, ſemel, inquit, fit Quadra-
" geſima in anno: Paſcha autem ter in hebdomada, & ali-
" quando quater, immo potius quotieſcunq; nos volueri-
" mus; Paſcha enim non eſt ieiuniũ, ἀλλὰ ἡ θυσία ἡ καθ' ἑκά-
" στην γινομένην σύναξιν, id eſt, ſed ſacrificium, quod fit in vnaquaque synaxe. Sic vocat conuentum Eccleſiaſticum ad

Miſſam,

Miſſam, quam vocamus. Deinde ſubiungit auctoritatem
„ Apoſtoli. ſicút, inquit, Apoſtolus, Paſcha noſtrum immo-
„ latus eſt Chriſtus. & paulo poſt. Eadem, inquit, eſt hæc
„ oblatio, quę à nobis fit, atq; illa, quæ facta eſt à Chriſto in
„ illo feſto. καὶ οὐδὲν ἐκείνη θυσία ταύτης σεμνοτέρα, οὐ δὲ αὕτη
„ ἐκείνης εὐτελεστέρα, ἀλλὰ μία, καὶ ἡ αὐτὴ ὁμοίως φρικτὴ καὶ σωτή-
„ ριος, id eſt, non illud ſacrificium venerabilius hoc, nec
„ hoc vilius illo; quin potius vnum & idem æque tremendũ
„ & ęque ſalutare. Idẽ rurſus Chryſoſtomus in homilia de traditione myſteriorum, & dę obliuione iniuriarum, affirmat ſacrificium, quod in altari fit quotidie, Chriſtum eſſe ibidem immolatum, θυσίᾳ προσέρχῃ φρικτῇ καὶ ἁγίᾳ, Chryſoſtomus
„ ἐσφαγιασμένος πρόκειται ὁ χριστὸς ad ſacrificium, inquit, tre-
„ mendum & ſanctum accedis, poſitus eſt ante te immo-
„ latus Chriſtus. Immo quod idem Apoſtolus ſubiungit, magis adhuc quod dicimus, declarat & confirmat. ita-
„ que epulemur, inquit, non in fermento veteri, nec in fer-
„ mento malitię & nequitiæ, ſed in azymis ſynceritatis, & veritatis. quod latinus interpres vertit, epulemur, græce eſt, ἑορτάζωμεν, id eſt, feſtiue celebremus. at Chriſti veri agni immolationẽ in cruce, nõ feſtiue celebramus, ſed potius ſecũdum apoſtolicę conſtitutionis traditionem, cum Iudęi feſtũ agunt, nos lugemus: nec epulamur cruentĩ agni Paſcha, ſed incruenti, in ſpecie ſcilicet panis azymi, ſicut Dominus fecit. nec enim tunc aliud genus panis erat ſecundum legem. Vnde Apoſtolus valde appoſite azymũ, quod in corpus ſuum, idemque Paſcha noſtrum tunc con
„ uertit, allegorice interpretatus eſt, epulemur, inquiens,
„ non in fermento malitiæ & nequitiæ, ſed in azymis synce-
„ ritatis, & veritatis: qui enim indigne manducat, ideſt, mã-
„ ducat non expers malitiæ, & nequitiæ, neq; cum ſyncero
„ ac vero corde, iudicium ille quidem, vt Apoſtolus ait, ſibi
„ manducat, & bibit non diiudicans corpus Domini. Accedit præterea ad confirmandam huius loci Pauli de myſtico Paſcha interpretationem auctoritas Eccleſię, quę in
„ hymno, quo vtitur, ſic ait Apoſtoli ſenſum ſequens, Iam
Paſcha

„ Paſcha noſtrum Chriſtus eſt, Qui immolatus agnus eſt, „ ſynceritatis azyma, Caro eius oblata eſt. En quemadmodum caro Chriſti oblata in cœna incruente, facta eſt noſtrum Paſcha, noſterq; agnus immaculatus, qui ſynceritatis azyma vocatur; vt cum, eius innocentia, tum, quales eſſe deberent, qui ad cœnam huius agni acceſſuri eſſent, in ænigmate ſignificaretur. Interrogemus iam hic Caluiniſtas, ſi ita pergunt interpretari, Hoc eſt corpus meum, id eſt figura corporis mei, an non eodem modo coguntur iſti interpretari, Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, id eſt, figura Paſchę noſtri immolata eſt? aut cur magis in illo priore metonymia erit, quàm in hoc poſteriore? cum tot teſtimonijs probatum ſit, de eadem re vtrumque dici? Panis igitur ex diſciplina Caluini in cœna illa dominica immolatus eſt. ac rurſus cũ idem in cœna & in cruce immolatum ſit, licet non eodem modo, ſequitur ex eadem diſciplina Caluini, vt panis crucifixus ſit, vt Tertullianus contra Marcionem colligebat.

Quomodo ſequatur ex diſciplina Caluini, ut panis crucifixus ſit, ſicut Tertullianus contra Marcionẽ colligebat.

Quòd Metonymici facientes panem figuram corporis Chriſti, azymum panem facere deberent: & quomodo poſitum eſt illis ſacramentum corporis Chriſti in ſignum, cui contradicunt: et quomodo ex eorum diſciplina ſicut ex diſciplina Marcionis, ſequatur panem eſſe crucifixum, non corpus Chriſti, & etiam poſſe dæmones corpus Chriſti participare, ac proinde pro eis paſſum eſſe Chriſtum, qui fuit error Origenis.

CAP. IIII.

SEd rurſus libet hic quærere ex iſtis, vt ex omni parte eorum inſania conuicta ſit, ſi panis eſt figura corporis Chriſti, ſic enim erat panis vetus, cur non adhibent ad ſuam cœnã panem azymum? quandoquidem in cœna illa Domini nõ fuit, nec ex lege aliud genus panis eſſe potuit? ſi reſpondeat cum Græcis æmulis Eccleſiæ noſtrę, facere ſe hoc, ne videantur iudaizare, vno modo vtroſque redarguimus. Siquidẽ & fermentatos etiam panes, quos 70. interpretes zymitas vocãt, ad ſacrificium laudis Iudęi ex

ex lege Leuitici cap. 7. adhibebant, quod, vt B. Cyrillus in comment. Malachię Prophetæ cap. 1. allegorice interpretatur, significabat in ęnigmate, catechumenos, qui nondum fermentũ malitię per baptismum deposuerunt, admittendos esse ad sacrificium laudis, idest ad gratiarũ actionem; vnde eos ex Ecclesia non eijcimus ante tempus oblationis. Sed Gręcorum longe alia ratio est. illis enim vt licet in specie fermentati sacramentum corporis Christi habere, ita non licet eis Latinos, qui in specie azymi habent, reprehendere. Caluinistæ vero neutros sequi voluerunt, sed cum vtraque ecclesia Græcorum, & Latinorũ catholicorum pugnantes vmbram tantum pro corpore tenere, & figuram pro veritate. de quibus prophetauit B. Simeon, Ecce, inquiens, positus est hic in signum, cui con-
» tradicetur. non enim crux tantum signum est, cui contra-
» dicitur, sicut Apostolus ait, nos autem prędicamus Chri-
» stum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus au-
» tem stultitiam. signum enim vocatur apud Esaiam crux
» Christi, cum ait, & leuabis signum in nationes; & congre
» gabit profugos Israel, & dispersos Israel colliget. neque rursus dicitur positus in signum, cui cõtradicitur propter resurrectionem tantum, cui vsque in hodiernum diẽ contradicunt Iudæi, negantes resurrexisse, de quibus scriptũ
» est in Euangelio, Et signum non dabitur eis nisi signum
» Ionę Prophetę, id est, signum resurrectionis in Iona figuratæ & depictæ. Item positum esse in signum cui contradicitur, sic Tertullianus in libro de carne Christi interpreta-
» tus est. Agnoscimus, inquit, signum contradicibile conce
» ptum & partum Virginis, sicut Esaias ait, propterea dedit
» vobis dominus ipse signum, Ecce Virgo concipiet. Aliud genus signi deerat, quod est sacramentũ corporis & sanguinis domini, cui hæretici, qui ex disciplina Caluini orti sunt, contradicerent, negantes in eo esse carnem Christi veram: quod quidem cum negant, simul conuincimus negare eos carnem Christi pro nobis crucifixam. idipsum enim corpus, quod crucifigendum erat, dedit discipulis ad man-

Caluiniani neque Græcos neque Latinos in sacramento corporis Christi sequi voluerunt: sed umbrã pro corpore, & figuram tenere pro veritate.

Quomodo hęretici sacramentarij ad crucem & resurrectionem, & partum Virginis, quę in scriptura uocãtur signa, quib contradicitur, sacramentũ Eucharistię addiderunt

ad manducandum; siquidem ipse Dominus dixit verbis suis, quæ spiritus & vita erant, id est, diuinę potestatis, & „ viuificæ virtutis, Accipite & manducate, Hoc est corpus „ meum, quod pro vobis tradetur; Hoc facite in meam cō- „ memorationem. quare si figuram corporis sui dedit, vt disciplina Caluini vult, eadem figura corporis tradēda pro nobis erat. de quo enim dixit, Hoc est corpus meum, de ipso eodem dicit repetens eandem vocem, Hoc facite in meam commemorationem. quare si panis sacramentalis Caluini, qui est secundum eum, figura corporis Christi, fit in commemorationem mortis eius, plane consequitur, vt idem panis sacramentalis, pro nobis in cruce mortuus fuerit. Et si enim in sacramento, tanquam in sacrificio mystico, licet istud negant isti, est figura sacrificij in cruce facti, quia non est hic vera mors, sed commemoratio mortis, vt Chrysost. hom. 17 in epist. ad Hebr. notauit, non tamen est figura corporis, sed verum corpus. Hoc ipsum paulo supra Tertullianus in Marcionē, licet alia ratione, eodem tamen pertinente concludebat, vt à nobis expositum est. vterque enim æque corpus Christi crucifixum negat; & qui ait, panem mystica benedictione consecratum, esse in nouo testamento figuram corporis Christi, vt Caluinus; & qui negat, impleuisse Christum in nouo testamento figuram corporis sui, quę erat in typico pane veteris testamenti, vt Marcion. figura enim nō impletur nisi veritate rei. Marcionis igitur hęresis à Metonymicis renouatur. Alia etiam hæresis nefaria ex ista Caluini schola vires & robur sumit. si enim non opus est ore carnis ad sumendum carnem Christi in sacramento, sed ore spiritus, & fide, igitur dæmones, qui sunt toti spiritus, & credunt, ac contremiscunt, possunt participare corpus Christi, ex quo rursus sequitur, vt pro eis passus sit Christus; qui fuit Origenis error, quem Theophilus Alexādrinus lib. 2. Paschali, interprete Hieronymo è Græco, cōfutat his verbis. „ quod inquit, erit priuilegium, aut quæ ratio, vt soli homi„ nes corpori eius sanguinique communicent, & nō dęmones quo

Quomodo necessario sequatur, ut si dominus in cœna figuram corporis sui dedit, figura itē corporis ei crucifixa fuerit.

Quod in sacramento S. Eucharistiæ, et si est figura sacrificij facti in cruce tanquam in sacrificio mystico, non tamen est figura corporis Christi, sed ipsum uerū corpus Christi.

Quomodo ex disciplina Caluini de māducatione corporis Christi ore spiritus per fidem, Origenis error à patribus cōfutatus renascitur.

„ nes quoque, pro quibus in passione sanguinē fuderit: sed
„ neque dæmones audient, Accipite & edite, Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: neque Deus sua præcepta soluet, qui discipulis ait, Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas, &c. nā & Apostolus scribens, nolo vos participes dæmoniorum fieri; non potestis calicem domini bibere, & calicem dæmoniorum, impossibile esse demonstrat, dæmones de calice domini bibere, & de mensa eius participare. cibus diaboli negatores Dei sunt, &c.
„ Hactenus Theophilus. Ecce igitur quemadmodum hic grauissimus auctor ex eo probat, non esse Christum pro dęmonibus passum, quod nō possunt corpus Christi māducare, neq; sanguinem eius bibere. hoc enim hominibus corpore & anima præditis, pro quibus Christus sanguinem fudit, conuenit. Cæterum Caluinus dum manducationem corporis Christi spiritualem tantum, & secundum fidem fieri tradit, eam cum dęmonibus, vt dixi, communem facit; ac proinde Christum pro eis passum esse. Siquidem pro eisdem passus est, quibus ad commemorationem mortis suę se ad comedendum præbuit, vt illis fieret cibus viuens & viuificans eos, quos moriens, à morte liberasset. Hactenus de hoc loco epistolæ ad Cor. Pergamus ad alium locum eiusdem epistolæ, ait enim paulo post, intuens in communionem corporis Christi in sacramento, per quam vnimur spiritualiter & corporaliter cū eo,
„ Nescitis, inquit, quoniā corpora vestra membra sunt Christi? tollens ergo membra Christi, faciā membra meretricis? absit. An nescitis quoniam qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur? erunt enim inquit, duo in carnē vnam; qui autem adhæret domino, vnus spiritus est.

Quomodo disciplina Caluini cogit cōmunicare corpus Christi cū dęmonibus, & facere item Christum pro eis passum.

Quomodo cōcludatur ex loco epist. ad Cor. c. 5. vnio corporalis cū Christo, quæ nisi per carnē eius in sacramēto cōmunicatā fieri nō possit: et de duplici vnione ibidē à Paulo notata spirituali tantū, & spirituali simul & corporali in sacramēto, vtraque à Dionysio diuine explicata, & post eū à Cyrillo: & quomodo aliud sit, esse vnū spiritū cū Christo, & aliud, vnum corpus, contra Metonymicos, qui hæc distinguere non possunt.

AA CAP.

CAP. V.

Age ergo, quomodo qui adhærere Christo desinit, vt adhæreat meretrici, idē mēbra Christi tolleret, nisi qui Christo prius adhærebat, vna caro fieret cū eo ꝑ coniunctionē scilicet corporis, & nō solū vnus spiritus? Quod quidē vt Christus in Euang. Ioan. & Apostolus eius in hac epist. ad Cor. & epist. ad Ephes. vt paulo post dicemus, docuit, per communionem carnis Christi in sacramento non solū spiritualiter, sed corporaliter communicatæ fit, & non aliter. vt enim qui adhæret mulieri siue legitime, siue non, id est, siue κατὰ τὴν διάθεσιν γαμικὴν siue πορνικὴν, quodā modo εἰς ὁμοψυχίαν καὶ ὁμοσαρκίαν, id est, quasi in vnam animam & vnam carnem, anima cum anima, & caro cum carne miscetur, „ Erunt enim, inquit, duo „ in carnem vnam; sic qui adhęret Christo per participationem corporis eius in sacramēto, hic in Christo manet, & Christus in eo, quod est, esse duos in carnem vnam, quod ad rationem mystici coniugij, quod est magnum sacramentum in Christo & in Ecclesia, pertinet. Quod si corpus Christi manducatur extra sacramentum à spiritu nostro, & sanguis similiter bibitur, vt tradit disciplina Caluini, quomodo qui adhæret meretrici, tollit mēbra Christi, & facit ea membra meretricis? Quod enim non manducatur à corpore, nō vnitur corporaliter cum corpore. quòd si non vnitur corporaliter cum corpore, non potest fieri ex vtroque vnum corpus per connexionē, quam Græci vocant συνάφειαν, quam alij interpretantur cōtactum; ex quo rursus fit, vt qui adhęret meretrici, non iam tollat membra Christi, quod Apostolus affirmat; siquidem nō erat prius cum eo corporaliter vnitus, vt Metonymici volunt. tollit quidem certe membra Christi, qui erat cū eo vnione spirituali tātum vnitus, & postea vnionem talem amittit per peccatum, id est, ex membris Christi viuis facit membra mortua; sed quia is, qui adhæret meretrici, anima & corpore fit vnum per connexionem, siue commistionem cum meretrice; & hic membra Christi tollit, & facit

Quòd qui adhæret meretrici, non tollit membra Christi cōtra auctoritatem Apostoli, si in sacramento, quod ore sumis, non est corpus Christi.

Aliud est tollere mēbra Christi amissa unione spirituali: Aliud uero tollere membra Christi amissa unione spirituali & corporali.

facit ea meretricis, consentaneum valde est, vt de eo loquatur Apostolus, qui membra Christi, id est, cum Christo spirituali & corporali vnione vnita tollit: vt par vnio vtrinq; ex aduerso respōdeat, spiritus & corporis in Christo; & spiritus siue animæ & corporis in meretrice. Nō reprehendo eos, qui hunc locum non de vnione ista corporali nostra cum Christo interpretantur; sed scribens aduersus hęreticos B. Cyrillum sanctitate & eruditione clarissimum & in interpretatione diuinarum scripturarū diuinum sequi malui, qui in Arianos vnionem quoque nostram corporalem cum Christo negantes, postquam il-
„ lum locum Pauli validissime torsit in comment. Ioan. lib.
„ x. cap. 15. Vnum corpus, multi sumus, omnes qui de vno pane participamus, subiunxit in illum Arianum intuens, contra quem disserebat, an fortasse putat ignotam nobis
„ mysticæ benedictionis virtutem esse; quæ cū in nobis fiat,
„ nonne corporaliter quoq; facit communicatione carnis Christi in nobis habitare? Deinde locū, qui in manibus est, veluti aliam hastam, nōn minus valide torquet, in-
„ quiens; cur enim membra fideliū membra Christi sunt?
„ Nescitis, inquit, quia membra vestra membra sunt Chri-
„ sti? membra igitur Christi, meretricis membra faciam?
„ absit! Saluator etiam, qui manducat meam carnem, ait,
„ & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in eo. vn-
„ de considerandum est non habitudine solū, quæ per cha-
„ ritatem intelligitur, Christum in nobis esse, verum etiam
„ & participatione naturali. Hactenus Cyrillus. participationem naturalem vt superiore tractatu admonui, vocat hic participationem veram corporis Christi, quod in sacramento realiter sumitur. Sed vt magis adhuc intelligatur, quemadmodum membra Christi nominemur, & simus, explicanda est tota ratio vnionis nostræ cum Deo, quę duplex est; altera alterius origo & dux. Vtramq; Dionysius diuine vt cætera, describit; priorem sic, cum in capite de communione post descriptam miseriā primi hominis Adæ, in quam se per peccatum coniecit, diuinę, in-

Explicatio unionis nostræ cum Deo ad intelligendū quo modo membra Christi efficiamur, & simus.

Quō Dionysius diuine explicat, & describit duplicē unione cū Deo, unā spiritualē:alterā spiritualē, & corporalē; & quomodo utraq; fiat: & secundum utramq; simus membra Christi, de carne eius,& de ossibus eius, licet non uno modo,nec equaliter.

Quòd ratio unionis nostrę spiritualis cum deo ex mysterio Incarnationis proficiscatur.

Explicatio utriusq; loci in eande sentētiā in epist. Pauli, & in psal. dedit dona hominibus;& accepit dona in hominibus auctore Athanasio.

" quit,bonitatis charitas infinita, non abiecit prouidentiā,
" quæ nos effecerat, quin potius naturæ nostrę ex toto præ-
" terquam peccati particeps facta, nostręq; tenuitati vnita,
" & in iis, quæ propria & sua erant,nō læsa,neq; commixta,
" nos deinceps tanquam eiusdem generis homines,sui suo
" rumque bonorum participes effecit. Hactenus Dionysius de ratione vnionis nostræ spiritualis cum Deo, quę à mysterio Incarnationis ortum ducit.factus est enim Deus homo, vt pro nobis mori posset, & mors eius nostra fieret, nosq; secum commorientes conresuscitaret resurgens à mortuis; & ascendens in cælum consedere faceret in cælestibus. Omnia enim dona,quæ in humanitate sua accepit,dedit nobis eadem natura pręditis,sicut scriptum est, ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus:pro quo in eandem sententiā dixit Propheta Dauid,accepit dona in hominibus, id est in humanitate assumpta, quę enim in ea accepit, dedit. Qui enim filium suum nobis dedit, quomodo ait Paulus, non cum illo omnia donauit?& ipse Filius in Euangelio Ioannis, omnia, inquit, quę dedisti mihi, dedi illis. Vnde tractans hoc mysterium S. Athanasius cōtra Sabellium, Si homo,
" inquit,tantum esset,non fuisset habitus tot tantisq; donis
" dignus: si verbum tantū, non eguisset. Vnitum ergo fuit
" verbum homini, & Deus Pater intuens in verbum, dedit
" homini, vt exaltaretur; & haberet potestatem, & alia hu-
" iusmodi.Idcirco ad ipsum verbum referuntur omnia,tan
" quam ipsi data sint, quę per ipsum nos accepimus. Itaq;
" vt propter nos humiliatus est, sic propter nos exaltatus
" dicitur. Ergo donauit illi, id est, nobis propter illum:
" exaltauit illum,id est,nos in illo. Vnde ipsum verbum no
" bis exaltatis, & adiutis quasi ipse exaltaretur & adiuuare-
" tur, sic gratias agit, nostras res ad se referens ac dicens,
" Omnia quę dedisti mihi,dedi illis. Hactenus Athanasius. igitur Deus pater intuens in filium suum propter nos hominem factum, nobis eadem natura præditis, si in mortē filij eius baptizamur, dat gratiam, per quā primo diuinę natu-

naturæ participes facit. hæc est vnio cum Christo spiritualis. Hactenus enim aliam coniunctionem cum eo corporalem non habemus; nisi quòd membra Christi viua censemur, quia cum spiritu eius vniti sumus, qui sumus alioqui de carne eius & de ossibus eius propter cognationē eiusdem generis, id est, propter communitatē naturæ humanæ, quam assumpsit. Cæterum cuiusque nostrū corpus suis proprietatibus singularibus signatum à corpore Christi suis item characteribus signato separatū est, & extra illud positum. De altera vero vnione paulo post idē Dionysius, „ Deus verbum, inquit, sua bonitate & singulari erga homi„ nes charitate motus, cum esset alioqui simplex & inaspe„ ctabilis, sine vlla sui mutatione factus est cōpositus & aspe„ ctabilis: factus vero homo, communionem benefice in„ stituit; quæ cum eo nos in vnum coniungeret, & ipse ea, „ quæ naturæ nostræ sunt humilia, & infima, cum suis diui„ nissimis summa vnione copularet, si modo nos tanquam „ membra cū eo similitudine vitæ sanctæ coagmētati, com„ pactique simus, ac non potius peccatis mortui, cum diui„ nis eisdemque sanctissimis membris neque coniungi, ne„ que conglutinari, neque vitæ eius participes esse quea„ mus. Oportet enim si communionem participationemq; „ eius cupimus, in vitam eius, quam in carne vixit, intueri, „ & imitatione atque similitudine sanctitatis ad habitum „ diuinę & incorruptæ virtutis recurrere. sic enim nobis vt „ sui similibus, sui participationem apte & apposite largie„ tur. Hactenus Dionysius. Hæc est cōmunio corporis Christi, quam dominus ad renouandam iugi recordatione memoriam mortis suæ nobis in specie panis & vini dedit, de „ qua Paulus ad Cor. scripsit, Calix benedictionis, cui bene„ dicimus, nonne communicatio siue communio sangui„ nis Christi est? & panis, quem frangimus, nonne commu„ nio, siue participatio corporis domini est? quoniam vnus „ panis, vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane „ & vno calice participamus. per huiusmodi ergo participationem corporis Christi in sacramento participati nō solum

Qūo per baptismum efficiamur ptimo diuinę naturę cōsortes, sed catenus nullam aliā coniunctionem corporis cum Christo habemus nisi coniūctionem cognationis eiusdem generis propter communitatem naturę.

De altera vnione summa spirituali simul & corporali, quæ fit per communionem corporis Christi in sacramento participati.

Cōclusio vnionis spiritualis simul & corpora

Iis per communionem corporis Christi in sacramento participati, cuius dux est unio illa prior spiritualis tantum.

lum vnione illa spirituali priore, de qua dicebamus, sed corporali etiam vnimur; quicunque illud in sacramento realiter sumimus. quod quia corpus vitæ est, non nisi cum viuentibus per spiritum eius vniri potest. vt iam illa prior vnio hanc secundam, quæ summa est, tanquam dux, vt dixi, antecedat. sic efficiuntur corpora, sicut Apostolus ait, membra Christi non coniunctione tantum spirituali, sed etiam, quod heretici negant, corporali per carnem Christi in sacramento communicatam. hæc enim communio efficit vt concorpores Christi secundum scripturam Pauli dicamur, & simus, quia sumus in eo vnum corpus. siquidem ipse, qui indiuisibilis est, corporaliter est per cõmunionem carnis in sacramento participatæ in vnoquoque nostrum, quicunque de vno pane, sicut idẽ Apostolus ait, participamus. Vtramque istam vnionem notauit, & distinxit B. Cyrillus in eodem lib. 10. in Euangeliũ Ioannis cap. 15. vt alios nunc omittam, siue Dionysium sequens, siue cum eo consentiens. Recitabo iterum locum. Age igitur,

Quomodo beatus Cyrillus duplicẽ quoque unionẽ distixit, sicut diuinus Dionysius.

„ inquit, cum Trinitas vnum natura sit, consideremus, quo
„ modo etiã nos ipsi inter nos corporaliter & cũ Deo spiri-
„ tualiter vnum simus. ex Dei Patris substantia vnigenitus
„ prodiens, & totum in sua natura genitorem possidens, ca-
„ ro factus est; seq; ipsum naturę nostræ ineffabiliter coniũ-
„ xit, atque vniuit. sic quę inter se plurimum natura distant,
„ in se ipso coniũxit, & naturę diuinę participes nos effecit.
„ participatio enim spiritus, & vt ita dicam, mansio primũ
„ in Christo fuit, & ab eo in nos penetrauit. ipse templum
„ suum proprio spiritu perunxit, atque sanctificauit. Origo
„ igitur & via, qua Spiritum Sanctum participamus, & Deo
„ vniti sumus, Christi mysterium est (mysterium scilicet In-
„ carnationis dicit) omnes enim in illo sanctificamur. Hactenus de vnione spirituali tantum. Deinde subiungit de altera vnione, quæ non solũ spiritualis, sed corporalis quoque
„ est. vt igitur inter nos & Deũ singulos vniret, quamuis
„ corpore simul & anima distemus, modum tamen adinue-
„ nit consilio Patris & sapientiæ suæ congruẽtem. suo enim

corpo-

„ corpore credentes per communionem myſticam benedi-
„ cens, & ſecum & inter nos vnum nos corpus efficit. Quis
„ enim eos, qui vnius ſancti corporis vniens in vno Chri-
„ ſto vniti ſunt, ab hac naturali vnione alienos putabit? nã
» ſi omnes vnum panem manducamus, omnes vnum cor-
» pus efficimur. diuidi enim atque ſeiungi Chriſtus non pa
» titur. idcirco etiã Eccleſia Chriſti corpus eſt facta, & nos
» ſinguli membra Chriſti ſecundũ Paulum. vni enim Chri-
» ſto per corpus ſuum coniuncti, quoniam in nobis illum
» qui eſt indiuiſibilis, accepimus; ipſi potius, quàm nobis
» membra noſtra accommodantur. Hactenus.Cyrillus. Idẽ
rurſus paulò poſt de eadem duplici vnione magis adhuc
» aperte & diſtincte. dicimus, inquit, quòd Spiritu S. rece-
» pto & inter nos quodammodo & cum Deo vnimur. nam
» quamuis vnicuique noſtrum, Patris & ſuum Spiritũ Chri
» ſtus diſtribuit, indiuiſibilis tamen ſpiritus eſt, & diſtribu
» tus ſingulis ſpiritus in ſeipſo vnit: & omnes quibus diſtri
» butio facta eſt, vnum in ſeipſo efficit.& ſicut virtus ſanctiſ-
» ſimæ Chriſti carnis vnum corpus efficit participantes, eo-
» dem arbitror pacto in quibus indiuiſibilis Dei ſpiritus ha
» bitauit, eos omnes ad vnitatem ſpirituale conducit. ideo
» rurſus Paulus nobis ſcripſit, ſolliciti ſeruare vnitatem ſpi
» ritus in vinculo pacis,vnũ corpus & vnus ſpiritus. Hacte-
nus Cyrillus. En,quemadmodum auctoritate Pauli aliud
eſt vnum ſpiritum nos eſſe: aliud vnum corpus,quę diſci-
plina Metonymicorum non poteſt diſtinguere.Explicata
eſt autem ratio vtriuſque vnitatis & vnionis ſpiritualis &
corporalis.cum enim vnus ſpiritus in nobis habitat,tunc
ait, idem Cyrillus, vnus verus Deus & Pater omnium per
filium ſuum, in quo ſcilicet eſt ſpiritus, habitat in nobis,
nos mutuo & ſecum ſpiritus ſui participes vniens; & hæc
eſt vnio tantum ſpiritualis. cum vero caro vitę in nobis
habitat, iam non ſolum vnus ſpiritus inter nos & in Deo
ſumus, ſed vnũ corpus Dei in Chriſto. Poſterior vnio cor-
poralis, quę ſumma eſt, vt ſępe diximus,quia ſpiritualem
continet, ſeparari ab ea non poteſt: ſpiritualis vero, re ſe-
parari

parari poteſt à corporali. vt igitur locum epiſtolę Pauli ad Cor. cuius tractatio̧ ſuperiorē explicationem duplicis vnionis ſpiritualis, & corporalis ad propoſitum pertinentem attulit, proſequar, cum Paulus corporalem vnionem
" noſtram cum Chriſto, notauerit, cum dixit, Neſcitis, quo
" niam corpora noſtra membra ſunt Chriſti? & alteram ſpi
" ritualem, cum dixit ibidem; Qui adhęret domino, vnus ſpiritus eſt: & rurſus in epiſt. ad Epheſ. vnū corpus & vnus
" ſpiritus; liquet, Metonymicos, cum negant corpus Chri-
" ſti in ſacramento comedi realiter ſub ſpecie ore carnis, Paulo cōtradicere, qui iſta diſtinxit, vnum corpus & vnus ſpiritus: vt enim non efficimur vnus ſpiritus adhærentes Deo, niſi cum in nobis eſt ſpiritualiter vnus ſpiritus Dei, qui eſt ſpiritus indiuiſibilis, ſic non efficimur vnum corpus, niſi cū in nobis eſt corporaliter corpus Chriſti. corp⁹ enim Chriſti etſi indiuiſibile eſt, carnem tamen & oſſa habet, quia corpus hominis nō eſt niſi corpus carnis: quod ſi in nobis eſt corporaliter corpus Chriſti, neceſſe eſt vt ore corporis noſtri, ſicut dominus inſtituit, comedatur. Hactenus ex epiſtola ad Corinthios cōtra Metonymicos.

Qūo qui negāt corpus Chriſti i ſacramēto comedi, ut cum comedente uniatur, contra auctoritatem Pauli nō diſtinguūt, quę ille diſtinxit unum ſpiritum & unū corpus.

Diſputatio aduerſus eoſdem ex epiſtola ad Epheſios c. 3. et 5. & quomodo quos Apoſtolus ibi dicat factos eſſe con corporales in Chriſto, non poſſit ab hæreticis aliò detorqueri, ſed neceſſario intelligendum ſit de participatione corporis Chriſti in ſacramento: & quomodo Chriſtus nutriat Eccleſiā, & ipſo nutriente efficiamur nos membra corporis eius, de carne eius, & oſſibus eius: & de coniugio Chriſti, & Eccleſiæ myſtico, quomodo per communionem corporis eius in ſacramento conſumetur. CAP. VI.

SEquitur, vt diſſeramus deinceps aduerſus iſtos ex epiſtola ad Epheſios, quæ eadem via, & ratione hęreticos Metonymicos coarguit, & conuincit. pro eo. n. quod in illa dixit Apoſtolus, corpora noſtra eſſe membra Chriſti, quod per communionem corporis Chriſti in ſacramēto vere, & realiter cōmunicati intelligendū eſſe ſuperius docui, idq; ad rationem myſtici coniugij Chriſti, & Eccle

ſi

ſiæ pertinere, in hac epiſtola dicit factos nos eſſe concorporales Chriſti, & rurſus eſſe membra corporis eius, de carne eius, & de oſſibus eius, quod ad magnum ſacramẽtum ſacræ communionis retuliſſe, paulo poſt docebimus, & teſtimonijs ſanctorum patrũ confirmabimus. ait igitur
„ Apoſt. cuius rei gratia ego Paulus vinctus Ieſu Chriſti pro
„ vobis gentibus, ſi tamen audiſtis diſpenſationem gratiæ,
„ quę data eſt mihi in vobis, quoniam ſecundum reuelatio
„ nem notum mihi factum eſt ſacramẽtum, ſicut ſcripſi in
„ breui, pro vt poteſtis legentes intelligere prudentiã meã
„ in myſterio Chriſti, quod alijs generationibus non eſt ma
„ nifeſtatum filijs hominum, vt nunc reuelatum eſt ſanctis
„ Apoſtolis, & Prophetis in ſpiritu. ſequitur deinde quodnã
„ myſterium ſiue ſacramentũ dicat, gentes, inquit, eſſe cohę-
„ redes, & concorporales, & comparticipes promiſſionis in
„ Chriſto per euangelium. concorporales dicit in Chriſto, de quibus dixerat, eſſe corpora noſtra membra Chriſti, vt ſuperius explicaui, & de quibus in eadem epiſtola ad Corinthios, quod in priore tractatu expoſuimus, dixerat, quoniam vnus panis, vnum corpus multi ſumus, omnes, qui de vno pane, & vno calice participamus. dixerat enim ibi-
„ dem prius, calix benedictionis, cui benedicimus, nonne
„ communicatio ſanguinis Chriſti eſt? & panis, quem fran-
„ gimus, nonne participatio corporis domini eſt? ſic beatus Cyrillus hunc locum epiſtolę ad Eph. intellexit, & interpretatus eſt in commentarijs Euang. Ioan. libro 11. c. 16. & in libris allegoriarum, quos in Pentateuchum ſcripſit,
„ quos Glaphyrã vocauit in Gen. cap. de Adam, σύσσωμοι,
„ inquit. γεγόναμεν αὐτῷ δι' εὐλογίας τῆς μυστικῆς, ideſt, concor
„ pores facti ſumus ei per myſticã benedictionem (hoc eſt per communionem corporis Chriſti in ſacramento, ſiue
„ myſterio) per myſticam enim inquit benedictionem, mu-
„ tatur ſubſtantia panis, & vini in corpus, & ſanguinẽ domi ni. Hactenus Cyrillus. eodem modo interpretatus eſt in commentarijs in Eſ. cap. 56. quo in loco prædixit propheta myſterium de hoſtijs noui teſtamenti, quas cum Genti-

les ad fidem Chriſti vocati, comederent, vnum corpus in Chriſto fierent. ſed hanc prophetiam poſtea loco ſuo tractabimus, & cum nouo teſtamento more noſtro conferemus. Vt autē ſacramentum iſtud Chriſti, quod hic dicit Apoſtolus per reuelationem ſibi notū factū eſſe, & ſanctis Apoſtolis & prophetis item reuelatum, gētes ſcilicet eſſe concorporales in Chriſto, tu hæretice aliò detorquere nō poſſes, ad myſterium ſcilicet incarnationis, de quo Paulus
,, in epiſ. ad Hebr. ait, quia ergo pueri communicauerunt
,, carni, & ſanguini, & ipſe ſimiliter participauit eiſdē, vt per
,, mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium,
idcirco vna complexione colligauit illa tria, cohęredes, concorporales, & comparticipes promiſſionis in Chriſto. non enim qui ſunt concorporales, id eſt participes humanæ naturæ Chriſti, aut etiā, qui ſunt mēbra Eccleſiæ, quæ eſt corpus Chriſti, omnes ſunt cohæredes Chriſti, & comparticipes ꝓmiſſionis, quæ facta eſt filijs Dei; ſed qui ſunt concorporales in Chriſto, qui ſunt ſcilicet membra viua, hi enim propter ſimilitudinem vitæ Chriſti, ſumma vnione, vt ait Dionyſius, cum diuiniſſimis membris eius per communionem corporis, & ſanguinis copulantur, facti ſic concorpores, id eſt, vnum corpus, & vnus ſpiritus cum eo, & ſimul cohæredes eius, ac comparticipes promiſſionis in Chriſto. Hæc autem eſt promiſſio, ſicut miſit me vi-
,, uens pater, & ego viuo propter patrem; & qui manducat
,, me, & ipſe viuet propter me. Hoc eſt ſacramentum admi-
,, rabile, & obſtupendum, quod Apoſt. dicit per reuelationē ſibi patefactū eſſe, Quòd ſi in ſacramento ſanctiſſ. Eucha riſtiæ eſt tantum figura corporis Chriſti ex diſciplina Caluini, & Metonymicorum, qui ex ſchola eius profecti ſunt, & hoc eſt ſacramentum ſanctis Apoſtolis, & Prophetis reuelatū, non debuit dicere Apoſtolus, gentes eſſe συσσώμους, ſiue συσσωμάτους (varie enim legitur) id eſt, concorporales, ſed συσχηματίσους, id eſt, configurales per participationem ſcilicet, ſiue communionem figuræ corporis. imago enim ſiue figura corporis participata non poteſt facere eos qui eam

Qūo ſecūdum diſciplinā Caluini nō debuit dicere Apoſtolus, gentes eſſe cōcorporales, ſed cōfigurales in Chriſto Ieſu.

eam participant, concorporales. Sed quemadmodũ efficiamur concorporales in Christo, siue membra corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius, idem Apostolus paulo post magis adhuc exponit, cũ ait, viri, diligite vxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiã. & paulo post, cũ dixisset, Qui suam vxorem diligit, se ipsum diligit; vt explicaret, quid esset diligere vxorem sicut seipsum, subiungit. Nemo enim carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam, vt iam hoc intelligeretur, esse diligere vxorem suam, tanquam corpus suum, siue tanquam seipsum, vtrunque enim dixit, scilicet nutrire & fouere eam: & pro ea nutrienda & fouenda, omni studio & labori honesto se tradere. Interpretatus est hic Apostolus, vt Procopius Gazæus in comment. in Genes. notauit, quod illic dictum est mulieri, ad virum conuersio tua; scilicet, vt ab eo nutriaris & fouearis instar videlicet lateris manui suppositi, ut ait Basilius Episcopus Seleuciæ. in homilia 2. in illud, Adduxit Adam in Paradisum: ob hanc enim causam ait hic auctor factã esse Euam ex latere Adæ: θάλπεται γὰρ καὶ σκέπεται παρὰ τῆς χειρὸς ἡ ὑποκειμένη πλευρά; id est, fouetur enim & tegitur, inquit, à manu latus ei subiectum. Sequitur deinde, sicut Christus Ecclesiam, scilicet nutrit & fouet. Quòd si Christus Ecclesiam nutrit, cibo igitur, qui ore corporis capitur, nutrit: siquidem cibum sponsæ Christi, quæ est Ecclesia, comparat cum cibo, quo vir vxorem suam nutrit. atqui certe ex toto dissimilia non comparãtur; cuiusmodi essent cibus corporalis, & cibus corpore carens. docet autem statim, licet obscure, quia ita expediebat, quo cibo corporali Ecclesiam sponsam suam nutriat; cũ subiungit, quia membra sumus corporis eius, de carne eius & de ossibus eius. quæ perinde sunt, ac si dixisset aperte; Sicut Christus Ecclesiam nutrit communione .s. carnis suæ. cõmunionem enim carnis suæ, vt Dionys. Areopagita in capite de cõmunione ait, ὡς ὁμογενέσι, λοιπὸν ἐδωρήσατο καὶ τῆς οἰκείων αὐτὸ ἕξιν μετόχους καλῶν, id est, cõmunionẽ nobis postea utpote hominibus eiusdem generis

Quid sit diligere uxorem, tanquam suũ corpus, siue tanquã seipsum.

Quomodo secundum Apostolum cibo, qui ore carnis sumitur ad comedendũ, Christus ecclesiã sponsam suam nutrit, & fouet.

neris ac naturæ largitus est, & suorum bonorum consortes, ac participes fecit. hoc enim est, quod paulo supra dixit idem Apostolus factos nos esse cõcorporales,& comparticipes promissionis in Christo per ueram scilicet communionem verę carnis Christi in sacramento. Sic etiam
„ intellexit & interpretatus est B. Irinæus lib. 5. contra hære-
„ ses. Quomodo, inquit, carnem negant capacem esse
„ donationis Dei, quæ est vita æterna, quæ sanguine & cor-
„ pore Christi nutritur,& membrum eius est? quemadmo-
„ dum & Apostolus ait in ea quæ est ad Ephesios epistola,
„ quoniam membra sumus corporis eius, de carne eius &
„ de ossibus eius, non de spiritali & inuisibili homine dicẽs
„ hæc; spiritus enim nec ossa neque carnes habet, sed de
„ ea dispositione, quæ est secundum hominem, quæ ex car-
„ nibus & neruis,& ossibus consistit; quæ de calice, qui est
„ sanguis eius, nutritur: & de pane, qui est corpus eius, au-
„ getur. En Metonymice, quemadmodum testimonio Pauli, interprete magno auctore Irinæo, ut vitam sempiternam viuamus, corpore & sanguine Christi spiritualiter nutrimur, non illis quidem sumptis ore spiritus tantum, ut tradit vestra disciplina, sed ore corporis, siquidẽ per communionem istam corporis & sanguinis efficimur membra viua corporis eius, & de carne eius & ossibus eius, qui factus fuit homo, sicut nos. hoc autem fieri nõ posset, nisi qui sumitur, non spiritualiter tantum sumeretur, veluti si esset spiritus, qui carnem & ossa non habet, sed etiam corporaliter, utpote carnes & ossa habens: illud vero in Irinæo, & de pane qui est corpus eius, augetur, non dici de pane mystico post consecrationem, docui superiore tractatu, cum responderem ad obiectionem Volani 17. ne eadem nunc repetam. Christus itaq; Ecclesiam sponsam suam communione corporis & sanguinis sui nutrit; vnde ut paulo antedixi, postquam dixit de
„ viro, qui vxorem suam diligere debet, Nemo enim vn-
„ quam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam,
„ sicut Christus Ecclesiam, scilicet nutriit & fouet; statim

Quõ secundum Apostolum interprete & auctore S. Irineo per communionẽ corporis Christi in sacramẽto efficimur membra eius, de carne eius, de ossibus eius.

subiun-

„ ſubiunxit, Sumus enim membra corporis eius, de carne
„ eius, & de oſſibus eius. quod quidem vnionem illam ſi-
gnificat hic, quæ à Dionyſio dicitur in capite de commu-
„ nione, ἕνωσις κατ' ἄκρον ideſt, ſumma vnio: & à B. Cypriano
„ in ſerm. de cœna; vnitas vſque ad ſocietatem germaniſſi-
„ mam progreſſa; hæc autem ſocietas germaniſſima conſi-
ſtit in ſimilitudine, & imitatione vitæ Chriſti. Hęc enim
„ cum eſt, vt ait idem Dionyſius, tunc tanquam membra vi
„ ua ſumma vnione cum Chriſto per cõmunionem corpo-
„ ris eius in ſacramento copulamur. qui enim ſunt mẽbra
„ mortua peccatis, iſti, inquit idem Dionyſius, cum diuinis
„ & ſanctiſſimis membris eius non coagmentantur, nec eis
„ adglutinantur; nec vitæ eius participes ſunt. ſunt iſti alio-
„ qui mẽbra corporis eius de carne eius, & de oſſibus eius,
„ ſed per communitatem naturæ tantum, & non per parti-
„ cipationem etiam ſubſtantialem ſacramenti corporis &
„ ſanguinis Chriſti. non ſic inquam, ſunt membra corporis
eius, de carne eius & oſſibus eius, vt ſunt ij, de quibus hic
loquitur Apoſtolus, cum quibus cõmiſcetur, & quos nu-
trit Chriſtus factus eorũ cibus, faciens eos ſibi concorpo-
rales, & cõparticipes promiſſionis, ſicut idẽ Apoſtolus ſu-
pra dixerat. Quare ſi Chriſtus nos nutrit, factus .ſ. noſter
cibus verus, & potus verus, vt in Euangelio dixit, quia ſu-
mus mẽbra corporis eius, & de carne eius & oſſibus eius;
ergo membra eius viua ſumus, ac proinde non per cõmu-
nionẽ tantũ humanæ naturę membra, ſed etiã per cõmu-
nionem ſanctiſſimę Euchariſtiæ, quę ex membris & carne
atque oſſibus cum diuina natura hypoſtatice vnitis con-
ſtat. hoc vero eſt coniugium Chriſti & Eccleſiæ, in quo
fiunt ſecundum legem myſtici coniugij duo in carnem
vnam. hanc enim vnitatem ſignificauit dominus, cum diſ-
„ ſerens de hoc myſterio in Euangelio Ioannis, qui mandu-
„ cat, inquit, meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in
„ me manet, & ego in eo. Nihil enim aliud eſt manere ſic al
terum in altero, quàm fieri duo in vnum. Quod ergo ad
legem matrimonij carnalis coniugum pertinet, pertine-
re

Quomodo duplici modo cõtingat eſſe mẽbra Chriſti, de carne eius, & de oſſibus eius.

Quomodo docuit Apoſtolus quod ad legem matrimonij car

nalis pertinebat, erunt duo in carnem unã, pertinere etiã anagogice ad matrimoniũ mysticum ecclesię cum Christo per communionem corporis eius in sacramento magno.

re etiam anagogice & spiritualiter ad Christum, & sponsam eius Ecclesiam in sacramento cõmunionis corporis Christi, docuit nos hoc loco Apostolus, cum post legem illam de coniugio in Genesi scriptã, scilicet, Propter hoc relinquet homo patrem & matrẽ & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carnem vnam; statim subiungit, sacramẽtum hoc magnũ est. Ego autẽ dico in Christo & in Ecclesia; ergo coniugium fidelium coniugum cum coniugio Christi sponsi & Ecclesiæ sponsæ eius tanquam sacramentum coniugij paruum cum magno comparat Apostolus.

Quomodo coniugium carnale tanquam sacramentũ paruũ comparatur ab Apostolo cũ coniugio mystico tãquã sacramento magno.

In quo autem consistat hoc magnum sacramentum coniugij Christi & Ecclesię, idem Apostolus paulo ante significauerat, cum pręcipiens vt vir vxorem suam tanquã corpus suum diligeret, exemplũ Christi Ecclesiam sponsam suam diligentis proposuit. nemo enim inquiens, vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam, sicut Christus Ecclesiam, scilicet vt sæpius repetã, nutrit & fouet: quare cum dixit paulo post, sacramentũ hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia; consequẽtia rei & verborũ postulat, vt subaudiamus in Christo scilicet nutriente & fouente Ecclesiam sponsam, & in Ecclesia, quę nutritur, & fouetur à Christo sponso. Hoc autem nutrire scilicet & fouere Ecclesiam fit, cum Christus factus vere cibus, se ipsum cum Ecclesia, id est, cum fidelibus vnit summa vnione, id est, secundum carnem & ossa & spiritum in diuinissimo & maximo sacramento sanctissimę Eucharistię, quod animas fidelium spiritualiter viuentium nutrit, ac fouet, & facit crescere in salutem, vt beatus Petrus ait de eodem sacramento loquens, vt postea loco suo docebimus.

Quomodo Paulus doceat secundum consequentiam rei & uerborũ nutriri ecclesiam sponsam ab spõso suo Christo corpore eius facto cibo in sacramento.

Quæ Methodius martyr scripserit ad explanationem loci Pauli de sacramento magno in Christo & in Ecclesia; & quæ alij patres de eodẽ magno sacramento coniugij mystici per communionem corporis Christi in sacramento participati scripserint: & de dote sponsę Christi à beato Chrysostomo descripta: & quomodo Metonymici sponsam, quod in ipsis est, dote spolient, & fame ac siti enecent: & quomodo ex verbis

Pauli concludatur, alimentum, quo Christus Ecclesiam sponsam nutrit, ore etiam corporali capi.

Cap. VII.

HVc spectant, quę Methodius martyr in symposio de
cem virginum in hunc locũ scripsit. interpretabor
„ latine. Nunquam, inquit, Paulus ὁ πνευματικώτατος
„ temere ad Christum & Ecclesiam retulisset coniugium
„ Adæ & Euę, si scriptura nihil sublime supra litteram &
„ historiam cogitasset. si enim hunc scripturæ locum nude
„ penitus de coniunctione viri & mulieris accipere oporte-
„ bat, quorsum Apostolus hæc memorans, nosque in viam
„ spiritus deducens, hunc de Adam & Eua locum allego-
„ rice interpretaretur, ad Christum & Ecclesiam eum refe-
„ rens? Et paulo post. Homo inquit, mixtus & tempera-
„ tus cum sapientia & uita, hoc factus est, quod erat quod
„ in ipso habitauit φῶς ἄκρατον, id est lumen purum (Verbũ
„ Dei dicit.) Vnde, inquit, recte Apostolus ad Christum
„ retulit illa de Adam. sic enim maxime congruet, ex ossi-
„ bus eius, & ex carne eius Ecclesiam esse factam, propter
„ quam, relicto Patre in cælis, descendit Verbum; & adhę-
„ sit uxori, & dormiuit soporem passionis moriens pro ea;
„ ut exhiberet sibi Ecclesiam gloriosam, & omnis maculæ
„ expertem, emundans eam lauacro ad excipiendum spiri-
„ tuale, & beatum semen, quod ipse insonat, & inserit in
„ profundo mentis. Excipit autem illud ipsum semen &
„ format Ecclesia instar vxoris ad generandam virtutem &
„ alendã. hac enim ratione impletur illud, Crescite & mul-
„ tiplicamini, capiente Ecclesia incrementum per congres-
„ sum & communionem Verbi, quod adhuc ad nos se di-
„ mittit, & soporem capit secundum commemorationem
„ passionis. non enim potest aliter Ecclesia concipere cre-
„ dentes & regenerare per lauacrum regenerationis, nisi &
„ Christus propter eos se exinaniens, vt capi possit, secundũ
„ commemorationem, vt dixi, passionis iterum moriatur è
„ cęlo descendens, adhęrensque vxori suę prębeat virtutem
quan-

Quæ Methodius martyr scripserit pertinẽtia ad mysticũ coniugiũ Christi & ecclesiæ sponsæ per cõmunionẽ corporis Christi in sacramento.

" quandam lateris sui,vt augeantur, qui in eo ędificati sunt
" omnes per lauacrum regenerati. Hęc Methodius Martyr.
ex quibus illud exinanire se nūc Christum, vt capi possit,
& iterum,secundum commemorationem passionis mori,
& adhęrentem vxori, id est, Ecclesię prębere virtutem
quandam lateris sui ad augendum regeneratos, ad communionem corporis Christi in sacramento Eucharistię
" pertinet, sicut scriptum est, Hoc facite in meam com-
" memorationem. Item Theodoretus in comment. Canti-
" co Canticorum, cum illum versiculum primum inter-

Quę alij patres de eodem coniugio mystico Christi & ecclesię p cōmunione corporis in sacramento, consumato meminerit Theodoretus Greg. Nyss. Chrys. Ephræm, fulgētius. Bernardus.

" pretatur, Osculetur me osculo oris sui, Nec vero, inquit
offendi quis debet verbo osculi,siquidem in ipso sacramēti tempore membra sponsi nos accipimus, osculantur &
" amplectimur,& veluti sponsali coniūctione cum eo copu-
" lamur. Gregor. quoque Nyssen.in Coment. Cantico Canticorum cap. 5.de coniugio isto Christi & Ecclesię per cōmunionem corporis Christi in sacramento altaris meminit, explanans enim illū locum, Vox fratuelis mei pulsat
" fores, aperi mihi soror mea proxima mea. Comparat nos
inquit, dn̄s cum angelis, siquidē vigilāter Deo pareamus,
" & vos, vt ait dominus, similes hominibus, expectanti-
" bus dominum suum,quando reuertatur à nuptijs vt cum
" venerit & pulsauerit, confestim aperiant ei. subiungit de-
" inde Gregorius,scilicet factis nuptijs,& in thalamum my-
" steriorum admissa iam sponsa (qui enim sponsam habet,
" sponsus est, ait Ioannes) expectabant angeli reditum Re-
" gis Ecclesię ad naturalem beatitudinem & gloriam. His
" ergo dixit dominus debere esse similem vitam nostram.
Hactenus Gregorius. Thalamum mysteriorum vocat altare, ad cuius participationem qui admittuntur, cū eis tanquam cum sponsa Christus sponsus nuptias per communionem corporis sui in mysterio celebrat. Hinc B.Chrysostomus in homil. in illud, Astitit regina à dextris tuis in
" vestitu deaurato describēs dotem sponsæ Ecclesię de spōso Christo, in duas, inquit, diuisit dotem eius, alia quidē
" dedit ei ἀντὶ ἀῤῥαβῶνος alia vero promisit ei in futuro. quid

ci

„ ei dedit? Dedit, inquit, ei veniam peccatorum, remiſsionẽ
„ ſupplicij, iuſtitiam, ſanctificationẽ, redemptionem, σῶμα
„ δεσποτικὸν, τράπεζαν θείαν πνευματικὴν, ideſt, corpus dominicũ
„ menſam diuinã, ſpiritualẽ. Hęc omnia habebant Apoſto-
„ li, igitur alia quidem dedit; alia vero promiſit, καὶ τὰ μὲν
„ ἐν πείρᾳ ἦν καὶ ἀπολαύσει, τὰ δὲ ἐν ἐλπίδι καὶ πίστει καὶ ἀκοῇ.
„ id eſt, & illa quidem, ſcilicet quæ dedit, in experiẽtia erãt
„ & fruitione; hæc vero in ſpe & fide, & auditu. Rurſus per-
„ cunctatur. Quid dedit? baptiſma, inquit, & ſacrificium, hęc
„ in experientia. Vide, quid pollicitus ſit, reſurrectionẽ mor-
„ tuorum, immortalitatem, coniunctionem & chorum cum
„ angelis, viuere cum ipſo vitam ab interitu liberam, bona
„ quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor homi-
„ nis aſcenderunt. Hactenus Chryſoſtomus. Item B. Bern. in
„ ſerm. de cœna domini, In terra, inquit, ſponſum habes in
„ ſacramento, in cælo habiturus ſine velamẽto. Præterea S.
„ Ephrẽ Syrus in ſermone de Iudicio, Nam ſi procul, inquit,
„ à nobis eſt Siloa, ad quam miſſus eſt cœcus, ſed pretioſus
„ calix ſanguinis tui plenus vita & lumine nobis in proxi-
„ mo eſt, tanto propinquior, quanto qui acceſſerit purior
„ fuerit. hoc ergo reſtat nobis miſericors Chriſte, vt pleni
„ gratia & illuminatione gratiæ tuæ accedamus ad calicem
„ tuum, vt proficiat nobis ad remiſſionem peccatorum, nõ
„ ad confuſionem in die iudicij: quia quicunque myſterijs
„ tuis indignus acceſſerit, ſuã animam ipſe condemnat, nõ
„ ἁγνίζων, id eſt, caſtificans ſe, vt cæleſtem Regem atque im-
„ mortalẽ ſpõſum ſui pectoris puriſſimi ſuſcipiat thalamo.
„ nam anima noſtra ſponſa eſt immortalis ſponſi. copulæ
„ autem nuptiarũ cæleſtia ſacramenta ſunt, quia cũ mandu
„ camus eius corpus, & ſanguinẽ bibim⁹, ipſe in nobis eſt, &
„ nos in eo. Attende ergo teipsũ frater: feſtina vt thalamũ
„ cordis tui iugiter virtutib⁹ exornes, vt mãſionẽ cũ benedi-
„ cto patre apud te facias, & cæt. Item B. Fulgentius lib. 2. ad
„ Monymum. Quando autem, inquit, congruentius quàm
„ ad conſecrandum ſacrificiũ corporis Chriſti, ſancta Eccle
„ ſia, quæ eſt corpus Chriſti, ſpiritus S. depoſcat aduentum,

CC quæ

„ quæ ipsum caput suum secundũ carnem de spiritu S. no-
„ uerit natum? & paulo post. & ob hoc necessarium nobis
„ est, vt sicut ex spiritu S. natus est Christus, sic Ecclesia dono
„ spiritus S. adhæreat Christo tanquam mulier viro suo, &
„ tanquam corpus capiti suo. Dono spiritus S. dixit, cuius aduentus, vt paulo supra dixit, poscitur ad consecrandum sacrificium corporis Christi, vt in hoc Ecclesia adhæreat Christo tanquam mulier viro suo. quod magis adhuc idẽ Fulgentius declarat Apostolum citans, cum statim subiũgit, Dicit enim Apostolus, quia Christus caput est Ecclesiæ
„ ipse saluator corporis eius. & iterum, quia mẽbra sumus
„ de carne eius & de ossibus eius. propter hoc relinquet ho
„ mo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ; & erũt duo
„ in carne vna, quod exponens adiecit, sacramentum hoc
„ magnum est. Ego autem dico in Christo & in Ecclesia. Hactenus Fulgentius. scilicet sacramentum magnũ exposuit Paulus auctore Fulgẽtio, illud, in quo Ecclesia dono spiritus S. adhæret Christo tanquam mulier viro, sacramentũ dico sacrificij corporis Christi, ad cuius consecrationem poscitur aduentus Spiritus S. vt idem Fulgentius dixerat. Iam ergo accersendi sunt hic Metonymici nomine Ecclesiæ expilatæ, & dotis eius surreptę. pro arrabone enim, vt paulo ante dixit Chrysostomus, non figuram corporis sui dedit sponsus sponsæ, sed corpus suum, quod isti tollunt, & surripiũt. ac ἐν πράγματι καὶ ἀπολαύσει dedit, vt loquitur idẽ Chrysostomus, id est, vt nos loquimur, re & veritate dedit; non ἐν πίστει καὶ ἀκοῇ. non inquam, in fide & auditu tantũ, quasi non adsit, hoc enim facit figuram corporis qui dat pro corpore; scilicet in fide solũ, & in auditu corpus dat, dum non concedit adesse corpus, quod adest. Obieci Metonymicis crimen expilationis Ecclesiæ; quia Ecclesiæ dotem diripiunt. Nunc crimen obijcio parricidij; fame enim & siti nouam Euam, Ecclesiam dico matrem viuentium enecant. cum enim dicat Apostolus, neminem vnquam carnem suam odio habuisse, sed nutrire, & fouere eam sicut Christus Ecclesiam, scilicet nutrit & fouet, vt sæpe di-

Quomodo Metonymici hæretici ecclesiã expilant: & dotẽ eius surripiunt.

Quomodo hæretici Metonymici parricidę sunt ecclesię.

ctum

ctum & subauditum est, an non cogitant Ecclesiæ sponsæ Christi parricidium, qui spōsi alimentum ei denegāt? Apostolus dicit Christum nutrire Ecclesiam, isti contra, Christum non nutrire; Ergo nō viuit Ecclesia. quomodo enim viuit, si non alitur? aut quomodo alitur, si non capit orē alimentum? Sed audio hæretice, quod ex disciplina Caluini respondes, Ore, inquis, spiritus extra panem capit alimentum, id est, substantiam corporis & sanguinis Christi, quorum sunt efficacia signa panis & vinum; ore autē corporis non capit: nec enim potest. At si alimentū quo Christus nutrit Ecclesiam, non potest ore corporis capi; & alimentum, quo vir vxorem nutrit, potest, igitur diuersi generis sunt. quomodo ergo Apostolus inter se comparat: quæ enim diuersi generis sunt, non comparantur. Christus igitur Ecclesiam, quæ sumus nos, nutrit carne propria & sanguine in quæ cum in hoc mundo esset, panem & vinū more nostro comedēs, sicut nos mutabat; idcirco Apostolus panē, quo vir alit vxorē, cum carne Christi, qua Ecclesiam nutrit, comparat, quia in carne & pane vnius generis substantia est, vt Magnetes Græcus & grauis auctor in ijs dixit, quæ in primo tractatu de hoc sacramento diuine ab
„ eo tractata recitaui. cum ergo dixit Apostolus, Nemo vn-
„ quam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam, sicut Christus Ecclesiam; scilicet nutrit & fouet vtrumque enim ἀπὸ κοινοῦ repetendum est, alimentum, quo vir vxorē suam, & alimentum quo Christus Ecclesiam nutrit, licet ille corporaliter, hic spiritualiter, vtrumque quidem corporeum esse, & vtrumque ore corporis capi, plane docuit; alioqui nunquam illa cōparare potuisset. Rursus adhuc si Christus nutrit Ecclesiam, quia sumus membra corporis eius, de carne eius & de ossibus eius, ergo quia miscemur corporaliter cum diuina carne eius, & cum ossibus eius, ideo participes spiritus & diuinitatis eius efficimur, quod est nutriri. nō igitur ore spiritus, sed ore carnis cibū istum, quo nutrimur, in sacramento capimus. cibus enim qui ore tantum spiritus, & non ore carnis sumitur, nō mi-

Argumentatio ex verbis Pauli qua cōcluditur ore capi alimentum, quo Christi spōsam ecclesiam nutriat, qđ non potest esse nisi corpus eius diuinitate plenum, quod solum potest animas nutrire.

ſcetur cum comedente, vnde Marcus Anachoreta magni nominis auctor, & ætatis B. Hieronymi, interpretans illum
„ Pauli locum, omnes vno ſpiritu potati ſumus, vt vinũ, in-
„ quit, miſcetur cum bibente, & qui bibit eſt in vino, & vi-
„ num in eo; ſic ſanguis Chriſti miſcetur cum bibẽte, & per
„ ipſum efficitur qui bibit, particeps ſpiritus Dei. Hactenus de loco Apoſtoli in Epiſt. ad Epheſios, qui quantum arbitror, ita reuincit hæreticos, vt ſolus ad hanc hæreſim conuincendam ſufficere poſſit.

Diſputatio cõtra Metonymicos ex epiſ. ad Coloſs. c. 3. quòd per communionem corporis Chriſti in ſacramento vocati ſumus in pacem in vno corpore: & explicatio Dionyſii de oſculo myſtico in ſacrificio Miſſæ ad locum Pauli pertinente: & quid differat induere Chriſtũ ab eo, quod eſt fieri corpus Chriſti: & quomodo Metonymici non poſſunt eſſe grati, quod Apoſt. præcipit hic, dicens, grati eſtote. quomodo comedere corpus Chriſti ſine ore, ſine dentibus, ſine palato, ſine ſtomacho, quod Metonymici in ſuo ſacramentali pane introducunt, ad hæreſim Manichæorum pertinet, & ad hæreſim illorum, qui aiebant; angelos qui Abraæ apparuerunt, vere pranſos eſſe.

CAP. VIII.

DE hac etiam vnione noſtra ſpirituali & corporali in vno corpore loquitur idem Apoſtolus in epiſt. ad Coloſs. c. 3. cum ait, pax Chriſti exultet in cordibus veſtris, in quam & vocati eſtis in vno corpore; & grati eſtote. Ad hunc locum pertinent, quæ Dionyſius in cap. de communione ſcribit. interpretans enim quid illud myſticum oſculum ſymbolum pacis, quod in ſacrificio Miſſæ fieri ſolet, ſignificet, quia non poſſunt, inquit,

Explicatio Dionyſii, quid myſticum oſculũ in Miſſa ſignificet.

„ ad vnum aggregari, neq; pacificam vnionem cum vno il-
„ lo conſequi, qui ſecum inter ſe diſſentiunt. etenim ſi con-
„ templatione, ac cognitione vnius illuminati ad congre-
„ gationem diuinam adiungamur, & ea in vnum copule-
„ mur, non patiemur in cupiditates partitas delabi; ex qui-
„ bus ſimilia odia terrena, & perturbata, quæ naturæ ratio-
„ nis compoti inſita ſunt, gignuntur. Hanc igitur, vt arbi-

tror

» tror, vnam & simplicem, & non distractam vitam sacer ri-
» tus pacis factæ sanxit, simili simile firmans, & à diuisis di-
» uina; & simplicia disiungens. Hactenus Dionys. pacem
itaq; hoc loco vocat Apostolus vitam non diuisam, neq;
distractam cupiditatibus, & odijs; in quam pacem vocati
sumus in vno corpore, quia ob eam rem participes com-
munionis corporis Christi efficimur, vt hanc pacem cum
Deo, & nobiscum stabiliamus; idest, vt vita nostra non sit
partita & distracta, sed cum Deo vnita. Sequitur in Apo-
stolo. Et grati estote; pro quo græce est, εὐχάριστοι quod
ab Eucharistia ductum est. quod nomen quid hic decla-
ret, ex eodem Dionysio intelligi potest; cum loquens de
gratiarum actione, quæ Eucharistia etiam dicitur, post sa-
crificium Eucharistiæ eos, qui propter turpem vitam non
fuerũt facti participes mysteriorũ, remanere ait ἀχαρίστους,
hoc est, sine gratiarũ actione, qua sunt natura sua digna;
cõtra vero, qui digna participatione altitudinẽ & magni-
tudinẽ Eucharistię cognoscẽt, hi inquit laudes eius εὐχα-
ρίστως, id est, grata memoria celebrabunt. Videtur inter-
pretatus Dionysius rationẽ nominis Eucharistiæ, à gratia-
rum actione, qua digna sit natura sua, & qua prosequen-
da est, ductam esse. Vnde hic Apostolus, quia dixerat vo-
catos nos esse in pacem in vno corpore, illo scilicet, cuius,
vt paulo ante explicaui, dixit in epist. ad Corinthios; cor-
pora nostra esse membra, & de quo rursus in eadẽ epist.
» ad Cor. vnum, inquit, corpus sumus omnes, qui de vno
» pane participamus, hæc autem est S. Eucharistia; ideo
subiungit, εὐχαριστεῖτε, id est, grati estote siue gratias agi-
te. Hinc constitutio Apost. lib. 7. Clementis cap. 25. sic,
præcipit gratias agere pro S. Eucharistia; εὐχαριστοῦμεν,
» inquit, id est, gratias agimus Pater noster pro sanguine Ie-
» su Christi pro nobis effusi, & pro pretioso corpore eius,
» cuius hęc sacramenta celebramus. Cum igitur Colossen-
» sibus dicat Apostolus, & in eis dicat omnibus fidelibus,
» pax Dei exultet in cordibus vestris, in quam vocati estis in
vno corpore: in vno inquam corpore, quod estis vos; sic
enim

Vnde nomen Eucharistię du-ctũ uideatur secundũ Dionysium, & apostolicam constitutionem.

enim intelligi voluit, vt tale sit, quale est illud, quod modo dixi ex epist. ad Corinthios, vnum corpus sumus omnes, qui de vno pane participamus, Percunctemur Metonymicos, quod istuc sit vnum corpus, quod ipsi sunt, in quo vocati sunt in pacem istam? An respōsuri sunt, quod Apostolus Galatis scripsit, Quicunq; in Christo baptizati estis, Christum induistis? At non dixit, Vnum corpus Christi facti estis, sed Christum induistis. Christum scilicet induerunt, quicunq; spiritum Christi, qui indiuisibilis est, acceperunt, per quem facti sunt participes mortis, & resurrectionis eius, qui propter nos factus est homo, & mortuus & resuscitatus. corpus vero Christi facta est Ecclesia per participationem veram vnius corporis Christi in sacramento corporaliter communicati, quod hęretici tollunt. ex quo fit, vt isti non sint vocati in pacem, sed in sectas & in cōtrouersias de fide, de sacramentis, de dogmatibus doctrinæ catholicæ, qui sunt non εὐχάριστοι, id est, grati, vt Apostolus esse præcipit iis, qui in vno corpore vocati sunt in pacem & vnionem; sed ἀχάριστοι id est, ingrati. quid enim magis ingrati animi esse potest, quàm non agnoscere, sed negare diuina munera, & dona pretiosi corporis, & sanguinis domini, in quæ desiderant angeli aspicere? quid inquam magis ingratum esse potest, quàm recusare summam cum Christo vnionem? quam non solum in spiritu suo, sed etiam in corpore suo facere voluit, in quo summā ad extremū charitatem in nos effudit. Dic mihi hæretice, cum Paulus dixit Colossensibus, vocatos esse in pacem in vno corpore, vt hunc locum etiam atque etiam contra te vrgeam & premam, Dic, inquam, hæretice, nisi ingens beneficium commemorasset, inquiens vocatos esse in vno corpore, subiunxisset continuo, Grati estote? quod quidem nusquam aliàs in epistolis suis hoc modo scripsisse reperitur. certe quidem hanc consuetudinē nos habemus, vt inter nos magnis beneficiis acceptis, gratos nos esse moneamus, & hortemur. Figura vero corporis & sanguinis dare quid istuc summi beneficij erat? aut

Quomodo hęreti. i Metoni, mici non sūt uocati in pacem in uno corpore, secundum auctoritate Apostoli.

Quòd aliud sit induere Christum, aliud fieri corpus Christi.

Quomodo Metonymici non εὐχάριστοι quod Apost. pręcipit.

Quomodo nihil potest esse magis ingrati animi, quàm negare dona maxima preciosi corporis, & sanguinis domini in sacramento.

Vbi dixerit Apostolus, Grati estote, & nusquam aliàs in epistolis suis.

aut quid beneficij eſt dare ad comedēdum, quod credas te comedere, neque vere tamen comedas? aut quomodo iſtuc non potius erat illudere? ſubſtantiā corporis & ſanguinis Chriſti comedere & bibere in fide per ſpiritū? An non eſt inſtar ænigmatis, immo ſomnij & viſionis comedere ſine inſtrumento corporali? comedere inquam, ſine ore, ſine dentibus, ſine palato? Sic Manichæi, vt carnem Chriſti negarent, aiebant, diuinitatem Chriſti ſine carne comediſſe & bibiſſe; quorum hæreſim illi heretici reuocabant, contra quos Athanaſius ſcribit, qui aiebant tres illos angelos, qui Abrae ſpecie humana apparuerunt, natura comediſſe; vt ſimiliter de diuinitate Chriſti ſecundū Manichæos habendum eſſet. fauet ergo adiutrixque eſt huic hæreſi Caluini diſciplina, quę ore ſpiritus ſubſtantiam corporis & ſanguinis domini edi & bibi tradit. Atqui non viſos eſſe illos angelos prandere, cū alioqui corpore carerent, ſed vere pranſos, ſi hoc erat περιδεῖσθαι, vt ait B. Athanaſius; Dicamus nos prodigij ſimile, quomodo non magis erit prodigij ſimile, ſubſtantiam corporis, „ & ſanguinis comedere & bibere ore ſpiritus? τίς μετουσία „ πνεύμασι τροφῆς αἰσθητῆς, ait idem Athanaſius in illos iſtius „ prodigij auctores & patronos, id eſt, qui conuenit ſpiritibus „ incorporeis cibus ſub ſenſum cadens? ſic in iſtos dicendum eſt, Qui conuenit corporeis os incorporeum? in illo enim eſt, incorporeos corporee comedere; in hoc, corporeos incorporee. Æqua eſt vtrobiq; repugnantia; par in vtroq; monſtrum, comedere incorporeos natura & non falſa viſione & ſpecie: & comedere corporeos non natura, ſed falſa viſione & ſpecie.

Comedere ſine ore, ſine palato, ſine inſtrumento ullo corporis, ad quod Metonymici tradunt, ad inſtar ſomnij eſſe.

Quomodo Caluini diſciplina de corpore Chriſti, quod dicit comedi tantum ore ſpiritus, & nō carnis, hereſi Manichæorum fauet.

Monſtrum eſſe incorporeos non uideri comedere, ſed uere comedere: & corporeos nō uere comedere, ſed uideri.

Ex epiſtola ad Theſſal. de loco, in quo Theſſ. obteſtatur Apoſt. per noſtram congregationem in Chriſtum, quomodo per participationem carnis Chriſti in ſacramento communicatæ congregamur in vnum corpus Chriſti indiuiſibile; & quòd ex eo dicta ſit communio, & ſynaxis: & quomodo ſecundum Metonymicos non plus coniunctionis cum Chriſto efficiat Eucbariſtia quàm baptiſmus: & vnde intelligi poſſit quantam vim habeat contactus carnis Chriſti viuificæ: & quare obteſtatus eſt

Thessalon. per congregationem istam in Christum, id est, per sacram communionem;

CAP. IX.

Pergamus deinde ad epistolam Pauli ad Thess. in qua Thessalonicenses, vt re grauissima per eam vnionem obtestatur, quæ maxima, & excellentissima nobis est cum Christo in vno corpore, Rogamus inquit, vos fratres per aduentum domini nostri Iesu Christi, & nostram congregrationem in ipsum, vt non cito moueamini à vestro sensu, neque per sermonem, neque per epistolā tanquam per nos missam, quasi instet dies domini, &c. cum rogat, & obtestatur per aduentū domini nostri Iesu Christi, per ipsum dominum nostrum Iesum Christum, qui ventturus est (quo nihil maius esse potest) rogat, & obtestatur. Similiter cum rogat per nostram cōgregationē in ipsum, per ipsum quoque dominum nostrum, in quem congregamur, rogat; congregamur scilicet in eum, cum per S. Eucharistiā, quæ, vt Dionysius ait, inde κοινωνία & σύναξις, id est, cōmunio & cōgregatio dicitur, id est p participationem carnis Christi viuificæ in sacramento communicatæ vnum corpus Christi indiuisibile efficimur. quod B. Ignatius in epist. ad Ephes. vocat manere in Christo σαρκικῶς καὶ πνευματικῶς, id est, carne & spiritu, ad qđ Ephesios hortatur. Talem coniunctionem, quam Græci, vt alio loco dixi, συνάφειαν appellant, ecclesiastici scriptores contactum dicunt, non habent Metonymici. quomodo enim coniunctionem hanc habere possunt cum corpore Christi viuifico, si corpus Christi corporali ore sumi, & realiter nobiscum sub speciebus vniri negant? Panis igitur sacramentalis Metonymicorum non est Eucharistia: quia neque cōmunio, aut synaxis dici potest. siquidē ipsos illos, qui participant, in vnum corpus Christi non congregat realiter, sed vt ipsi putant, tantum spiritualiter, vt non plus efficiat hoc sacramentum secundum disciplinam Caluini, quàm Baptismus, siquidem nullam aliam vnionem cū Christo & inter se sibi reliquerunt, nisi spiritualem; qui nec hanc qui

Quid sit in epist. Pauli, nostra congregatio in Christum, per quā obtestatur Thessalonicenses.

Vnde sancta Eucharistia κοινωνία & σύναξις dicatur.

Quomodo panis Metonymicorum sacramētalis, ut ipsi uocant, non possit esse Eucharistia quia nō est κοινωνία neque σύναξις & quare non sit σύναξις uel κοινωνία.

Quomodo secūdū disciplinā Caluini nō plus

quidem habent, aut habere possunt, quandiu secundam negant, & oppugnãt ὡς ἀχάϱισοι, id est ingrati. Quòd si hæretici parui ęstimant vnionem istam corporalem cum carne vitæ, & viuifica, cogitent, si tantam vim habuit tactus fimbrię in Hęmoroissa, & tactus loculi in adolescẽte illo suscitato, & tactus ossium Elisęi in cadauere ad vitã reuocato; quanto maiorẽ habebit sumptio carnis Christi? nec enim fimbria vestis Christi viuifica erat. neque loculus
„ ille, nec ossa Elisæi, vt erat caro ipsius vitę, quam qui mã-
„ ducat, ego inquit, resuscitabo eum, in nouissimo die. Illud quoque nõ est dissimulandũ, cur Paulus hoc loco Thessalonicenses obtestatus sit per congregationem istam, quæ iam explicata est, quæ, in vnum corpus Christi fit, quo magis sapiẽtia Pauli admiratione digna est. mihi enim videtur meminisse hic de congregatione ista in Christũ, quæ fit, vt dixi, per sacramentum Eucharistiæ. intuens in prophetiam Danielis, qui prophetans de aduentu Antichri-
„ sti cap. 12. & à tempore, inquit, cum ablatum fuerit iuge
„ sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem
„ dies 1290. abominationẽ desolationis vocauit Antichri-
„ stum, vt veteres interpretes notarũt; & pręd ixit, quanto tẽpore duratura esset Ecclesię ab Antichristo calamitas, & ecclesiastici sacrificij perturbatio. Prædixit deinde futuram esse consummationem sæculi & aduentum domini. Igitur ne Thessalonicẽses in errorẽ ab alijs inducerentur, quasi instaret dies domini, cum aderit ad iudicandum in secũdo aduẽtu, sapiẽtissime hac obtestationis forma Thessalonicenses admonuit, nõ prius futurum esse, vt instaret Dies domini, quàm sublatum esset sacrificium Ecclesiæ iuxta prophetiam Danielis. quare non oportere eos terreri, quasi instaret dies domini, vt quidam tunc iactabant, siquidem vigeret adhuc religio, & cultus mystici sacrificij, cuius participatione in vnum Christi corpus, congregamur, ac coniungimur.

coniunctionis cũ Christo efficit Eucharistia, quã baptismus.

Quantam vim habeat contactus viuificę carnis Christi.

Quare Paulus per congregationem, quę fit in Christũ per participationẽ scilicet corporis eius obtestatus sit Thessalonicenses, ne ijs crederent, qui diem domini, id est, secundum aduentũ instare dicebant.

Disputatio contra Metonymicos ex epistola Pauli ad Hebræos c. 10. & quomodo necesse fuit, vt in ea Paulus, de corpore Christi, quod in sacramento est, & immolatur, meminisset: & quare reliquit se nobis Christus in sacramento, & quis inde fructus: & qui auctores viam nouam & viuentem, quæ sit fiducia ad ingrediendum in cælum, de sancta Eucharistia à Paulo dictũ esse interpretati sint: & quõ hic locus Apostoli redarguat & conuincat hæresim istam metonymicam: & de vocabulo vix, quo vsus est in Eucharistia Paulus: & quomodo inde rursus redarguitur metonymia hæreticorum. item de præparatione accedendi ad Eucharistiam cum vero corde, & plenitudine fidei.

CAP. X.

VEniamus iam ad epistolã ad Hebræos, differamusque de ea aduersus Metonymicos, Habentes itaque inquit, fratres fiduciã in introitũ sanctorum in sanguine Christi, hoc significabat in ænigmate, & typo quod in Exodo de agno illo vetere scriptum est, sument, inquit, de sanguine eius, & ponent super vtrumque postem, & in superliminaribus domus, in quibus comedent illũ, significabat, inquam, allegorice, nulli patere aditum in domũ cælestem, & in sancta illa non manu facta, nisi per sanguinem agni immaculati, quem fideles in ecclesia, quę est domus Dei, comedunt, cuius figura, & vmbra erat agnus ille Mosaycus, in quem typum Paulus intuebatur. sequitur in epistola, quam initiauit nobis viã nouam, & viuẽtem per velamen, idest, carnem suam, & sacerdotem magnum super domum Dei, accedamus cum vero corde, & plenitudine fidei aspersi corda à conscientia mala, & abluti corpus aqua munda. Qui locus, vt appareat, quàm commode, & opportune de sancta Eucharistia inductus sit, considerare oportet, quomodo cũ tã frequens, & potissima tractatio de Christi sacerdotio, & sacrificio in cruce facto in epistola ad Hebręos habeatur, nõ potuit Apostolus, immo neq; debuit sic sacrificiũ illud, & sacerdotiũ tractare, quin sæpius, nõ tãtũ semel de sacrificio mystico, qđ in illius cruẽti cõmemorationẽ fit, meminisset. igitur quia multa Paulus de illa vna oblatione in cruce dixerat; quod semel ad exhaurienda

hauriēda multorum peccata oblatus esset; quòd vna illa oblatione consummasset in æternum sanctificatos, quod vbi est peccatorū remissio, iā non esset oblatio pro peccato; deinde ne quis errore lapsus, nullo iam deinceps modo sacrificium relinqui falso existimaret, docuit statim de mystico sacrificio corporis & sanguinis Christi,& de sacerdote illo magno sedente nunc super domum Dei,quæ est Ecclesia Dei viui: itē quomodo, aut quā præparatione ad sacramentum huius diuinę hostię accedendum esset: tum quę pœna eis proposita esset, qui indigne accederent, nō diiudicantes corpus & sanguinē Domini: præterea de studio frequentandi domum Dei,in qua hoc sacrificium fieret, & participaretur. Igitur habentes, inquit,fiduciam in introitum sanctorum in sanguine Christi.quam vero fiduciam dicat, declarat,cum subiungit,quam initiauit in nobis scilicet Christus viam nouam & viuentem per velamē id est,carnem suam. Rursus vero,quæ sit ista fiducia,& via noua, & viuens per velamen, id est, carnem suam, à Christo initiata,declarat adhuc magis more suo Paulus,subiūgens, & sacerdotem magnum super domum Dei. non dixit sacerdotem magnum super crucem. ibi enim sacerdotio quoque functus est: neque super cælum, nam in cęlo etiam fungitur sacerdotio; introiuit, enim in cælum,sicut idem Paulus ait, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis, sed dixit, sacerdotē magnum super domum Dei,intuēs in Ecclesiam, quæ est domus Dei viui, sicut ad Timotheum scripsit. Christus ergo qui in sacramento Eucharistiæ est sacerdos & idem hostia,idem offerens & oblatus,& sacerdos magnus super domū Dei, quia ipsum dedit Deus caput Ecclesiæ,vt est in epist. ad Ephes. sic dixit idem Apost. in eadem epist. ad Hebr. cap. 3. comparans Christum cū Moyse,vt dominum cum famulo, & Moyses quidē fidelis erat in domo sua tāquam famulus in testimonium eorū quę dicenda erant; Christus vero tanquam filius ἐπὶ τὸν οἶκον αὐτοῦ, id est, super domum suam, quę domus sumus nos. Hic inquam Christus, qui in sacramento est magnus

Quomodo necesse fuit, vt Paulus in epist. ad Hebræos de sacrificio mystico corporis Christi meminisset.

ſacerdos ſuper nos, eſt factus idem ad ingrediendum in cælum via viuens, quam ipſe nouam fecit in nobis. hoc enim ſignificat ἐνεκαίνισεν ἡμῖν. Sed quomodo fecit? per velamen, inquit, id eſt, per carnem ſuam, in qua tanquam ſub velo latebat diuinitas. ipſe enim dixit propter diuinitatem ſuam vnitam cum carne, „ Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. ſic hanc viam nouam, quia noui teſtamenti eſt, fecit in nobis, qua in cælū penetrare poſſemus ad degendum vitam ſempiternam cum ſanctis, quicūque ipſius ſanguine redēpti fuerimus. vt enim confideremus, eſſe nos p ſanguinē Chriſti in cruce profuſum redēptos, nobiſq; aditū in cælos patefactū, reliquit ſe nobis in ſacramēto, vt eſſet ſacrificiū Eccleſię Deo Patri acceptabile, & memoriale ſui ipſius in cruce oblati, atq; pign⁹ & ſpes firma, ac fiducia certa, qđ illa vna oblatio ſemel p ſanguinē crucis pro nobis facta, eſſet noſtra redēptio, & ſal⁹ ęterna, ſi modo vitę & mortis eius memores, eū imitaremur, & vitā eius imitātes per participationem carnis eius, ſicut ipſe inſtituit, & præcepit, digne tempore ſuo manducantes cū ſpiritu eiuſdem vniremur. Sed ne quis loci huius interpretationem à me excogitatam & inuentam exiſtimet, legat Miſſam à B. Iacobo fratre domini in Eccleſia Hieroſolymitana relictam, quæ Græce extat, cuius meminerunt auctores Canonum ſextę Synodi, & plerique alij veterum Patrum. In ea igitur cum ſacerdos gratias pro myſtico ſacrificio S. Euchariſtię agit, ſic ait, „ Gratias tibi ò Domine „ agimus ꝙ nobis fiduciā dederis in introitu ſanctorū, quā „ initiaſti nobis viam nouam & viuentem per velamen car„ nis Chriſti tui. En locus Apoſtoli ad ſacramentum diuinę Euchariſtię grauiſſima & apoſtolica auctoritate, ipſius Pauli verbis plane relatus. Theodoretus quoq; cum hunc locum in Commentariis ſuis explanat, licet non totum, tamen aliqua ex parte eodem retulit. Illud enim quod ibi Apoſtolus ait de via, quam initiauit in nobis, per velamen, id eſt, carnem ſuam, his verbis de carne Chriſti in ſacra-

Quare reliquit ſe Chriſtus in ſacramento; & qui inde fructus, & utilitas exiſtat.

Qui ſint auctores huius interpretationis loci epiſ. Pauli ad Heb de ſacramēto corporis Chriſti.

„ sacramento interpretatur, Velum, inquit, vocauit corpus
„ Christi, quod vt Pontifex per catapetasma, id est, velum,
„ ingrediebatur in Sancta Sanctorũ, nec aliter ingredi po-
„ terat; sic qui in Dominum crediderunt, per communio-
„ nem sacrosancti corporis, cælesti vita potientur. Sic quo-
que S. Thomas Theodoretum secutus in comment. cap.
„ 10. lecti. 2. vel per velamen inquit, id est, per carnem suam
„ datam nobis, sub velamento speciei panis in sacramẽto:
„ non enim proponitur nobis sub specie propria ꝓpter
„ horrorẽ & ꝓpter meritũ fidei. Hactenus S. Thomas. De ea-
dẽ sancta Eucharistia hunc locũ nostra ętate accepit Nico-
laus Villagagno Gallus erudit⁹, & acutus auctor in libro
de venerãdissimo ecclesiæ sacrificio, quẽ cõtra Caluinistas
ante annos sedecim edidit. Vocemus igitur nũc Metony-
micos ad rationem disputandi, & ad certamen iudicij lo-
ci huius. Dicant nobis si quam viam habent ipsi nouam
& viuentem in seipsis per carnem Christi, qui carnẽ Chri-
sti cælo includunt? & tantũ à se distare profitentur, quan-
tum cælum à terra? sin minus hanc habent, igitur nõ ha-
bent fiduciam in introitum sanctorum in sanguine Chri-
sti. Hæc enim omnia vna complexione Paulus deuinxit:
nec habent sacerdotem magnum super domum Dei, quæ
est Ecclesia, qui eos in Sancta Sanctorum non manufacta,
id est, in cælum introducat per velamen, id est, carnem
suam, sicut vetus Pontifex per catapetasma, id est, vela-
men in Sancta Sanctorum Tabernaculi manufacti ingre-
diebatur. Illud præterea obseruatione dignum est, quàm
apposite ad vim, quam habet sancta Eucharistia, verbo
viæ Paulus vsus est hic, cum Eucharistiam vocat viam, vn-
de antiqui Patres græce ἐφόδιον latine viaticum vocare cõ-
sueuerunt, quod hoc cibo nutriamur, & roboremur ad
ambulandum viam spiritualem vsque ad montem Siõn
cælestem. Imitatus vero est Prophetam Apostolus, cum
sic vocauit. Dauid enim Psalm. 49. cum de cessatione sa-
„ crificiorum cruentorum veteris legis prophetaret, Nun-
„ quid, ait, carnes taurorum manducabo? aut sanguinem
hirco-

Quomodo auctoritate Pauli cõuincitur, nõ habere Metonymicos fiduciam in introitum Sanctorũ in sanguine Christi.

Quare S. Eucharistia dicatur uia in scriptura.

Ἐφόδιον uocat Synodus Nicena prima. Can. xiij.

hircorum potabo? Ac rursus cum prophetaret de sacrificio incruento noui testamēti antiquis illis sacrificiis successuro, subiungit statim, Immola Deo sacrificiū laudis; & redde Altissimo vota tua; & quæ sequuntur; quæ antiqui Patres de sacrificio S. Eucharistiæ interpretati sunt. Ad extremum cum dixisset prophetice de hoc sacramento, sacrificium laudis honorificabit me, subiungit Psalmum claudens, illic iter, siue via, qua ostendam illi salutare Dei. illic, inquit, scilicet in sacrificio laudis. salutare Dei vocat immutabilem statum æternæ vitę cęlestis, ad quàm non magis peruenire potest sine Eucharistia, quàm ad locum aliquem sine via; aut via longa confici, sine viatico. Respondeant igitur rursus Metonymici, quomodo figura corporis Christi est ipsis viaticum, si nihil re & veritate comeditur, nisi panis? aut quomodo via viuens, si in eo non est vita? Iam vero ea, quæ sequuntur, magis adhuc superiorem interpretationem declarant, & confirmant; docet enim Apostolus, quomodo accedendū sit ad hunc sacerdotem magnum simul & hostiam, Accedamus inquit, quod græce est, προσερχώμεθα quod verbum in nouo testamento nunquam mente solum, ad ipsum accedere significat, sed corpore etiam. quod autem ait, cum vero corde, satis cum eo congruit, quod idem Apostolus in epistola ad Corinthios priore scripsit, cum ait, Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Verum enim cor vocat, quod Dauid ait Psal. 14. loqui veritatem in corde; & idem Apostolus in Epist. ad Ephesios cap. 4. dicit, ἀληθεύειν ἐν ἀγάπῃ id est, loqui veritatem in charitate; & B. Ioannes apertius, Diligere, non verbo & lingua, sed opere & veritate. Addidit autem, & in plenitudine fidei; quod in tam admirabili sacramento fide potissimum opus sit. quod satis superq; in Euangelio Ioannis in illo sexto capite admonuisse videtur Dominus, vbi cum vellet de hoc sacramento copiose differere, prius mentionem fidei tantopere frequentat. Est autem hic plenitudo fidei scire plenissime, id est, habere

Quomodo Metonymici neq; uiaticum, neq; uiam uiuentem habēt, quā Apostolus dicit.

Quid sit accedere ad S. Eucharistiā cū uero corde.

Quid sit accedere ad S. Eucharistiam cum plenitudine fidei.

bere pro certo & comperto, quòd potens est Deus facere, quæcunque se facere affirmat, & facturum promittit, sicut idem Apost. in epist. ad Rom. cap. 4. de Abraam scripsit, qui habuit huiusmodi plenitudinem fidei, qualem hic requirit. de illo enim ait eodem verbo vsus, vnde plenitudo
„ ista deriuata est, & in repromissione etiam Dei non hæsi-
„ tauit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam
„ Deo; plenissime sciens, quia quęcunque promisit Deus,
„ potens est & facere. Cũ plenitudine ergo fidei acceditur ad hoc sacramentum, cum pro certissimo & procul ab omni dubitatione habetur, quod Dominus affirmat, in-
„ quiens, Hoc est corpus meum; & quod promittit, cum ait,
„ Qui mãducat meam carnem & bibit meum sanguinem
„ habet vitam ęternam, & ego resuscitabo eum in nouissi-
„ mo die. Pręcipit itaque accedere cum plena fide, & cha-
„ ritate spirituali. Deinde quod sequitur, vt accedamus
„ aspersi corda à conscientia mala, & abluti corpus aqua munda, ad baptismum pertinet, qui est, vt Theologi dicunt, ianua sacramentorum; quo suscepto, si ij, qui baptizantur grandiores sunt, statim post baptismum ad sacramentum S. Eucharistię in Ecclesia nostra accedunt; in Ecclesia vero Orientis etiam pueri. Hoc quoq; loco Metonymicos rogabimus, quid ipsis opus est ista plenitudine fidei, vt accedant ad panem suum sacramentalem, vt vocant, in quo nullam transubstantiationem fieri credunt? aut quomodo licet credere, non ore carnis, sed ore spiritus corpus Christi absens, & cęlo inclusum, vt ipsi dicunt, manducari; cũ nusquam sic manducare pręceperit Christus; nec ipsi vnquã vbi hoc pręcipiat proferre potuerint?

Quomodo nõ opus sit Metonymicis plenitudine fidei, quã dicit Apostolus, ad accedendum ad panẽ suum sacramẽtalem, vt uocant.

Quàm apposite praeceptum dederit hoc loco Apostolus de non deserenda Ecclesia: & explicatio de hostia, quę non relinquitur voluntarie peccantibus, quomodo de hostia mystica accipiatur, & qui dicantur hic voluntarie peccantes; & quomodo hunc locum constitutio apostolica declarat, & consuetudo Ecclesiæ: & quare Apostolus de mystica hostia post illam cruentam meminit: et de ratione institutionis hostiæ mysticę, ex Dionysio: et quid sit, quod Ecclesia in oratione quadam dicit, opus

redemptionis in Missa exerceri, & de minis supplicij ei propositis, qui indigne communicat.

CAP. XI.

DEinde quia ad sacramentum S. Eucharistię in Ecclesiam conueniunt fideles, commodũ hortatur Apostolus, vt non desinant Ecclesiam frequentare, Nõ deserentes, inquit, collectionem vestram; sicut moris est quibusdam. ἐπισυναγωγὴν enim vocat, quam Ecclesiastici Patres synaxim nominant, id est, conuentũ, cum conueniunt in Ecclesiam fideles ad huius sacramenti celebrationem, quam Missam appellamus. sicut idem Apost. in Epist. ad Corinth. priore; Conuenientibus, inquit, vobis in vnum, iam non est Dominicam cœnam manducare. & Clemens Romanus lib. 2. cap. 68. Const. Apost. Iube, inquit, Episcope, frequentare Ecclesiam quotidie mane & vespere, & non ex toto deserere; quin potius conuenire assidue. hoc ipsum pręcipit hic Apostolus Sanctus quoque Marcus in Missa sua; & Iacobus etiam in sua; congregationem in Ecclesia vocant ἐπισυναγωγὴν sequitur, voluntarie enim peccantibus nobis, post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur hostia pro peccatis. quem prius vocauit sacerdotem magnum super domum Dei, quę est Ecclesia, quam hortatus est non deserere, vocat nunc hostiam, quę est Christus in sacramento S. Eucharistię, idem sacerdos, & hostia; offerens & oblatus; vt S. Patres tradunt. Nisi. n. de illo ipso loqueretur S. Apostolus, ad quẽ cũ vero corde & plenitudine fidei post baptismum accedere pręcipit, studentes fidei & bonis operibus & frequentationi Ecclesiæ, quorsum subiungeret tanquã causam, inquiens, voluntarie enim peccãtibus post acceptam notitiã veritatis nõ relinquitur hostia pro peccatis? Igitur hostia est ille sacerdos magnus, ad quem nõ solum spiritu, sed corpore etiam accedere oportet. hoc enim significat, vt dixi verbũ προσέρχεσθαι accedere, inquã oportet fide & bonis operibus ornatos, & nõ potius permanẽtes in peccato & à pœnitentia alienos, quod est volũtari pecca

Explicatio loci difficilis de hostia mystica corporis Christi secundum rationem antecedentiũ & consequẽtium.

peccare. non enim dixit, qui voluntarie peccauerunt, sed: qui voluntarie peccant, id est, qui permanent in peccato sine pœnitentia post acceptam notitiam veritatis, id est post illuminationem baptismi. istis enim non licet accedere ad hanc hostiam; nec hostia hæc offerri potest pro illis; nec in Ecclesia consuetudo est pro talibus offerre, cum manifestum est tales esse; immo eijciuntur ex Ecclesia. cuiusmodi sunt, quos Clemẽs Romanus lib. 3. cõstit. Apost. ait in persona Apostolorum, execrabiles esse apud Deũ, „ vt scortatores, fures, adulteros; qui viduas & pupillos op- „ primunt; qui custodias replent innocentibus; qui seruos „ plagis, fame, & dura seruitute inhumane afficiunt; & cęteri, quos in eodem loco enumerat. neq; solum ait execrabiles esse, sed eorum precibus Deum irritari, quamobrẽ vitãdas esse eorum hostias & oblationes. declarat autem magis adhuc paulo post, id est, cap. 8. idem Apostolicus auctor, quales nam sint isti, quos dixit, pro quibus sacrificium facere non licet, nec oblationes pro eis accipere. sic „ enim ait; Ab excommunicatis ne accipiatis, priusquam „ membra Ecclesiæ fiant. Hi igitur dicuntur, & sunt voluntarie peccãtes post acceptam notitiam veritatis, qui postquam cognouerunt opus sibi esse pœnitẽtia, scit Ecclesia velle ipsos manere in peccato, quibus, Apostolus ait, non relinqui hostiã pro peccato; sicut explicatum est. Vnde S. Timotheus Archiepiscopus Alexandrinus vnus ex Patribus secundi Concilij Constant. intuens in hunc locũ Pauli, sic scripsit in prooemio narrationis S. martyris Menæ „ Ægyptij, hostiam mundam quotidie offerri εἰς ἐπιστροφὴν „ καὶ μετάνοιαν τῶν πιστῶν in conuersionem & pœnitentiam fidelium dixit hic S. Pater & tantus auctor offerri hanc mysticam hostiam. quia scilicet, si qui postquam per sanctum baptismum semel fuerunt illuminati, & notitiam veritatis acceperunt, rursus peccauerint; neque potest eos Ecclesia ad Deum per pœnitentiam conuertere; non liceat pro talibus hanc mysticam hostiam offerre. quod est, voluntarie peccantibus non relinqui hostiam pro peccato.

Qui sint, qui dicuntur hic voluntarie peccare, quibus non relinquitur hostia pro peccato. & quomodo Cõstitutio apostolica hunc locum declarat.

Qui sint, pro quibus offerre in ecclesia sacrificium nõ licet, neque consuetudo est.

EE fateor,

fateor, verum quoq; esse, ne quis huic interpretationi de mystica hostia occurrat, non relinqui talibus hostiā cruentam, id est, reddere eos inutilem sibi mortem Christi in cruce. nemo enim potest hostiæ mysticæ particeps fieri, quin fiat illius cruentæ in cruce, cum sit vna & eadem hostia, neq; rursus illius cruentæ potest esse particeps, quin sit pariter huius mysticæ. Sed quia hæc mystica in commemorationē illius cruentæ, & ad participandum fructū ipsius instituta & relicta nobis est, idcirco Apostolus conuenienter antecedentibus, vt paulo ante docui, de hac mystica meminit hic, cum ait, voluntarie peccantibus post notitiā veritatis, non relinqui hostiam pro peccato: quod vt magis adhuc patefiat, meminisse oportet, ita Christum pro nobis mori voluisse, & mortem eius nobis prodesse, si modo cōplantati, sicut Apostolus ait, similitudini mortis eius, & resurrectionis per baptismum, in nouitate vitæ deinceps ambularemus; & vitam diuinam, ac cælestem, quam nobis ostendit, similitudine vitæ & mortis, quoad fieri posset, imitaremur. imitari autem, ait Dionys. Areopagita, cum de hac re in capite de communione philosophatur, quomodo poteramus, nisi renouata nobis sacris verbis & actionibus memoria operū diuinorum, sicut ait scriptura, Hoc facite in meam commemorationem? Vt ergo ad imitandum humilitatis exemplum, & capiendum patientiæ documentum, mortis Christi & sacrificij eius in cruce facti memores essemus, quotidie κτ̃ τ̃ ἀνάμνησιν, vt ait B. Methodius martyr in symposio decem virginum, id est, secundum commemorationem mori, & sacrificari voluit, & in nobis, cum eum manducamus, mystice sepeliri, vt Gregorius Nyssenus, & Ioannes Damascenus tradunt. Atque hoc quidem est, quod Ecclesia ipsa in precatione solenni, quam Dominica 9. post Pentecost. in Missa facit, dicere solet, Quoties commemoratio illius hostiæ celebratur, opus nostræ redemptionis exercetur: & in feriā 5. tertiæ Dominicæ Quadragesimę, Per hæc, inquit, veniat quæsumus Domine nostrę redemptionis effectus &c. quia scilicet

Quomodo nemo possit esse particeps hostię cruentæ, quin sit particeps hostię mysticę, & incruentæ, & quod hec ad participādū fructū illius instituta & relicta est.

Explicatio diuina Dionysii Areop. quę sit ratio institutionis sacramenti S. Eucharistię.

licet, vt ait Gregor. Naz. per incruentum ſacrificium participes Chriſti efficimur, & paſſionum eius, atq; diuinitatis. Illud etiam obſeruandum eſt, ſi vt Apoſtolus ait, voluntarie peccãtibus poſt acceptam notitiam veritatis nõ relinquitur pro peccatis hoſtia, neceſſario ſequi, vt non voluntarie peccantibus relinquatur, vt B. quoque Chryſoſtomus, Theodoretus & Theophylactus notarunt. ijs enim qui poſt baptiſmum quidẽ peccauerunt, ſed in peccatis permanere nolunt, quin potius pœnitẽtiam eorum capiunt, ab eiſq; recedunt, hæc hoſtia proficit ad veniam, & per eius re aut voto participationem, hoſtiæ cruentæ; id eſt paſſionis Chriſti rurſus participes efficiuntur. Hoc .n. eſt quod paulo ante auctoritate Eccleſiæ dicebamus, opus noſtræ redemptionis in Miſſa exerceri. Deinde quia dixerat Apoſtolus, Non relinqui hoſtiã, iſtis ſcilicet, qui peccant ad mortem, vt B. Ioannes ait, id eſt, qui repudiata pœnitentia in peccato permanere volunt, quos Paulus vocauit voluntarie peccantes, ſciebat tamen non defuturos, qui ita eſſent audaces & ſacramentorum contemptores, vt ad hanc hoſtiam ſine pœnitẽtia & confeſſione peccatorum accederent, quales erant illi, quibus in epiſt. ad

Quomodo non voluntarie peccantibus relinquitur hoſtia pro peccatis.

Quid ſit, quod eccleſia dicit opus redemptionis exerceri in Miſſa.

„ Corinthios dicit, Qui enim manducat, & bibit indigne,
„ iudicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans corpus
„ Domini, idcirco hoc idem iudicium iſtis voluntarie peccantibus & ſine pœnitentia ad hoſtiam iſtam accedentibus minatur, cũ ſubiungit. Irritã quis faciens legẽ Moyſis
„ ſine vlla miſeratione, duob⁹ aut tribus teſtibus moritur;
„ quãto magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui filiũ
„ Dei cõculcauerit, & ſanguinẽ teſtamẽti pollutũ duxerit, in
„ quo ſanctificatus eſt, & ſpirtui gratiæ contumeliã fecerit?
Eſſe enim hunc locum de ſacramẽto Euchariſtiæ indignè ſumpto, accipiendum, ne eadem repetam, ſatis priore tractatu auctoritate etiam Dionyſij Alexandrini, Chryſoſtomi, Cyrilli & Theophylacti demonſtraui. quo in loco admonui, obſeruandum eſſe, non dixiſſe Apoſtolum hic, gratiæ ſpiritus contumeliam fecerit, vt quidem dicendũ erat,

Quid ſit, ſpiritui gratie contumeliam facere; & cur non

dixerit gratiæ ſpiritus contumeliam facere, & quõ gratia hoc loco Euchariſtiã ſignificet, quę eſt αὐτόχαρις

ſi nomen gratiæ, donum ſiue chariſma ſpiritus, & non potius gratiam ſubſtantialem & hypoſtaticã, quæ eſt ſancta Euchariſtia, ſignificaret. Spiritum ergo gratiæ vocat vel diuinitatem, quę, eſt in. S. Euchariſtia, vel dona ſiue beneficia ſpiritualia, quæ ipſa S. Euchariſtia tribuit. Sic accepit B. Chryſoſtomus: explicans enim hunc locum, ſpiritui gra„ tiæ contumeliam fecerit; qui, inquit, iniuria beneficium „ afficit, iniuria afficit benefacientem ſpiritum interpretatus eſt beneficia ſpiritus: gratię vero tribuit benefacere hypoſtatice, quæ gratia eſt αὐτόχαρις, id eſt, per ſe ſubſiſtẽs, ac ſubſtantialis gratia, quæ eſt, & dicitur Euchariſtia. ſic etiã Dionyſius Areopagita in extrema pagina capitis de com„ munione Euchariſtiam vocat χάριτας μεγαλοδώρους, id eſt, gratiam magni muneris, aut magna donantem, ſiue largientẽ. nihil enim refert χάριν dicere, aut χάριτας ſicut ſacramentum corporis & ſanguinis, ſiue ſacramenta dicimus. Idem rurſus Dionyſius quaſi in extrema pagina de baptiſmo ex donis diuinis ſanctæ Euchariſtiæ, id eſt, quę S. Euchariſtia operatur, ait manare perfectionem ad alia ſacramenta. Itaque Euchariſtiã vocare ſolet Paulus χάριν, vt vocat hic, & in eadem epiſt. ad Hebr. cap. 12. cum ait, „ habemus gratiã, per quã ſeruiamus placentes Deo μετὰ „ αἰδοῦς καὶ εὐλαβείας, id eſt, cum metu & reuerentia, de quo poſtea differam.

De alio loco eiuſdẽ epiſt. ad Hebr. c. 12. quõ Chriſtũ eſſe in eccleſia vere, & corporaliter, concluditur: & de eccleſia, quomodo ſit vna in cælo, & in terra ſecundum Apoſtolum; et quomodo hoc Metonymici *ignorant: et de argumentatione* Petri Martyris *ad probãdum eſſe Chriſtum in cę lo tantum. item quomodo communione corporis Chriſti in ſacramẽto, eccleſia qua in terra eſt, cum cæleſti copulatur, & efficitur vna: & quę ſit communio ſanctorum, quam in ſymbolo fidei profitemur: & quomodo hanc negare cogantur Metonymici, ſicut etiam vnam eccleſiam in cælo, & in terra: & quomodo quod Apoſtolus ait, acceſſiſſe nos ad ſanguinis aſperſionem melius loquentem, quàm Abel, metonymiam hæreticorum euertat.*

CAP.

CAP. XII.

PErgamus ad alium locũ eiuſdẽ epiſtolæ ad Hebręos, ex quo idem concludamus, & demonſtremus, eſſe ſcilicet Chriſtum in Eccleſia vere, & corporaliter, quem Zuingliani, & Caluiniani cælo includunt, & vt ſæpe dixi, tã longe abeſſe à ſacramento tradunt, quàm longe abeſt
„ cælum à terra, ſic enim Petrus Martyr argumentatur, Chri-
„ ſtus adſcendit ad cælos, ſedet ad dexteram patris omnipo-
„ tentis, inde venturus eſt iudicare viuos, & mortuos, ergo
„ ſecundum humanam naturam, quæ aſcendit, iam non
„ eſt in terris; nec erit ante ſecundum eius aduentum. Ignorauit iſte Martyr cum ſodalibus ſuis vnam eſſe in cælis, & in terra Eccleſiam; vnam, inquam, Eccleſiam eſſe ex angelis, & ſpiritibus ſanctorũ, qui in cęlo ſunt, & ex hominibus fidelibus, qui in terris, conſtantem. Teſtis eſt Nicena ſyno-
„ dus, in cuius actis legitur μία ἡ καθολικὴ ἐκκλησία ἐν οὐρανοῖς
„ ἡ αὐτὴ καὶ ἐπὶ γῆς, ἐν ταύτῃ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐπαναπαύεται, id
„ eſt, vna eſt Eccleſia in cęlis, hæc eadem & in terra: in hac
„ ſpiritus S. requieſcit. & Theoleptus epiſcopus Philadel-
„ phię lib. 2. de ſchiſmate ἡ ἐκκλησιαστικὴ, inquit, συνήγυρις
„ ἀγγέλους καὶ ἀνθρώπους συνάγουσα μίαν ποίμνην ἀποτελεῖ ἀγγέ-
„ λων καὶ ἀνθρώπων καὶ μίαν ἐκκλησίαν δεικνύει τὸν οὐρανὸν, καὶ
„ τὴν γῆν cœtus, inquit, eccleſiaſticus, qui angelos & homi-
„ nes congregat, & vnum gregem angelorum & hominum
„ efficit; atque vnam Eccleſiã eſſe cęlum & terrã demõſtrat.
„ Item Auguſt. collat. 3. contra Donatiſtas, Probant, inquit,
„ catholici Patres, non eſſe aliam Eccleſiã à regno Dei; ſed
„ vnam & eandem, quæ nunc aliter eſt, & aliter poſtea ſit futura. At ſi ita eſt, vt quidem eſt, quare hæretici cælo Chriſtum includunt? Quare non patiuntur eſſe hic aliter, & aliter illic? hic in ſacramento; illic extra ſacramentum reuelata facie? Sed age, videamus, quemadmodum vtrumque horũ nos Apoſtolus doceat, & vnã, eſſe in cælis & in terra Eccleſiam, & eſſe hic in Eccleſia noſtra Chriſtum corpore & ſpiritu, aliter atque in cælo. Apoſtolus igitur, vt doceret

Argumentũ Petri Martyris, quo Chriſtum cęlo includit vſque ad ſecundum aduentum.

Quomodo Caluiniani ignorẽt unam eſſe eccleſiam in cęlo, & in terra.

Quomodo cũ una ſit eccleſia, quæ in cælis, & quæ in terra, abſurdũ eſt includere Chriſtũ in cęlo, & excludere ab eccleſia, quę in terris & in cęlo una eſt.

tanto

tanto grauius futurum esse supplicium, eorum qui Euangelio non obediunt, eorum supplicio, qui legi Moysis nõ obedierunt, quãto meliora sunt, quæ cũ Euangelio, quàm quæ cum lege allata sunt; de nobis dicit, Nõ enim accessistis ad montem tractabilem & accensibilem ignẽ, & turbinem, & caliginem & procellam, & tubæ sonum, & vocẽ verborum, quam qui audierunt, excusauerunt se, ne eis fieret verbum, non enim portabant, quod dicebatur, Et si bestia tetigerit montem, lapidabitur; & ita terribile erat, τὸ φανταζόμενον, id est; quod videbatur, siue quod in visione apparebat, Moyses dixit, Exterritus sum, & tremebundus. Deinde subiungit, Sed accessistis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis Hierusalem cælestem, hanc Hierusalem cęlestem, ad quã dicit Apost. accessisse nos, dixit Ioãnes in reuelatione sua vidisse descendere ad nos de cælo, vtrumque significat factam esse vnam Ecclesiam, quæ in cælo, & quæ in terra. sed de loco Ioannis postea disseram cap. 22. & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cælis, Ecclesiam scilicet dicit, quæ in terra est; ad quam accessimus, qui per lauacrum regenerationis spiritum adoptionis filiorum Dei accepimus, quorum nomina scripta sunt in cælis, sicut domin⁹ dixit illis discipulis, si modo, vt Apostolus in eadem epistola ait, fiduciam & gloriam spei vsq; ad finem firmã retineamus. Et qui accesserunt ad Ecclesiam, quæ in terris est, in qua versantur, quorum nomina scripta sunt in cælis, iidem ad cęlestem, in qua sunt beati spiritus iustorum perfectorum, &, vt ait idem Apost. ad iudicem omnium Deum, id est, Christum simul accesserunt. Iudex enim omnium Christus est, sicut B. Petrus in Actis Apost. de ipso testificatus est, inquiens, Et præcepit nobis prædicare populo & testificari, quia ipse est, qui constitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorum: at non continuo sequeretur, vt cum ad hanc tractabilem Ecclesiam, in qua versamur, accedimus, ad illam cælestem simul accederemus, nisi vtraque vna esset: vna autem esse nõ posset, nisi

nisi aliquid vtriusque commune esset, cuius cōmuni participatione in vnū copulentur. hoc autem est corpus Christi viuum, cuius participatio in sacramento Eucharistiæ imago est cęlestis participationis Iesu, vt Dionys. in cælesti hier. c. 1. tradit. Est igitur Christ⁹ in Ecclesia nostra, quę est cum cęlesti in vnum corpus Christi copulata, ac proin de vna Ecclesia. Ad hunc ergo omniū iudicem, quia corpus suum habet in sacramento non pedibus tantum spirit⁹, sed pedibus corporis in Ecclesia accedimus; sicut nō ore tantum spiritus, sed corporis eum comedimus. Vnde
„ Apostolus, Qui indigne, inquit, manducat, iudicium sibi
„ manducat & bibit; scilicet iudicium damnationis sibi manducat, quia iudicem indigne mādueat, qui ea de cau-
„ sa iuste eum condemnat. Sequitur. Et spiritus iustorum
„ perfectorum, hos distinxit à primitiuis illis, quos dixit, „ qui conscripti sunt in cælis, sanctos enim dicit, qui sunt in cælis, ad quorum communionem accessimus, qui in terra sumus, quos ex aqua & spiritu S. Christus in Ecclesia regenerauit, & primogenitos fecit, qui facti sumus per baptismum idonei ad participandam beatitudinem sanctorū. Pro quo gratias agere docet, & præcipit idem Apostolus,
„ cum ait in epist. ad Coloss. Gratias agentes Deo & Patri,
„ qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine; id est, in baptismo, quo Christus per fidem mentem primum illuminat, eripiens de potestate tenebrarum, & transferens in regnum Dei. hæc enim est communio sanctorum, vt hoc obiter obseruetur, quam Ecclesia in symbolo fidei confitetur. Dionysius quoq; Areopagita Apostolicus auctor, & apostoli Pauli discipulus Ecclesiam primitiuorum siue primogenitorum, qui cōscripti sunt in cęlis ad vnam Ecclesiam, quę in terris & in cælo est, quasi in extremo epistolę ad Titum retulit. intuens enim in mysticum conuiuium Ecclesię, & in communem cum sanctis qui in cęlo sunt, participationē Christi, licet aliter hic, in sacramento scilicet, & aliter illic extra sacramentum, sic interpretatur illud, quod de beatis in Parabola in Euāgelio

Que sit cōmunio sanctorum, quam ecclesia in symbolo fidei, profitetur.

Quòd Ecclesiā primitiuorum, qui conscripti sunt in cęlis, de ecclesia in terra copulata cū cælesti Dionysius accepit.

" lio Lucę ſcriptum eſt, Et faciet illos diſcumbere, & tran-
" ſiens miniſtrabit illis, Significant, inquit, hęc conuiuia in
" regno Dei, communem quandam & concordem ſancto-
" rum in diuinis bonis communionē, & Eccleſiam primo-
" genitorum deſcriptorum in cęlis, & ſpiritus iuſtorum o-
" mnibus bonis perfectos, & bonorum omnium plenos. communem quandam communionem ſanctorum dicit nobiſcum ſcilicet, qui in Eccleſia ſumus, communē. Metonymici ergo in fide ſua cōmunionem ſanctorum profiteri non poſſunt, nec vnam Eccleſiam, quę in cęlis eſt, & quę in terra, quę per veram & realem Chriſti participationē, licet non vno modo, copulantur: non poſſunt, in quam, quandiu corpus Chriſti in ſacramento eſſe negant.

Quod Metonymici in fide ſua communionē ſanctorū profiteri non poſſunt, nec unam eccleſiam eſſe in cęlo & in terra, contra Apoſtolum.

" Sequitur, Et teſtamenti noui mediatorem Ieſum & ſan-
" guinis aſperſionem melius loquentem quàm Abel. ſcilicet in ſacramento calicis acceſſimus ad teſtamenti noui mediatorem Ieſum, & ad aſperſionē ſanguinis, quo ipſum nouum teſtamentum dedicatū eſt. ſicut dominus in illa
" nocte & cœna dixit, Hic eſt enim ſanguis meus noui teſta-
" menti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccato rū. hocque eſt melius loqui ſanguinē Chriſti, quàm ſanguinem Abel, dari ſcilicet in remiſſionem peccatorum, ſicut ipſe locutus eſt: cū tamen ſanguis Abel non remiſſionem, ſed vindictam loqueretur & poſtularet. Hunc quoq; ſenſum attigit S. Thomas in commentarijs ſuis in Paulū. ſcriptū enim eſt in Exodo 24. de ſanguine, cuius aſperſio-
" ne primum, id eſt, vetus teſtamentum dedicatum eſt. hic
" ſanguis teſtamēti, quod mandauit ad vos Deus; ſic enim eſt apud 70. ſimiliter calix ſanguinis Chriſti, cuius ille fuit typus ſanguis eſt noui teſtamenti, quod mandauit do-
" minus inquiens, Hoc facite in meam commemorationē. Hunc ſanguinem in ſacramento vocauit hic Apoſtolus, ſanguinis aſperſionem, intuens tanquam in typū in ſanguinem illum, quo ipſum quoque librum & omnem populum, ſicut Apoſtolus ait, aſperſit Moyſes. Sic etiam vocauit ſanguinem teſtamēti in eadem epiſt. cap. 10. cum

Quō ſanguinis aſperſionē, quam Paulus dixit, ad calicem benedictionis in ſacramento retulerit.

di-

„ dixit,& sanguinẽ testamenti pollutum duxerit. quod nos, vt paulo ante dixi, testimonio, & auctoritate antiquorum patrum superiore tractatu de indigne communicante accipiendũ esse docuimus,& probauimus.Denique vbicunque in scriptura noua sanguis noui testamenti nominatur, calix benedictionis intelligitur, vt hic etiam, quia dixit Apostolus,accessisse nos ad testamenti noui mediatorem Iesum, statimque subiungit,Et sanguinis aspersionẽ, subaudiri & intelligi voluit, Et sanguinis noui testamẽti aspersionem,ἀπὸ κοινοῦ quę est,vt sępe dixi,figura in scripturis sanctis frequentissima, quę à Grammaticis Zeugma dicitur.Dicãt ergo nobis nũc Metonymici,qui hic sanguinẽ ꝓ figura, sanguinis sicut corpus pro figura corporis,dictũ esse metonymice cõtendent:si accessimus ad figurã aspersionis sanguinis noui testamenti, & non ad ipsum sanguinem, quomodo singula, quę hic Apostolus enumerat, ad quę fideles accessimus,quæ cum illis comparat,ad quę illi veteres accesserunt, cum data est eis lex per Moysem, longe maiora sunt,& magis metuenda,quàm illa vetera?quomodo, inquam, erit maioris tremoris accedere ad figurã sanguinis Christi, quàm ad sanguinem agni Mosayci,qui figura etiam erat eiusdem sanguinis Christi? si ita terribile erat tunc τὸ φανταζόμενον, vt Paulus ait, id est, quod videbatur,siue quod in visione apparebat; vt quod videbatur illis antiquis, loqui Deus ipse, quod illis horribile videbatur, neque ferre potuerunt, cum tamen per Angelum potius loqueretur; & quod videbatur rubus ardere, & non comburi, quod Moyses horruit, cum tamen non arderet; quomodo in nouo testamento, in quo omnia sunt veriora, & magis formidanda, terribilius erit accedere ad id, quod nõ videtur extrinsecus esse corpus & sanguis Christi, & ut ait disciplina Caluini, est figura corporis & sãguinis Christi?Deinde cũ addat Apostolus,melius loquentem,quàm Abel; quomodo figura sanguinis memelius loquitur, quàm sanguis Abel? An figuræ est loqui? Immo potius cum dixit Apostolus, accessisse nos ad

Quòd in scriptura noua cũ sanguis noui testamenti nominatur, calix benedictionis intelligitur.

Quomodo disciplinã Caluini, quæ figurã sanguinis in sacramento ponit locus epist. Pauli redarguat.

Quòd secundũ Metonymicos nõ sunt horribiliora, ad quę accessimus in nouo testamento,quàm ea, ad quę illi accesserunt in vetere contra Apostolum.

FF noui

noui testamenti mediatorem Iesum, & continuo addidit, Et sanguinis aspersionem melius loquentem, satis aperte significauit, vnum idemque esse Iesum, mediatorem noui testamenti, & sanguinem noui testamenti melius loquentem. cuius enim morte intercedente redempti sumus, eiusdem sanguine per sacramentum quotidie sanctificamur, & remissionem peccatorum consequimur; & qui semel ore proprio locutus est illud, Hic est sanguis noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum, idem quotidie id ipsum ore sacerdotum loquitur de cælis.

Quomodo sanguis noui testamenti melius loquitur nũc quã sanguis Abel: & quo modo hęretici Metonymici aspersionẽ san guinis me lius de cęlis lo quentem auer tunt.

Quomodo qui Christum in sacramento esse negant, de cælis loquentẽ contra Apostolũ recusant, quos horribile supplicium manet: & q̃uo quod Apostolus ait hic, habere nos gratiam, per quã seruiamus Deo placentes, de S. Eucharistia, quæ est gratia per se subsistens, intelligendum sit, & vnde hoc constet: & quomodo hic etiam locus Metonymicos redarguat: quid significent in loco epistolæ metus, & reuerentia, cum quibus pręcipit adhibere cultum Deo per sanctam Eucharistiam: & quomodo ex isto loco coniuncituresse Metonymicos idololatras; aut panem eorum sacramentalem non esse Eucharistiã, vt ipsi putant, & tradunt.

CAP. XIII.

Sed videamus, quæ sequuntur. Videte, inquit, ne recusetis loquẽtem. si enim illi non effugerunt recusantes eum, qui super terram loquebatur (eos dicit, qui aduersus Moysem murmurarunt, illos ducentos quinquaginta dico congregationis Abiron, quos hiatus terrę absorbuit; & illa quatuordecim millia igni incensa) multo magis nos, qui de cælis loquentem, nobis auertimus. de cælis enim, vt dixi, loquitur, qui dicit, hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. hunc igitur de cęlis loquentem, auertunt, qui negant esse in sacramento corpus & sanguinem Christi, cum ipse de cęlis loquatur, & dicat, hoc est corpus meum; hic est calix sanguinis mei. Quin etiã omnia illa nũc de cælis dicit, quę in euangelio Ioannis dixit, quando

quando ſuper terram de ſacramento corporis, & ſanguinis ſui diſſerens loquebatur. Denique quia filij noui teſtamenti, qui ad omnia iſta, quę Paulus dixit, acceſſerũt, trãſlati ſunt ſecundum ſpem in regnum Dei, ſicut idem Paulus in epiſt. ad Coloſſenſes loquens de regeneratis per baptiſmum,
„ Qui eripuit, inquit, nos de poteſtate tenebrarũ.
„ & trãſtulit in regnũ dilectionis filij ſui; Idcirco paulo poſt,
„ Itaque, inquit, regnum immobile ſuſcipientes, habemus
„ gratiam, per quam ſeruiamus placentes Deo cũ metu &
„ reuerentia. χάριν id eſt, gratiam vocat hic ipſam Euchariſtiam, quæ à gratia nomen ducit, vt aliàs vocare ſolet, quod ex locis ipſis intelligi poteſt, vt hic ex eo, quod ait, habere nos gratiam, per quam ſeruiamus Deo placentes cum metu & reuerentia, plane intelligimus Euchariſtiam dici: per oblationem enim. S. Euchariſtiæ, cultus qui hic latria dicitur, Deo gratiſſimus cum metu & reuerentia in Eccleſia offertur. Hoc enim ſignificat verbũ λατρεύειν, quod hoc loco interpres latinus vertit, ſeruire. Itaque ſicut per orationem ſeruimus, id eſt, adhibemus cultum Deo cum metu etiam & reuerentia, quando orationem ipſam cum metu & reuerentia Deo offerimus; ſic per gratiam, quam habere nos dicit Apoſtolus, ſeruimus, hoc eſt, cultũ Deo cum metu & reuerentia tunc adhibemus, quando ipſam cum metu & reuerẽtia Deo offerimus. talis autem gratia, quæ offeratur, in culturam Dei, quę latria dicitur, à verbo λατρεύειν, non poteſt eſſe niſi gratia ſubſtantialis, & αὐτοϋπόστατος, id eſt per ſe exiſtens, quæ eſt S. Euchariſtia. Aliæ enim gratię, id eſt, dona Dei ſiue chariſmata non offeruntur Deo in cultum eius, ſed potius pro ipſis cultum ac venerationem & gratiarũ actiones Deo offerimus. pro hac vero gratia, id eſt, Euchariſtiæ dono, non ſolũ gratias Deo agimus, ſed ipſam Euchariſtiam Deo offerimus. Hinc Clemens Rom. lib. 8. conſtit. Apoſt. Miſſam, quam nos con ſuetudine Eccleſiaſtica vocamus, in qua adhibetur cultus Deo gratus per hanc S. Euchariſtiam, quam Paulus hic vocat gratiam μυστικὴν λατρείαν, à verbo λατρεύειν, quo Paulus

Quomodo in loco epis. Pauli gratia pro Euchariſtia accipiatur. & quomodo ex eo ipſo loco hoc eliciat. ſicut in alijs eiuſdẽ Pauli locis.

Quomodo gratia, quã hic Apoſtolus dicit, per quã deo latriã id eſt, cultum adhibemus, nõ poteſt eſſe niſi ſancta Euchariſtia.

Quomodo apoſtolica conſtitutio Miſſam, quã

FF 2 vſus

uocamus, mysticam latriam uocat.

vſus eſt, id eſt, myſticum cultum vocat. Poſtquam enim totam Miſſam deſcripſit, & peregit ſic caput. 17. claudit, Ite in pace. Poſtea ſubiungit. Hæc hactenus de myſtica latria nos Apoſtoli vobis Epiſcopis & Preſbyteris ac Diaconis cōſtituimus. Accedit huc id quod ad huius loci intelligētiam & interpretationem non leue eſt, quòd eiſdem verbis, quibus hoc loco Apoſtolus vtitur, vſus eſt Clemens Rom. lib. 2. cap. 57. cum iubet Apoſtolica conſtitutio, vt ſinguli accedant ad communionem pretioſi corporis & ſanguinis ἐν τάξει μετὰ αἰδοῦς ϗ εὐλαβείας, ὡς βασιλέως προσερχόμενοι σώματι, id eſt, vt accedant ordine cum metu & reuerentia tanquam ad corpus Regis accedentes, ad metū iſtū & reuerentiā pertinet illud quod Paulus Corinthios monet, inquiens. Probet autē ſeipſum homo & ſic de pane illo edat. & de calice bibat. qui enim mādúcat & bibit indigne, iudicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans corpus domini. Ergo Metonymici cum non habeant niſi figuram corporis Chriſti in ſuo pane ſacramētali, vt ipſi vocant, non opus erit eis αἰδοῦς & εὐλαβείας, id eſt, metu & reuerentia ad accedendum & adhibendum cultū in eo. figuras enim & imagines, diſciplina ipſorum eſt, non eſſe colendas. ex quo fit, vt nō pertineat ad eos hic locus Pauli, cum ait, Habemus gratiam per quam ſerniamus placētes Deo cum metu & reuerentia. ſiquidē non habēt hanc gratiā S. Euchariſtiæ, & hūc cultū, ſiue latriā, quę, vt Apoſt. ait, in ea .ſ. gratia, ſiue per eā fit; hāc.n. vim habet, qđ græce eſt, δι' ἧς, vt ſi dicamus, in qua, vel per quā. Sed premamus etiā atque etiā hūc locū, & vrgeamus percūctationē; quam gratiam habent Metonymici; in qua, vel per quam cultum religionis, id eſt, latriam adhibere debeant cum metu & reuerentia; id eſt, vt metuere debeant, ne cum ad eum cultum adhibendum accedunt, aliquid in eis aut ab hominibus vituperetur; aut Deo diſpliceat? Illud enim ſignificat αἰδῶ, quod interpres latinus non male vertit, metum; nos more noſtro, pudorem dicimus: hoc vero ſignificat εὐλάβεια: quod reuerentiam ſonat. Hieronymus ve-

Quomodo Apoſtolica conſtitutio eiſdē uerbis uſa eſt, cum pręcipit accedere ad communionem ſacram cum metu, & reuerentia, quibus uſus eſt hic Paulus.

Quomodo locus epiſt. Pauli non pertinet ad Metonymicos.

Quid ſignificet αἰδῶ & quid εὐλάβεια in loco epiſtolę Pauli.

ro

ro libro primo cōtra Pelagianos in illo loco Leuitici 15. facite filios vestros εὐλαβεῖς, timoratos interpretatur. Vnde Andronicus Peripateticus, quem S. Thom. citare solet, αἰδῶ, ait, esse speciem εὐλαβείας in libro περὶ παθῶν; quæ sic ab eo definitur. εὐλάβεια ὀρθοῦ ψόγου, id est, timor iustę vituperationis. εὐλάβεια vero sic ab eo definitur, φυλακὴ κακοῦ, quasi dicatur, declinatio à prauo. Non accedebāt cū tali metu & reuerētia Corinthij illi, quos Paulus reprehendit; qui ad sacrā cōmunionē, quæ de altari sumitur, idolothytis alioqui polluti, accedebāt. quibus aiebat, Nō potestis calicem domini bibere, & calicē dæmoniorum: Non potestis mensæ domini participes esse, & mensæ dæmoniorum, id est, altaris; sicut paulo antè dixerat; Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris? Illi igitur cultum latrię Deo adhibebāt per eam gratiam, quam habebant, id est, per Eucharistiam, sine metu tamen & reuerentia; & ideo non placebant Deo. Quare Metonymici, cum in sua Eucharistia, per quam cultum religionis, quem Apostolus dicit, cum metu, & reuerentia Deo se adhibere putant, nihil aliud, quàm panem habeant, sequitur necessario, vt vel seipsi artolatrię crimine obligent, quod nobis falso obiiciunt: vel certe si huiusmodi cultum per gratiā siue Eucharistiam panis sui sacramentalis Deo nō adhibent, nec Eucharistiam quidem ipsam se habere concedunt. est enim inseparabilis à S. Eucharistia latria, siue cultus religionis, qui per eam Deo adhibetur; vt ex hoc loco Apostoli perspici potest. Itaq; vndiq; irretiti & constricti tenentur Metonymici. postquam vero admonuit nos Apostolus de gratia, quam habemus ad cultum religionis in ea adhibendum cum metu & reuerentia, vt Deo placeamus, subiungit cōmode; Etenim Deus noster ignis consumens est; quod quidē perinde est, ac si diceret; Etenim si neque metum, neque reuerentiam in eo cultu adhibuerimus, horribiles pœnas nobis accersemus. sic etiam supra cap. 10. in eadem epistola in eos qui sacramentum corporis & sanguinis Christi contēnunt, quanto, inquit, magis

& quomodo ab Andronico Peripatetico definiantur.

Quomodo cogatur Metonymici aut cōfiteri se artolatras esse: aut nō habere Eucharistiam, ut quidē non habent.

„ magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei „ conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxe- „ rit? Græce est, communem duxerit, quod est, non diiudicare sanguinem Domini, sicut Apostolus dixit, non diiu- „ dicans corpus domini. Deinde subiungit; Mihi vindictã, „ & ego retribuam dicit dominus, Horrendum est incidere „ in manus Dei viuentis.

Disputatio contra eosdem Metonymicos ex alio loco eiusdem epist. ad Heb. c. xiij. quomodo hic auctoritate Pauli conuincatur, habere nos in altari ad sacrificandum, & comedendum, quod Christus immolauit in cœna, & discipulis ad comedendum dedit, id est, corpus Christi: et quomodo si illud, quod dedit, non fuit corpus suum, sed figura corporis, plane sequatur, non præstare Christum Aaroni, qui figuras etiam immolabat. Quomodo Apostolus doceat hic Christum esse hostiam, et eundem cibum: et quomodo Metonymici nullã hostiam laudis habeant ad offerendum in altari contra auctoritatem Apostoli: et quomodo hostia laudis, de qua hic loquitur Apost. non possit referri ad preces, siue orationes, vt nec altare, de quo ibidem fit mentio, non potest referri ad altare spirituale cordis, sed ad externum.

CAP. XIIII.

Locus epistolæ Pauli ad Heb. c. xiii.

SEd pergamus iam ad alium locum proximi capitis id est, xiij. eiusdem epistolæ ad Hebræos, aduersus eosdẽ Metonymicos. Sicut enim in epist. ad Corinthios præcepit Apostolus Corinthijs abstinere ab idolothytis. non enim posse eos mẽsæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorũ; sic præcepit hic iis, qui ex Hebræis ad fidẽ Euangelij venerant, ne discernerent cibos Iudaice, si gratia cibi „ spiritualis spiritum roborare vellent. Optimum est enim „ inquit, gratia stabilire cor, non escis; quæ nihil profuerũt „ ambulantibus in eis. non enim poterant iuxta conscientiam perfectum facere seruientem, sicut idem Apostolus dixit, sicut neq; cætera Mosayca, quæ erant omnia vsq; ad tempus correctionis, id est, noui testamẽti, imposita. Qui dixit optimum esse gratia stabilire cor, ἀορίστως id est, infinite dixit χάριτι, aliqua scilicet gratia, hac, aut illa, quæ

varia

varia, & multiplex esse potest, sicut infinite quoque dixit
„ βρώμασι id est, escis, his .s. aut illis. cum vero statim subiũ-
„ git, Habemus altare, de quo edere non habent potestatẽ,
„ qui tabernaculo deseruiunt, satis declarat, nos, qui tale altare habemus, & potestatem edendi de eo, in tali cibo gratiam habere, qua cor stabiliamus; quæ quidem S. Eucharistia est. Hanc enim gratiam & escam habemus de altari ad confirmandum cor, & ad cultum latriæ Deo adhibendũ, vt iam hic locus cum loco superiore, à nobis paulo ante tractato & exposito, mirifice congruat; eumq; magis adhuc explicet, & interpretationem nostram magis etiam confirmet. Hic enim explicatus est ab Apostolo ille cultus, quem per illam gratiam, quam dixit nos habere, cum metu & reuerentia adhibemus, Deo placentes. Siquidem ad cultum Dei, qui græce est latria à verbo λατρεύειν, quo illic Apostolus vsus est, pertinet, quod hic ait, habere nos altare scilicet ad offerẽdum hostiam, & de ea edendum. Altare enim ad hostiam refertur, sine qua nec intelligi potest; quod quidem nomen ipsum θυσιαστήριον, quod ἀπὸ τῆς θυσίας dicitur, declarat. vt si altare diceremus sacrificatorium, à sacrificio, de quo qui potestatem edẽdi habent, participes sunt altaris, sicut Apostolus in epist. ad Corinth. ait. Vocemus igitur nunc Metonymicos ad auctoritatem huius scripturę Pauli tanquam ad iudiciũ. Si enim habemus altare testimonio Pauli, & de eo potestatem edendi, & nihil aliud de altari edimus, nisi quod Dominus in illa cœna vltima dedit discipulis ad edendũ de mensa illa, quę fuit vice altaris, quod Apostolus habere nos testatur, Igitur idem, quod nos offerimus in altari, obtulit & Christus in illa mensa, cuius loco successit altare, quod Apostolus dicit. Quare si non corpus suum, sed figuram corporis sui obtulit, quam ad edendum dedit, sequitur vt hac parte non fuerit Christus Moyse aut Aarone præstantior, qui figuras etiam corporis Christi in illis antiquis sacrificijs offerebãt. Sed prosequamur locũ Apostoli. Probat enim quod dixit, non habere potestatẽ edendi

Quomodo cultus, qui per sanctam Eucharistiã exhibetur deo cum metu & reuerentia, explicatur ab eodẽ Apostolo locis inter se collatis.

Quomodo altare, quod Apostolus dicit nos habere in ecclesia, ad hostiam referatur, sine qua intelligi non possit.

Quomodo secundum Metonymicos non fuerit pręstantius sacerdotiũ Christi quàm Moysis, uel Aaronis.

" di de altari nostro eos, qui tabernaculo deseruiunt, Quo-
" rum enim, inquit, animalium infertur sanguis pro pecca
" to in sancta per Pontificem, horum corpora cremantur
" extra castra. significabat hoc in ęnigmate, vt Christus, quò populum per sanguinē suum sanctificaret, ac pro eo sanctificando se patri in cruce offerret, extra portam passus fuit, sic rursus, qui Christi crucem portare vellent, & eum patri offerre mystice, & de hostia altaris comedere, oportere exire extra castra, siue extra portam, id est, recedere à vetere lege. Ipse igitur Christus est, quem comedimus, & offerimus; quia ipse est, ad quem extra castra exire oportet, non autem figura eius. Christus igitur hostia est, & idē cibus; siquidem vtrumq; significauit Apostolus, cum altare & edere nominauit. Itaq; quod vitulus & hircus pro peccato immolati, quorum sanguis intra velum inferebatur, cōburebantur extra castra, significabat per allegoriam, vt Paulus interpretatur, Christum, qui erat vera hostia, extra portam ciuitatis passurum fuisse; & nos item ad eundem Christum, qui est in altari, & nō ad figuram eius exeūtes, debere à castris & porta terrestis Hierusalem, id est, à conuersatione Iudaica & à littera ac sensu veteris legis carnalis recedere. Egressi ergo extra castra, & non amplius tabernaculo deseruientes, hoc est, relicta lege de cibis discernendis, & de sacrificijs, atque aliis ritibus veteris
" legis, offeramus, inquit, hostiam laudis per ipsum. Iam hic aperte explicauit Apostolus, quod paulo supra dixerat,
" Habemus altare ad offerendū, scilicet hanc hostiam laudis, & de ea edendum. Percunctemur ergo hic Metonymicos, vt solemus, quam hostiā laudis & confessionis offerāt ipsi in altari? Si preces dicāt, vt solēt, & alios fructus spiritus, id est, virtutes spirituales, quæ ad cultum rationalem, quem Paulus in epist. ad Rom. dicit, pertinent, at hostias istas extra altare etiā offerimus; vnusquisque in altari cordis sui, ad quod vnicuique patet aditus. cū vero dicit Apo
" stolus, Habemus altare, de quo edere non habēt potesta-
" tem, qui tabernaculo deseruiunt, aliud plane altare, exter

Quō Apostolus docuerit, Christum esse hostiam, & eundem cibum.

Quomodo Metonymici nullā hostiam laudis habeant ad offerendum in altari cōtra auctoritatem Apostoli.

num

num ſcilicet ſignificat, ad quod alijs acceſſus concedatur, alijs nō concedatur; & vnde alij re pelli poſſint, & debeāt, alij non poſſint, neque debeant. Sed quia dicit hoſtiā laudis, id eſt, fructum labiorum confitentium nomini eius, fortaſſis exiſtimabunt iſti nihil aliud eſſe hoc, quàm laudem Deo oblatam inſtar hoſtiæ: at non ita eſt, ſicut nec in Leuitico c. 7. cum dicitur hoſtia laudis, & hoſtia gratiarū actionis, non laus tantum & gratiarum actio eſt, ſed aut panes, aut victima, quæ eodem die quo mactabatur, tota erat comedenda, vt nihil in diem poſterum remaneret. Immolabatur autem, vt Philo Alexandrinus in libro de genere ſacrificiorū ſcribit, ab eo cui nihil aduerſi accideret, ſed potius ſumma pace & lætitia frueretur: oportere enim, ait, hymnis, prędicationibus, ſacrificijs & gratiarū actionibus, quæ ſunt omnia nomine laudis cōprehenſa, Deum ipſorum bonorū auctorem, ac datorem proſequi. ideo autem conſumendam eſſe totam hoſtiam vno die idem auctor ſcribit, quòd oporteret non differre gratiarū actionē pro beneficijs, quæ cito & facile cōſecuti ſumus. hęc Philo Alexandrinus. Horum omnium ratio cum vere in noſtrum ſacrificiū laudis, quod eſt S. Euchariſtia, mire conueniat, ipſa conſequentia rerum poſtulat, vt vetus illa hoſtia laudis, typus & vmbra huius noſtrę fuerit. Quis enim vera ac ſumma pace ac lætitia fruitur, vt is qui cum Deo pacem habet, & in eo manet; cui ſoli hæc hoſtia laudis & Euchariſtię conuenit? Deinde quæ alia beneficia ita magna tam cito & facile ferre à Deo poſſumus, vt beneficium ſalutis noſtræ? quia ſi confitearis, inquit, in ore tuo Dominum Ieſum, & in corde tuo credideris, quòd Deus illum ſuſcitauit à mortuis, ſaluus eris. quòd vero Euchariſtia ſacrificiū laudis vocetur, ratio nominis plane conſtat. Quę enim poteſt eſſe maior laus aut excellētior cōfeſſio, quàm cum Chriſti mortem ac reſurrectionem, & in cælū aſcenſum prędicamus, & confitemur? Sancta igitur Euchariſtia hoſtia laudis dicitur, & eſt, ſicut Dauid prophetice dixit, Immola Deo ſacrificiū laudis; & redde altiſſimo vota tua.

Quomodo hoſtia laudis nō ſit i ſcriptura laus tantum oblata deo

Philo Alexādrinus de hoſtia laudis.

Quomodo hoſtia laudis Moſaÿca typus eſſet hoſtię S. Euchariſtię.

Quare ſancta Euchariſtia ſacrificium laudis nominetur, & ſit.

ta tua. Nec enim referri hoc poteſt ad illam hoſtiam lau-
dis, quę erat in vetere lege. ſiquidem hoc dixit, poſtquam
omnes illas veteris legis hoſtias, & ſacrificia in eodē Pſal-
mo prius idem Propheta Dauid in perſona domini irrita
» fore prædixerat, inquiens, Non accipiam de domo tua vi
» tulos, neq; de gregibus tuis hircos;& rurſus, nunquid, ait,
» mādūcabo carnes taurorū, aut ſanguinē hircorū potabo?
vnde cōtinuo antiquata iā lege veteris ſacrificij, introdu-
» cit nouū ſubiūgens, Immola Deo ſacrificiū laudis, & red-
» de altiſſimo vota tua; εὐχὰς enim, quas interpres vetus ver
tit vota, vocat gratiarum actionem; quam pręcipit tanquā
debitam ſoluere. Hoc enim ſignificat, redde. Idem dixit
» Pſal. 115. Calicem ſalutaris accipiam, & vota mea domi-
» no reddam. Hanc igitur gratiarum actionem, qua digna
eſt S. Euchariſtia κατ' οἰκείαν φύσιν, vt ait Dionyſius, ideſt, na
tura ſua, quæ ideo dicitur Euchariſtia, vocat Apoſtolus
fructū labiorū confitentiū nomini eius; quē quidē Deo of-
fert, qui offert ſacrificium laudis, quod eſt S. Euchariſtia,
quæ in altari offertur. Hanc gratiarum actionem poſt im-
molationem ſacrificij ſiue hoſtiæ laudis deſcribit Diony-
ſius Areopagita, quam gratiarum actionem hymnū quo-
que vocat, ſicut Euangelium, cum ait poſt illam cœnam
» myſticam & hymno dicto, exierunt in mōtē olįueti; Eccle-
» ſia vocat orationem poſt communionem. Tunc igitur, in-
» quit Dionyſius, vniuerſus ordo ſacerdotum hierarchice
» congregatus, poſt communionem ſacram, deſinit in gra-
» tiarum actionem, agnoſcens pro viribus, & hymno atque
» laude celebrans diuinorum operū munera. hæc dicit eſſe
natura ſua digna gratiarum actione. Rogabo ergo nunc
Metonymicos, Habetiſne vos panem, qui ideo dicatur &
ſit Euchariſtia, quia eſt natura ſua dignus gratiarū actio
ne, ſicut de noſtro ſacramento ait Dionyſius? de eo enim
loquitur, cum ait in extrema fere parte de communione
κατ' οἰκείαν φύσιν ἀξίων οὐσῶν ἀχαριστεῖσθαι τῶν θειοτάτων δωρεῶν,
id eſt, digna cum ſint gratiarum actione ſecundum natu
ram ſuam diuiniſſima munera, ſi talis eſt panis veſter, nō
eſt

Quod panis ſacramentalis Metonymicorū nō ſit ſecūdū naturam propriā dignus gratiarum actiōne, & ideo nō eſt, nec eſſe poteſt Euchariſtia.

est figura corporis Christi, sed ipsum corpus Christi: aut si est figura, vt habet vestra disciplina, non est Eucharistia, quæ est secundum naturam suā digna gratiarū actione: Relinquitur ergo vt sit Eucharistia vestra communis quædam Eucharistia, sicut est panis communis, quem domi, aut in diuersorio cum gratiarū actione percipitis verbo Dei & oratione, sicut Apostolus ait, sanctificatum atq; hæc quidē hactenus. pergamus ad reliqua epistolę huius.

Si metonymicorū Eucharistia digna est gratiarum actione natura sua, non potest esse figura corporis Christi: sed necesse est, vt sit ipsum corpus Christi. aut si non est digna, nec Eucharistia fuerit.

Disputatio ex cap. 7. eiusdem epis. ad Heb. aduersus eosdē Metonymicos, & responsio ad id quod obiiciunt, quare non meminerit de pane, & vino, quæ Melchisedec obtulit Abraæ, si figura fuerunt S. Eucharistiæ: & quomodo quæ Melchisedec protulit tanquam sacerdos, & non tanquam rex protulit teste scriptura, & idcirco vim verbi offerendi, quod hæretici requirunt, in verbo proferendi ibi positi contineri. itē de antiquis auctoribus, qui testantur oblationem Melchisedec figurā fuisse oblationis Christi in cœna. & quomodo teste & interprete Cyrillo in benedictione, qua Melchisedec benedixit Abraæ præbens ei panem & vinū, continetur mentio panis, et vini; & quare Apostolus non iudicauit opus esse, vt expresse meminisset: & quomodo sequatur frustra fuisse sacerdotem Melchisedec, si in illo loco Genesis non sacrificauit, cū nusquā aliàs mentio de eius sacerdotio in scriptura: fiat et quomodo non esset Christus factus sacerdos secundū scripturam ad similitudinem Melchisedec, nisi appareret similitudo oblationis Christi, et oblationis Melchisedec: et demum, quomodo ex similitudine sacerdotij Christi cum sacerdotio Melchisedec, concludatur esse corpus Christi verum in sacramento sub specie panis et vini.

CAP. XV.

AC quia seriem, & ordinem locorum, qui de S. Eucharistia in hoc volumine tractantur ad vtilitatem, & intelligendi facilitatem accommodamus, super est vt ad caput 7. eiusdem epis. ad Hebręos, nos retro reuocemus, in quo non est pręteritum hoc sacramentum corporis, & sanguinis domini, licet fortasse minus appareat, quàm in aliis posterioribus huius epistolæ capitibus, de quibus hactenus disseruimus. Quęrunt igitur hic heretici, cum Paulus meminerit de benedictione Melchisedec, &

de decimis ei datis, si panis, & vinum, quæ Melchisedec benedicens Abraę, præbuit ei, figura fuerunt corporis, & sanguinis Christi, quæ idem in specie panis, & vini Deo offerēs, discipulis, & nobis dedit, vt nos, quod sancti Apostoli à Christo Iesu acceperūt, in Ecclesijs nostris docem⁹, & prędicamus, quare Paulus hoc loco, qui proprius erat, de pane, & vino non meminit? respondeamus hereticis, satis videri meminisse, si aliquid dixit hic, quod sine illis pane, & vino Melchisedec sacerdotis Dei altissimi intelligi nō posset, id autem est, quod ait, Et amplius adhuc manifestum est, si secundum similitudinē Melchisedec exurgat alius sacerdos, qui non secundum legem mādati carnalis factus est, sed secundum virtutē vitę insolubilis; Christum enim dicit, sacerdotem, secundum similitudinē Melchisedec sacerdotis. Interrogemus ergo hęreticos, quę nā sint propria sacerdotis? & quę tanquam propria, & pręcipua sacerdotis scriptura in Melchisedec posuerit? inde.n. oportebit ducere similitudinē Melchisedec, ad quā Christus factus fuerit sacerdos. Sic ergo scriptū est in Gen. cap. 14. at vero Melchisedec Rex Salem proferens panem, & vinum, siue, vt est apud 70. protulit ipsi panem, & vinum, erat enim sacerdos Dei altissimi, benedixit ei, siue conuenienter interpretationi 70. & benedixit ei. Si ideo protulit Melchisedec panē Abraę, quia erat sacerdos Dei altissimi, ergo sic protulit, nòn vt proferre commune erat ei cū vno quouis de populo, cum laicis inquam, sed vt propriū erat sacerdotis; protulit igitur panē ad offerendum Deo, & dandum Abraę: aut protulit Abraę panem à se prius Deo oblatum: idem enim, & vnum est vtrumque, & eadē in vtroque vis, idemq; duobus modis hic dicitur. nam nisi ita intelligere necesse est, cur causam reddit scriptura, quare panem, & vinum Abraæ dederit, inquiēs, erat enim sacerdos Dei altissimi? cur inquā, nisi quia ista dedit Abraę Melchisedec rex Salem tanquam munera propria non regis, sed sacerdotis; omnis enim Pontifex, sicut Apostolus ait, ad offerendum munera, & hostias constituitur. quare quod

Quomodo Paulus in epist. ad Hębr. c. 7. de pane, & uino, quę Melchisedec obtulit, meminerit.

Quomodo Melchisedec nō tanquā rex, sed tāquā sacerdos protulit Abraę panē & uinū deo oblatum in gratiarum actionē pro uictoria Abraę.

quod ab hæreticis obijci solet, vt oblationē, & sacrificiū Melchisedec typum oblationis, & sacrificij altaris negēt, non dicere scripturam, obtulit panem, & vinum Melchisedec, sed protulit, ab ipsa scriptura dilutū est: quod enim ab eis requiritur verbum offerendi, satis suppleuit contra istorum tendiculas circumstantia causæ subiectæ, cum ait scriptura, erat enim sacerdos Dei altissimi; cum sacerdotis sit offerre Deo huiusmodi oblationes, & sacerdotis itē benedicere. immo admiranda est hic œconomia scripturæ, non enim dixit, at vero Melchisedec rex Salem, proferens panem, & vinum, benedixit ei, erat enim sacerdos Dei altissimi; etsi hoc quoque dici poterat, siquidem sacerdotis est benedicere, non tamen sic dicere expediebat; sed illud magis, protulit panem, & vinum, erat enim sacerdos Dei altissimi, vt testimonium scripturæ S. haberemus, obtulisse Melchisedec panem, & vinum Deo, quod aliquando hæretici negaturi essent; & hæc prius oblata Deo, dedisse postea Abraæ; quod Christi in cœna sacrificium plane adumbrauit, vt ecclesiastici patres tradiderunt. Sic enim beatus Chrysostomus in homilia in illud, cum ascendisset Iesus in templum, Melchisedec, inquit, Spiritu prophetico excitatus, τὴν μέλλουσαν τοῦ χριστοῦ προσφορὰν τῷ θεῷ προσκομίζεσθαι νοήσας, ἄρτῳ καὶ οἴνῳ τὸν θεὸν ἐγέραιρε μιμούμενος τὸν μέλλοντα τὸν χριστὸν, cum, inquam, Melchisedec oblationem, quam Christus facturus erat Deo, animo contemplaretur, pane, & vino Deum celebrabat, futurum Christum imitans. Quomodo autem Deum imitatione exempli Christi celebrabat, nisi quia panem, & vinum eidem offerebat, cui Christus panem cælestem oblaturus erat? & pauló post ad huc clarius, tu es, inquit, sacerdos in æternum secundum ordinē Melchisedec, ἐν ἄρτῳ καὶ οἴνῳ τῶν ἐθνῶν προσκομίζων προσφορὰν εἰς τὸ διηνεκὲς, in pane inquit, & vino oblationem gentium in perpetuū offerens. Beatus Cyprianus in epist. ad Cæcilium, loquens de sacramento altaris, qui ordo, inquit, vtiq; hic est de sacrificio illo veniens, & inde descendens, quod Melchisedec

Quomodo quod heretici requirunt uerbum offerendi in pane & uino à Melchisedec prolatis, scriptura suppleuit circumstātia causę subiectę, cur panem, & uinum Abraę prętulerit.

Qui ueterū auctorū testes sint oblationē Melchisedec panis & uini fuisse typum S. Eucharistię in specie panis & uini á Christo deo patri oblata.

» dec sacerdos Dei summi fuit; quod panem & vinum ob-
» tulit; quod Abraæ benedixit. nã qui magis sacerdos Dei
» summi, quàm dominus noster Iesus Christus, qui sacrifi-
» cium Deo patri obtulit? & obtulit hoc idem, quod Mel-
» chisedec obtulerat, idest, panem, & vinum, suum scilicet
» corpus, & sanguinem. Hactenus martyr Cyprianus. sunt
ne hæretici Cypriano doctiores, aut sanctiores, vt tãto au-
ctori audeant contradicere? Clemens Alexandrinus lib. 4.
» stromatũ loquens de Melchisedec, ὁ ἱερεὺς inquit, τοῦ θεοῦ
» τοῦ ὑψίστου, ὁ τὸν οἶνον καὶ τὸν ἄρτον τὴν ἡγιασμένην διδοὺς τροφὴν εἰς
» τύπον εὐχαριστίας, ille, inquit, sacerdos Dei altissimi, qui ui-
» nũ, & panem cibum sanctificatũ dedit, ut typus Euchari-
» stię esset. Ecce, panem sanctificatum dicit dedisse Mel-
chisedec Abraæ, idest, oblatũ Deo. Etenim si ideo sancti-
ficauit panem, ut esset typus Eucharistię, necesse est, ut nõ
sic sanctificatũ dederit, ut nos communes cibos, quibus
vescimur, prius per uerbum, & orationem, sicut Aposto-
lus ait, sanctificamus quidem, sed non offerimus; quin-
potius sanctificatum, idest, per benedictionem Deo obla-
tum dedit; alioqui omnis cibus, quo aliàs Melchisedec
cum sanctificatione, & gratiarum actione uescebatur, ty-
pus etiam Eucharistiæ fuisset, quod quàm sit ridiculum,
nemo est, qui non videat; quasi vero quicquid comederet,
quia erat sacerdos Dei, comederet; & non potius, quia ho-
mo erat humano alimento indigens. B. Hieronymus in
» epist. ad Euagrium, de Melchisedec pane, inquit, & vino,
» simplici puroq; sacrificio Christi dedicauit sacramentũ.
S. Marcus Anachoreta ętate beati Hieronymi, & summa
in scripturis sanctis eruditione, & exercitatione in lib. de
» Melchisedec, Melchisedec, inquit, redeuntibus ex bello
» protulit panẽ, & uinum: sic Christus redeuntibus ex bello
» spirituali dat panem sanctificatum dicens, comedite ex eo
» omnes. Sanctificatum dixit, idest, oblatum Deo, illa .n.
mystica benedictione panem, & vinum, suum scilicet cor-
pus, & sanguinem obtulit, ut paulo ante dixit beatus Cy-
prianus. non bene autem hic tantus auctor sanctificatum
cum

Quomodo Melchisedec panẽ sanctificatũ id est, Deo prius oblatum dedit Abraę.

cum non sanctificato comparasset, nisi Melchisedec panem quoque, & vinum sanctificasset, idest, obtulisset. Prętereo reliqua Patrum testimonia, quæ alij scriptores recitant. redeo ad locum Pauli in quæstione propositum de benedictione Melchisedec sine mentione panis, & vini; quem locum beatus Cyrillus doctissime libro 2. in Genesim interpretatur. Accepit, inquit, Paulus pro symbolo sacerdotij, quod est sacerdotio legis præstantius, benedictionem Melchisedec, qua benedixit Abraæ, prębens ei panem, & vinum. nec enim aliter benedicimur à Christo magno, & vero sacerdote. & paulo post, explicans, quomodo benedicimur à Christo magno sacerdote, benedicimur, inquit, per Christum regem pacis, benedicimur, inquam, accipientes, velut donum quoddam cæleste, & viaticum terræ sempiternæ, ac cælestis ipsa mysteria. Hactenus Cyrillus. Si Melchisedec benedixit Abraę prębens ei panem, & vinum, quia non aliter à Christo benedicimur, nisi per participationem panis, & vini cælestis, id est, corporis, & sanguinis eius, & benedictio Melchisedec, qua benedixit Abraę præbens ei panem, & vinum, symbolum fuit sacerdotij nouę legis, in quo verus cibus, & verus potus Deo offeruntur, ergo vbi Paulus meminit de benedictione Melchisedec, qua benedixit Abraæ, inquiēs, & hunc, qui habebat repromissiones, benedixit, ibi in ipsa benedictione licet tacite mentio panis, & vini continetur, auctore, & interprete beato Cyrillo, immo vniuerso choro sanctorum patrum, qui sanctificationem panis, & vini Melchisedec cum sanctificatione panis, & vini mystici, & benedictionem Melchisedec, qua benedixit Abraæ præbens ei panē, & vinum, cum benedictione, qua Christus nobis benedicit præbens nobis sacramentum corporis sui tanquam typum cum veritate ipsa comparant. nō iudicabat Apostolus, qui instinctu spiritus sancti scribebat, opus esse, vt de pane, & vino nominatim mentionem faceret, quę cum benedictione Melchisedec sic colligata erant, vt scripturā Genesis solueret, qui nō simul vtrumq; intel-

Quomodo in ipsa benedictione, qua Melchisedec benedixit Abraæ, continetur mentio panis & uini auctore & interprete Cyrillo.

Quare uisum est Paulo non necessariū meminisse panis & uini in benedictione Mel-

chiſedec, qua benedixit Abrę proferens ei pa nem, & uinum.

intelligeret, benedictionem dico Melchiſedec, & panem, ac vinum, quæ prębens Abraæ, benedixit ei; nō enim Melchiſedec ſine pane, & vino benedixit Abraę, vt ſcriptura Geneſis teſtatur. quid igitur opus nobis erat, vt Paulus panis, & vini meminiſſet, ſi benedictionis meminit? an hoc non ſatis erat legem ſçientibus? an ſcribebat Apoſtolus ignorantibus hiſtoriam Geneſis? ſed rurſus explanans paulo poſt idem Cyrillus illud Apoſtoli in eodem loco, &
» amplius adhuc manifeſtum eſt, ſi ſecundum ſimilitudinē
» Melchiſedec exurgat alius ſacerdos, qui non ſecundum
» legem mandati carnalis factus eſt, ſed ſecundum virtutē
» vitæ inſolubilis. erat, inquit, Melchiſedec imago, & figu-
» ra Chriſti, qui quidem non fungebatur ſacerdotio ſacrifi-
» cans ſecundum carnem, ſed ſecundum virtutem vitæ in-
» ſolubilis, τρέφει γὰρ ἡμᾶς εἰς ἀμάραντον ζωὴν ταῖς μυστικαῖς ἱε-
» ρουργίαις, id eſt, nutrit enim nos ad vitam inacceſſibilem myſticis ſacrorū operationibus. myſteria corporis, & ſanguinis ſignificat, quæ à ſacerdotibus conſecrantur. Su-
» biungit deinde, quippe Aaron ſecundum carnem ſacrifi-
» cabat; boues enim, & oues mactabat; & cinis vituli aſper-
» ſus inquinatos ad emundationem carnis ſanctificabat,
» quę non faciebant perfectos ſecundum conſcientiam ſer-
» uientes. Hactenus Cyrillus. Si ſecundum ſimilitudinem Melchiſedec factus eſt Chriſtus ſacerdos fungens ſacerdotio, id eſt, ſacrificans non victimas, quę mactantur, vt boues, aut oues, de quibus mandatum habebant ſacerdotes veteris legis, ſed hoſtiam vitæ inſolubilis, vt hic ait Apoſt. id eſt, ſeipſum, oportet igitur agnoſcere in Melchiſedec ſacerdote non ſolum ſimilitudinē æternitatis, quæ in ſacerdotio Chriſti eſt, quam ſimilitudinem ſigillatim
» notauit Apoſt. cum ait de Melchiſedec, ſine patre, ſine
» matre, ſine genealogia, nec initium dierum, neque finem
» vitæ habens; aſſimilatus autem filio Dei, manet ſacerdos
» in perpetuum; ſed etiam ſimilitudinem in fungendo ſacerdotio, id eſt, in ſacrificando, & benedicendo. hęc enim ſunt, vt antea dixi, propria ſacerdotis, benedicere ſcilicet,

& ſa-

&'sacrificare.quare si in eo loco scripturę non sacrificauit Melchisedec, cum proferens panem, & vinum, benedixit Abraæ,cum nusquam aliàs fiat mentio de sacrificio eius, dicendum erit nunquam sacrificasse, quia tacitum sit in scriptura;sicut dicitur sine genealogia,& initio,ac fine dierum carere, quia tacitum est in scriptura, atque ita sequitur, frustra fuisse sacerdotem, siquidem verum est, quod „ Apostolus ait, omnis Pontifex ad offerendum munera,& „ hostias constituitur, non potest autem dici, vt frustra fuerit sacerdos, igitur in illo Genesis loco, cum alius non extet, sacrificauerit, necesse est. Pręterea, si non pretermisit scriptura eorum sacrificia ante Melchisedec, quos neque nominauit quidē sacerdotes,vt Abelis,Noe,Abraæ,Isaac, Iacob, & postea Iob, quomodo pretermiserit sacrificium Melchisedec,quem sacerdotē Dei altissimi nominat?Quo modo hæretici hæc eludere, aut cum aliqua specie rationis in eis tergiuersari poterūt? Videamus igitur de similitudine ipsius sacrificij Melchisedec, quod sacrificium isti, etsi in mille formas se induant, & vt est in fabulis, Protei fiant, effugere non possunt; similitudo enim sacerdotij Christi cum sacerdotio Melchisedec omnibus apparet; quia ab Apostolo signata, & expressa est, quę in eo consi- „ stit, quod Melchisedec nec initium dierum, neque finem „ habens,assimilatus filio Dei, manet sacerdos in perpetuū „ sic dominus Iesus semel se offerēs in cruce ad multorum „ exaurienda peccata, morte interueniente.non desiuit esse „ sacerdos, semper viuens ad interpellandum pro nobis.verum hec similitudo sacerdotij Christi cū sacerdotio Melchisedec,hactenus non efficit ex toto,vt dicatur,& sit Christus factus sacerdos secundum similitudinē Melchisedec, vt Apostolus ait, nisi appareat etiam similitudo sacrificij Christi cum sacrificio Melchisedec sacerdotis, pręsertim cum magis ad rationem sacerdotis ratio sacrificij, quàm ratio perpetuitatis pertinere videatur. Atqui certe sacrificiū Christi in cruce cruentū cum sacrificio Melchisedec ex pane, & vino, quę cibus & potus incruētus sunt,nō ha-

Quomodo sequatur nunquā sacrificasse Melchisedec,ac proinde frustra sacerdotem fuisse si in loco Genesis non sacrificauit,cum panem et vinū tanquā sacerdos protulit Abraę.

Quō Christus non esset factus sacerdos secundum similitudinem Melchisedec, nisi appareret similitudo sacrificij Christi cū sacrificio Melchisedec.

HH bet

bet similitudinem, quam habet quidem idem ipsum sacrificium alio modo, scilicet incruente, & in specie panis & vini factum, quod Deo offerens dedit Christus discipu-
„ lis suis dicens, accipite, & manducate, hoc est enim corpus
„ meum, quod quidem & nos cum accipimus, à Deo benedicimur, sicut Melchisedec in typum mystici panis futuri præbens panem Abraę, benedixit ei. In hoc igitur sacrificio incruẽto est similitudo sacrificij Melchisedec, quam secundum Apostolum quęrimus: quare natura panis, quæ fuit in typica similitudine, non est in ipsa veritate, quæ in illa tanquã in vmbra quadam apparuit; alioqui corpus nõ esset natura prętantius vmbra, quin potius, vt scriptura vtrũq; testatur, & ille, quẽ Melchisedec præbuit, genere & natura panis fuit: & quẽ Christus benedixit, & dedit, corpus eius est. vt. n. scripturæ testimoniũ habemus, protulisse Melchisedec sacerdotẽ panẽ, & vinũ Abraæ, scilicet ad comedẽdũ, & bibẽdũ; ad hunc. n. vsum profertur panis & vinũ, sic habemus testimoniũ euãgelij, Christũ sacerdotẽ secundum ordinem Melchisedec, panem, & calicem in manus accepisse, & hęc per mysticam benedictionẽ dicendo, Hoc est corpus meum, hic calix sanguinis mei, in corpus, & sanguinẽ suum conuertisse, & Apostolis primitijs filiorum Abraæ, & noui testamenti ad comedendum, & bibendum dedisse in specie panis, & vini; has enim remanere saluas, non opus fuit euangelij testimonio, quod satis ipsi sensus testantur. Postremo, sic etiam concluditur, corpus Christi esse in sacramento contra Metonymicos, conclusione ducta ex similitudine sacerdotij Christi cũ sacerdotio Melchisedec ab Apost. notata, Melchisedec rex Salem, quia erat sacerdos Dei, quod natura sua optimum & commodissimum erat reficiendis, & redintegrandis viribus corporis, hoc oblatum Deo prius in gratiarũ actionem pro victoria Abraæ, dedit ei cum benedictione ad comedendum & bibendum reuerso à cæde regum: Christus igitur verus Melchisedec, qui factus est iustitia nostra, & sacerdos secundum ordinẽ Melchisedec, quod inter assiduam

Quomodo ex similitudine sacerdotij Christi cum sacerdotio Melchisedec cõcludatur corpus Christi esse in sacramento contra Metonymicos.

duam pugnam carnis,& ſpiritus optimum,& commodiſſimum natura ſua erat viribus animę reficiendis,& redintegrandis, hoc dedit ſecundum ſi militudinem ſacrificio Melchiſedec adumbratam ad comedendum, & bibendū vero ore carnis:dedit igitur corpus ſuum & ſanguinē in ſi militudine panis, & vini. Hactenus de epiſtolis Pauli contra hæreticos.

Diſputatio ex epiſtola priore beati Petri contra Metonymicos, quomo modo demonſtretur ex verbis eius, Chriſtum eſſe præſentem in ſacramento,licet oculis corporis non videamus: et quomodo qui hoc credūt, à Petro laudentur: & quomodo S. quoque Thomas ſic intellexit hunc locum, loqui ſcilicet beatum Petrum hic de præſentia corporis Chriſti in ſacramento, tametſi non videmus: & quomodo videre per ſpeculū in ænigmate eſt videre Chriſtum in ſacramento Theodoreto interprete:& quomodo hæretici Metonymici non vident nunc per ſpeculum in ænigmate contra auctoritatē Apoſtoli: & quomodo lex euangelica nō poteſt habere ipſam imaginē rerum in ſacramentis,ſicut Apoſt. docuit, niſi ſint res præſentes,& quomodo qui videt per ſpeculum, ipſam imaginem rerum præſentium videt:& quomodo Metonymici cum panem ſuum ſacramentalē figurā corporis abſentis faciunt, preſentiā rei ſeparant ab imagine, et imaginē ab ſpeculo: et quòd iſti quia nūc non vident Chriſtum præſentem per ſpeculum, nec in futuro per ſpeciē videbunt.

CAP. XVI.

SEd poſt quam locos epiſtolarum beati Pauli non omnes,ſed qui potiſſimum Metonymicos redarguere videbantur, perſecuti ſumus, age ſcrutemur deinceps, & excutiamus, quæ princeps apoſtolorū Petrus de ſacramento corporis Chriſti in priore epiſtola, etſi obſcure, & tecte ſcripſit, ſic enim oportebat de eo myſterio ſcribere, de quo ſermo à domino in euāgelio Ioannis factus ita durus quibuſdam ex diſcipulis viſus fuerat, vt multi ex eis poſtea, vt euangelium narrat, abirent retro, cum percontante domino duodecim, nū etiā ipſi abire vellent, vnus
„ Petrus ſuo, & cæterorum nomine reſpondit, domine, ad
„ quē ibimus? verba vitæ æternæ habes,& nos credimus, &
„ cognouimus, quia tu es Chriſtus filius Dei viui. hoc. n.

HH 2 dixit

dixit intuēs in dñm, qui de carne ſua viuifica dāda ad mā-
„ ducandū in vitā æternā dixerat, verba, quæ ego loquor, ſpi
„ ritus & vita ſunt. Hic igitur tātus Princeps Apoſtolorū, ac tā admirabilis Apoſtolus, ac prędicator fidei, vt ab ipſo exordio epiſtolæ locū repetamus, principio, vice ſalutationis, gratiæ illius, quæ vnicuique credentium ſecundum menſuram donationis, ſicut Apoſtolus ait, data eſt, & pacis multiplicationem ad conciliandam Dei beneuolentiam ijs precatur, ad quos ſcribit ex reliquiis diſperſis Iudæorum credentium, quos elegit Deus Pater, vt per obedientiam Chriſti vſque ad mortem, & per ſanguinē eius, qui ſe pro eis ſanctificauit, id eſt, obtulit Deo, ipſi eſſent ſanctificati, hoc eſt conſecrati & oblati Deo, ac iuſtificati per ſpiritus S. cooperationem. Accommodate igitur ad hanc ſalutationem, quia huius ſanctificationis, ad quam nos Deus ſecundum beneplacitum ſuum in Chriſto per ſpiritum S. elegit, initium eſt baptiſmus ceu prima radix, & conſummatio ac perfectio eſt S. Euchariſtia, quæ eſt, ſicut tradit diuinus Dionyſius, finis totius eccleſiaſticæ hierarchiæ, quæque ſanctificatos ſumma vnione ſpirituali & corporali cum Deo vnit; idcirco de myſterio baptiſmi prius, & ſtatim de myſterio myſteriorum S. Euchariſtia

Explicatio principij epiſtolę prioris catholicę beati Petri.

Noſtræ ſanctificationis initiū & radix baptiſmus; conſummatio S. Euchariſtia.

„ agit. Benedictus, inquit, Deus & Pater Domini noſtri Ieſu
„ Chriſti, qui ſecundum miſericordiam ſuam magnam re-
„ generauit nos in ſpem viuam per reſurrectionē Ieſu Chri-
„ ſti ex mortuis. in mortem enim Chriſti baptizati ſumus, vt ſicut Chriſtus nō potuit à morte detineri; ſic reſurgens à mortuis, baptizatos in mortem ſuam, à morte ſecū ex-
„ traheret. Scimus enim, ſicut Apoſtolus ait, quòd qui ſu-
„ ſcitauit Ieſum, & nos cum illo ſuſcitabit. Hæc itaque ſpes reſurgendi per reſurrectionē Ieſu Chriſti, qua ſperamus per charitatē, quæ eſt energia ac velut anima ſpei, quòd qui Chriſtum ſuſcitauit, & nos ſuſcitabit, viuit in renouatis per lauacrum aquæ; vt ſit iam ſpes viua, ſpes immortalitatis plena, ſicut Salomon ait; plena inquam, immortalitatis propter reſurrectionem Chriſti. ſequitur deinde, in hære-

„ hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & im- Quę sit spes viua in epist. Petri.
„ marcessibilem conseruatam in cęlis in vobis. Ad hoc, in-
„ quit, regenerauit nos, vt regenerati & filij Dei effecti, hæredes simus vitæ æternæ, ac beatæ in cælis, nũc quidẽ spe, re vero plene post consummationẽ sæculi. Hoc enim significat, regenerauit nos in salutem paratam reuelari in
„ tempore nouissimo. Nũc enim etsi filij Dei sumus, tamen,
„ sicut B. Ioannes ait, nondum apparuit, quod erimus. sci
„ mus autem, quod cum apparuerit, similes ei erimus. vt iã hæc sit illa cælestis, & beata hæreditas, esse scilicet similes Deo, vnitosq; cum eo beate, ac videntes eum, sicuti est. Sed quibusnam seruatur hæc hæreditas? ijs, inquit, qui in virtute Dei custodiuntur per fidem, sic enim ait Dominus
„ de electis apud Ioannem c. 17. Ego custodiui & nemo ex
„ eis periit. & rursus cap. 10. Vos non creditis, inquit, quia
„ non estis ex ouibus meis; oues meæ vocem meã audiunt;
„ & ego cognosco eas, & sequuntur me; & ego vitam ęter-
„ nam do eis, & non peribunt in ęternum: & non rapiet eas
„ quisquam de manu mea. igitur qui audiunt vocem Dei, id est, qui ei credunt, & obediunt, ij sunt, qui virtute Dei custodiuntur in vitam æternã, quam ijs daturus est, quos nemo potest tollere de manu eius, vt custodia munitissima virtutis Dei, & fide firma septos. sequitur deinde, in
„ quo exultatis, modicum nunc, si oportet, contristati in va-
„ riis tentationibus; quod perinde est, quasi diceret, idcirco propter spem huius salutis futuræ, quam dixi, & gloriæ in vobis reuelandæ tribulationes alioqui breues & leues, si opus est, læto, & exultanti animo fertis. sequitur, vt pro-
„ batio vestræ fidei multo pretiosior auro, quod per ignem
„ probatur, inueniatur in laudem, & gloriam, & honorem,
„ in reuelationem Iesu Christi. Explicat iam magis fructum tolerandi tentationes, & pręmium ad augendam alacritatem perpetiendi; quasi diceret exultatis in tentationibus, vt cum post tẽtationes inuenerit dignos se, vt est in libro Sapientiæ, (hæc est enim probatio fidei) tunc in die iudicij, cum venerit dominus in maiestate sua, (Hæc est enim reuela-

reuelatio Iesu Christi) feratis laudē benedictionis illius;
„ cum dicetur vobis, Venite benedicti patris mei; & splendeatis sicut angeli, percipiatisque honorem regni parati vobis à constitutione mundi. Sequitur deinceps locus nostri propositi proprius de Christo ipso, qui vsque ad consummationem sęculi nobiscum est; sicut idem promisit, licet non videamus eum oculis corporis facie ad faciem, tametsi credimus præsentem esse apud nos in domo Dei, quæ est Ecclesia. Quia ergo dixerat, in reuelatione Iesu Christi, opportune & commode sermonem induxit de Christo, quem pręsentem habemus non reuelatum, sed
„ tectum; quem inquit, cum non videritis, diligitis; ad illud enim respexit, quod dominus dixit, Beati, qui non viderunt, & crediderunt; scilicet vt credentes, diligerent eum.
„ sequitur, in quem nunc non videntes, sed credentes, exul-
„ tatis lætitia inenarrabili & glorificata, reportantes finem
„ fidei vestræ salutem animarum vestrarum. Interrogemus hic Caluinos, quare dixit, in quem nunc non videntes, qui proxime dixerat, quem cum non videritis? non enim dixit, quem cum nunc non videritis, creditis; sicut dicit, in quem nunc non videntes, sed credentes. quorsum inquam, & qua ratione B. Petrus tempus illud præteritum, quo discipuli quidem viderunt in terris Christum; ii vero, ad quos nunc scribit, non viderunt, distinxit ab eo tempore, ex quo facti erant isti Christiani, in quo, ait, non videre istos Christum nunc, sed credere, si vt tunc isti non viderunt, quia tunc non fuerunt; sic neque vident nunc eum, quia non sit is in terra, sed in cælo? Quid enim interest ad diligendum quempiam & credendum ei, non vidisse illum, quia non viximus, cum ille esset? aut non videre eum nunc, quia apud nos non est? eandem enim vim habet vtrumque. significat ergo B. Petrus non vidisse istos ad quos scribit, Iesum, vt quidem viderant discipuli: modo autem ex quo tempore ad fidem isti venerunt, quod recens erat, id enim significat ἄρτι quo vsus est idem Petrus
„ proximo sequenti capite, cũ ait, ὡς ἀρτιγέννητα id est, tanquã, modo

Quomodo demonstretur verbis beati Petri Christum esse præsentē in ecclesia, licet oculis corporis nō videatur.

„ modo geniti infantes, id est, recenter batizati, de ea enim generatione loquitur; modo inquam ex quo ad fidem venerunt, significat esse quidem præsentem illis Christum, sed nō videre eos, licet crederent præsentem esse: alioqui quid laudis haberet, non videre absentem, licet crederēt absentem? igitur nō videbant, nō quia non esset præsens, sed quia velatus aliena specie, ita vt nō oculis corporis eū viderent alioqui præsentem, sed oculis fidei, quod est credere eum adesse. Sic quoque intellexit B. Thomas in opusculo de sacram~to venerabili corporis Christi cap. 15. loqui scilicet B. Petrum hic de credētibus Christum adesse, nempe, in sacramento corporis eius; tametsi non videant eum. Caluinistis igitur non potest conuenire laus ista, quā B. Petrus illis tribuit, & nobis; non possunt, inquam, laudari, quòd quem non vident nunc, vt pote absentem, cælo enim includunt Christū, eum tamen credant absentē esse. vt quidē digni sunt laude catholici, qui credunt esse nunc præsentem, in quē credunt, licet non videant in pro-
„ pria specie; per fidem enim ambulamus, & non per spe-
„ ciem. Deinde, cum dicit B. Petrus, in quem nūc non vidē-
„ tes, sed credentes, non negat illud genus videndi, quod
„ Paulus concedit, cum ait, videmus nunc per speculum in
„ ænigmate. sicut enim, vt ait in epis. ad Cor. priore Theodo
„ retus hunc locum interpretans, videmus in baptismo tā-
„ quam in speculo imaginem resurrectionis, addam ego,
postea autem videbimus ipsam resurrectionem; similiter
„ nunc, vt idem Theod. ait, per symbola mystica corporis &
„ sanguinis Christi Christum ipsum videmus, postea autem
„ videbimus facie ad faciem, & sicuti est, vt B. Ioannes ait.
quin potius illud genus videndi negat, quod idem Paulus in alio loco negat, quod vocat, vt paulo ante dixi, ambulare per speciem, cum ait in epist. ad Cor. 2. dum sumus
„ in hoc corpore, peregrinamur à domino. per fidem enim
„ ambulamus, & non per speciem. quem locum his verbis
„ idem Theodor. explanat, inquiens, non ait procul nos
„ abesse à domino, dū sumus in corpore mortali; sed quod

cum

Astipulatio beati Thomę, loqui beatum Petrum de pręsentia Christi in sacramento.

Quomodo Caluiniani exclusi sunt ab ea laude, quā Apostolis tribuit, quibus dicit, inquē nunc non vidētes, sed credentes &c.

Quomodo videre nunc per speculū in ęnigmate, Christum uerum apparet in sacramento Eucharistię.

" eum nunc oculis non cernimus; cernemus vero tunc, eri-
" musque cum eo. nunc enim ait res ipsas non videmus,ni-
" si per fidem.quamobrem desideramus exire ex corpore,&
" ad dominum proficisci. Hactenus Theodor. Vt ergo scripturam Pauli ad interpretationem scripturæ Petri adhibeamus, cum ait,in quem nunc non videntes,subaudiendum est, scilicet præsentem per speciem, sed videntes per speculũ in ænigmate. Quod igitur Metonymici,qui Christum à sacramento sub aspectum cadente excludunt,& cęlo includunt,non vident nunc Christum per speculum in ænigmate, contra Apostoli auctoritatem faciunt:speculũ enim non reddit imagines absentiũ,sed pręsentiũ.immo nõ vidẽt aliter quàm Iudęi olim in vmbris re vacuis. Hoc tantum interest, quod illi futurũ sperabant quòd isti nobiscum venisse credunt. Age ergo Metonymice,si tuus panis sacramentalis, vt vocas, est figura corporis absentis, quod extra sacramentum ponis,& cælo includis,quomodo fit tibi panis tuus speculum?nam ænigma facile dices, qui panem tuum signum tantum facis. Excita ab inferis "
Caluinum, aut Petrum Martyrem, & pete ab eis,vt edisse- "
rant tibi quemadmodum lex Euãgelica contra atque illa
vetus Mosayca,ipsam imaginem rerum habeat,sicut Apo "
stolus ait, si res præsentes non sunt, sed absentes. sic enim
illa etiam vetus habebat imagines rerum,quæ ab illa æta "
te & statu rerũ,& conditione legis,& Israeliticę gentis procul aberant, in alium statum noui testamenti, & in alia
tempora reseruatę. Quare si qui videt per speculũ, ipsam "
imaginem rerum pręsentium videt,quomodo aut pręsen "
tia rei ab imagine;aut imago,siue figura ab speculo seuo "
cari potest? Vtrumque tamen faciunt Metonymici, dum panem faciunt figuram corporis absentis. corpus enim absens per speculum videri non potest; & vbi res, quia absens est, non videtur per speculum, ibi vt pręsentia rei ab imagine, siue figura separata sit, necesse est. Huc euasit Metonymicorum disciplina, vt contra Apostolum per speculum non videant nunc; vt qui per speculum nunc non

Scriptura Pauli ad interpretationem scripturæ Petri adhabita.

Quomodo Metonymici cõtra Apostoli auctoritatem non uidẽt nunc Christum per speculum in ęnigmate.

Quòd Caluinus nullo modo explicare potest, quẽadmodum lex euangelica ipsã imaginem rerũ habeat,sicut Apostolus ait, nisi cõcedat res esse pręsentes.

Quòd Metonymici, qui cõtra Apostolũ nõ uident nũc per speculum: neq; per speciem in altero sęculo ui debunt.

non vident, neque per speciem in altero seculo visuri sint.

Cõtinuatio interpretationis loci propositi ex epistola B. Petri: et quomodo magis adhuc pateſit loqui beatũ Petrum de præsentia Christi in sacramento: & quomodo Dionysius interpretatur, quod beatus Petrus ait, reportare nos nunc finem fidei nostræ salutem animarum nostrarum. item diuina explicatio eiusdem Dionysii de mysterio incarnationis: & de sacramento S. Eucharistię: & quomodo aperte dicit præsentem esse Christum in sacramento: & quomodo salus, siue vita animarum nostrarum, quam præstat nunc digna participatio Christi in sacramento, finis est nunc fidei nostræ; idque testimonio etiam S. Maximi, & beati Cyrilli.

CAP. XVII.

Sed prosequamur deinceps quę in loco B. Petri proposito sequuntur; quibus magis adhuc probatur loqui B. Petrum de Christo, quẽ nunc non videmus per speciem, sed per speculum in sacramento vice ęnigmatis, quod est videre presentem per fidẽ. subiungit enim. „Exultatis lætitia inenarrabili, & glorificata; vt reddatur hæc „sententia, nunc autem non videntes adesse, sed credentes „exultatis lætitia maiore, quàm dici possit, id est, quæ humanam superat. Similis lætitia erat, de qua Ioannes præ„cursor, qui dominum vidit præsentem, amicus, inquit, spō„si, qui stat, & audit: gaudio gaudet propter vocem sponsi. „Hoc ergo gaudium meum, inquit, impletum est. glorificatam vero lętitiam vocat, quasi diceret lætitiã vitæ æternę & cælestem. sicut idem Petrus, cum dominus de hoc sacramento disseruisset, præsentiens, iam & prægustans hãc „lętitiam, percontante eo, Nunquid & vos vultis abire? re„spondit, domine ad quẽ ibimus? verba vitæ ęternæ habes, „& nos credimus & cognouimus, quia tu es Christus filius Dei. Hoc ipsum igitur qui credunt vere & spiritualiter, qđ in hoc sacramento sit pręsens Christus filius Dei, tametsi non videant eum, lętitia admirabili perfunduntur. Quale enim gaudium est credere pręsentem esse, & à nobis in præsentia participari Christum Dei filium nostrarum animarum sponsum ac remuneratorem? Hoc igitur gaudio

Quomodo magis adhuc pateſiat, loqui beatum Petrum de pręsentia Christi in sacramento.

Quomodo Metonymici gaudio, & exultatione inenarrabili

se priuant; & priuare uellent Ecclesiã si possent.

& exultatione inenarrabili se & eos, qui ipsos audierunt, Metonymici priuauerunt, & Ecclesiam catholicam priuare vellent, si possent. Explicat deinde B. Petrus causam huius tantæ exultationis, subiungens: reportantes finem fidei vestræ salutem animarum vestrarum. Repetendum est illud, nunc, proximũ; vt sit, in quẽ nunc non videntes, sed credentes, exultatis lętitia inenarrabili, reportantes nunc finem fidei vestræ, salutem animarum vestrarum. illam salutem animarum dicit, quam Dionys. Areopagita ait capite primo Eccles. hierarch. non posse fieri sine deificatione, quam θέωσιν vocat, quæ est, vt idem ait, similitudo cum Deo, & cum eodem vnio. hæc fit per dignam communionem corporis Christi. & hæc est, quæ deificat. siquidẽ per eam magis efficimur, vt B. Petrus ait, diuinæ naturæ consortes. Hęc communio siue participatio corporis Christi vocatur ibidem ab eodem Dionysio τῆς ἐποψίας ἑστίασις, id est, conuiuium inspectionis, quod nutrit, inquit, spiritualiter, & deificat. legi scholion huic loco in vetustissimo codice appositum, his verbis. τῆς ἐποψίας ἑστίασιν λέγει τὴν μυστικὴν τράπεζαν προσφερομένην, id est, conuiuium dicit, in quo mystica mensa apponitur. inspectionis vero conuiuiũ vocauit, quod in hoc cõuiuio mystico ea inspiciamus contemplatione mentis, ad quorum memoriam fit, sicut dominus dixit, Hęc facite in meam commemorationem. vnde Dauid de huius mystici conuiuij sacramento prophetans, quod idem Dionysius quasi in extrema pagina capitis de cõmunione interpretatus est, Gustate, inquit, & videte. quod ideo, inquit, Dionysius, dictũ est, quia qui in horũ mysteriorum participatione magnificentiam eorum & diuinam amplitudinem sancte contemplantur, hi diuinę beneficentię celsissima dona grata memoria laudibus cõcelebrant, hactenus Dionysius. salutem igitur animarum nostrarũ, quam digna communio corporis domini efficit, & quam B. Petrus ait, finem esse nunc fidei nostræ, idem Dionysius in cap. de cõmunione vocat vitam nostram spiritualem, quã in sacramento Christus animis nostris tribuit, intuẽs

Quomodo Dionysius salutem animarum, quã beatus Petrus dicit, interpretetur esse similitudinem cum deo, & unionẽ & quomodo fiat ipsa vnio.

Interpretatio Dionysij Areop. in illum versiculum prophetæ Gustate, & uidete, quod de sancta Eucharistia dictum est.

in illud

„ in illud quod dominus dixit, Nisi manducaueritis carnē
„ filij hominis, & sanguinem eius biberitis, non habebitis
„ vitam in vobis. Sic enim Dionysius, cum explicat, quid
ostensio sacramenti, quæ à sacerdote cōsecrāte fit, & quid
„ eius partitio symbolice significet, his inquit, descriptionē
„ sub sensum cadentem facit sacerdos in aspectū adducens
„ Iesum Christum vitam nostram spiritualem tanquam in
„ imagine; qui cum in diuinitate sua lateret, totam naturæ
„ nostrę sine vlla confusione speciem ac formam, nimia sua
„ in homines charitate, induit; & ad id assumendum, quod
„ in nobis erat partibile, sine vlla sui mutatione, cum natu
„ ra esset vnus ac simplex, processit. Hæc benefica erga ho-
„ mines charitas, qua factus est homo, fecit vt genus huma-
„ num ad sui suorumque donorum participationem ac cō-
„ munionem vocaret; si tamen cū vita eius diuina, vita no-
„ stra similitudine & imitatione, quoad fieri potest, coniun
„ cta sit. hac enim ratione participes Dei, & eorum quæ di-
„ uina sunt, reddemur. Hactenus Dionysius. Christū in aspe-
ctum adductum in imagine, id est in sacramento dicit esse
vitam nostram spiritualem: in imagine item, id est, in sa-
„ cramento, non autem in specie, nondum enim apparuit,
„ quod erimus, cum autem apparuerit, tunc erimus ei simi
les. Huiusmodi ergo vitam nostram spiritualē, quam Dio
nysius dicit, quam Christus in sacramento paticipatus,
præstat, & quam B. Petrus salutem animarum vocat, dicit
idem Petrus esse finem nunc fidei nostræ. Vnde S. Maxi-
mus in libro de Ecclesiastica mystagogia cap. vltimo, hoc
est 22. explicans, quid digna participatio Christi in sacra-
„ mēto Eucharistię efficit in nobis, quæ, inquit, dona in hac
„ vita per gratiam secundum fidē credimus nos participas-
„ se, hæc in futuro seculo reipsa ac veritate, vt est fidei nostrę
„ spes, quæ fallere nos non potest, neque qui promisit, fru-
„ strari, si mandata pro viribus seruauerimus, credimus par
„ ticipaturos, à gratia secundum fidem ad gratiam secūdū
„ speciē translati, cū Christus Iesus saluator noster nos ad
„ se traducet omnibus vestigijs mortalitatis ablatis, & do-

Diuina explicatio Dionysij Areop. de mysterio incarnationis, & sacramento S. Eucharistię, & quomodo utrūque mysteriū charitas dei in genus humanum, attulit.

Dionysius contra Metonymicos plane dicit, Iesū adduci in aspectū in imagine, idest, in sacramēto, quod autem adducitur in aspectum præsens est.

Quō salus animarum quā cōmunio corporis domini in sacramento tribuit, finis est nunc fidei nostrę, sicut beatus Petrus ait.

Quòd finis fidei nrę ī hoc sęculo, sit participatio Christi uelati in sacramento: finis uero huius fidei nostrę in altero sęculo sit participatio Christi reuelati.

natis nobis archetypis mysterijs, quæ hic obscure per symbola ostēsa fuerant. Hactenus S. Maximus. Ecce quemadmodum salus, siue vita animarum nostrarum, quæ nunc est, quę consistit nunc in participatione Christi in sacramento, finis est nunc fidei nostrę, siue gratię secundū fidē: huius vero fidei nostrę finis erit in futuro seculo salus, siue vita animarum nostrarū, quæ consistet in participatione Iesu Christi reuelati, cuius participationis imago est nunc, vt ait idem Dionys. cap. 1. cęlestis hierarchiæ, participatio S. Eucharistię, id est, Christi in sacramento velati.

Quomodo Metonimici non possunt reportare nunc finē fidei salutē animarum suarum secundum auctoritatem beati Petri.

Item beatus Cyrillus in Glaphyris Exodi libro 2. explicās allegorice, quòd de agno c. 12. scriptū est, comedent carnes hac nocte, κατὰ τὸν αἰῶνα τοῦτόν φησι, ἕως μὲν γάρ ἐσμεν ἐν τῷ δὲ τῷ κόσμῳ διὰ τῆς ἁγίας σαρκὸς καὶ τοῦ ἁγίου αἵματος παχυτέρως ἔτι μεταληψόμεθα τοῦ χριστοῦ, εἰς δὲ τὴν ἡμέραν καταντήσαντες τῆς δυνάμεως αὐτοῦ, καθὸ γέγραπται, καὶ εἰς τὴν λαμπρότητα τῶν ἁγίων ἀναβεβηκότες καθ᾽ ἕτερόν τινα τρόπον ἁγιασθησόμεθα πάλιν καὶ ὡς οἶδεν ὁ τῶν ἐσομένων ἀγαθῶν διανομεύς τε καὶ δοτήρ. Hac nocte comedent carnes, in hoc sęculo, inquit, quandiu enim in mundo hoc sumus, per sanctam carnem, & pretiosum sanguinem crassius adhuc Christum participabimus: cū autem in diem virtutis eius sicut scriptum est, occurrerimus, & ad splendorem sanctorum ascenderimus, rursus alio modo, & vt nouit, qui futurorum bonorum distributor, & dator erit, sanctificabimur. cúm ergo vna salus sit animarum nunc quidem inchoata, posteà vero in cælo perfecta, quia vna est partipatio Christi nunc quidem crassior, vt ait Cyrillus, idest per sacramentū corporis, & sanguinis eius; postea vero in cælo aperta, & velis nuda, consequens est, non reportare nunc Metonymicos finem fidei salutem animarum suarum secundum scripturā beati Petri; siquidem non habent nunc verā participationē Christi per veram carnem in sacramento, quam negant includentes eam cælo.

Quomodo de salute ista, sine vita animarum, quam S. Eucharistia tribuit, prophetæ prædixerunt; & exemplum ex prophetia Ezechielis de sacramento Sanctissimæ Eucharistiæ; & quomodo in disciplina Metonymicorum locum prophetia ista non habeat: & quomodo quod beatus Petrus ait, In quæ angeli desiderant videre, de corpore: & sanguine in sacramentis dixerit; & qui sint auctores, & testes ex veteribus.

Cap. XVIII.

SEd pergamus ad reliqua loci propositi eodem pertinentia. sequitur enim, de qua salute exquisierũt, & scrutati sunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetauerũt. gratiã dicit illã, vnde salus ista animarũ, sicut explicatũ est, existit, quæ gratia in nouo testamẽto Eucharistia vocatur Prophetas vero illos, de quib. dñs in Euang. Matth aiebat discipulis, Amẽ dico vobis, multi Prophetæ & iusti cupierũt videre, quę vos videtis, & nõ viderũt; & audire quę vos auditis, & nõ audierũt: illa scilicet verba vitę ęternę, quę B. Petrus cum alijs discipulis Christi audiuit, cum dominus de carne sua danda ad mãducandum dissereret; quam qui manducaret, in se esset nunc habiturus vitam, quam vocat hic B. Petrus vt antea dixi, salutem animarum nostrarum, finem nunc fidei nostræ vsque ad reuelationem domini nostri Iesu Christi, cum erit in altero seculo perfecta & gloriæ plena salus animarũ. Videamus ergo quomodo Prophetæ de hac gratia prophetauerunt. Ezech. cap. 37. in persona domini, Et disponam, inquit, eis testamentum pacis, testamentum ęternum erit cũ eis; & fundabo eos & multiplicabo eos. Hoc extremum dicit de Baptismo; per lauacrum enim regenerationis multiplicantur fideles; & baptismus est fundamentũ aliorũ sacramentorum; siquidem per Baptismũ diuina generatio dat, vt ait Dionysius, τὸ εἶναι θεῖως, id est, esse diuine, quod Paulus in epist. ad Hebręos cap. 3. vocat Initium substantiæ, quod hortatur vsq; ad finem firmum retinere, si participes Christi effecti sumus. sequitur, Et ponam sancta mea in medio eorum in perpetuum. Hoc dicit de sacramento S. Eucharistiæ; Ezechielis prophetia de S. Eucharistia.

ristiæ; quod magis adhuc declarat subiungens, Et erit tabernaculum meũ in eis, & ero eis Deus. Explicauit enim quæ essent illa, quę proxime dixerat sancta in medio nostrum posita; tabernaculum scilicet, siue velamen, id est, carnem, in qua habitauit plenitudo diuinitatis: Sacramẽta enim corporis & sanguinis dicuntur sancta in Ecclesiasticis Missæ orationibus; & in Missa Gręcorum diaconus tanquam conscius mysteriorum, & populi ad sacram cõmunionem accessuri monitor, Sancta, inquit, scimus: & iterum. sancta sanctis. Sic Esaias carnem Christi & cum ea vnitam diuinitatẽ sancta vocat interprete Paulo in Actis cap. 13. cum ait, quod autem, inquit suscitauit eum à mortuis non amplius reuersurum ad corruptionem, ita dixit, quia dabo vobis sancta Dauid fidelia. Hæc itaque sancta dicuntur & sunt tabernaculum, de quo ait per Prophetã Deus, tabernaculum meum erit in eis, quod summam nobiscum vnionem per communionem corporis eius significat, per hãc enim ipse manet in nobis, & nos in eo. siquidem de prima vnione Dei cum humanitate assumpta nõ dicimus tabernaculum eius esse in nobis, quin potius ipsum Deum esse in tabernaculo nostro; & sicut est in euangelio Ioannis, habitasse in nobis, id est, in tabernaculo carnis nostrę assumptæ. Dicant ergo Metonymici iuxta prophetiam Ezechielis, quomodo sancta, id est, caro & sanguis Christi in medio eorũ posita sunt, si Christũ cęlo includũt? & vt ipsi tradunt, tantũ à nobis distat Christus, quãtũ cælũ à terra? quomodo, inquã, tabernaculũ Dei, id est, caro eius in eis est, si solũ panis ab eis vere comeditur? cibus enim nõ est vere in comedente, nisi cũ vere & realiter, vt ita dicã, comeditur. Ex quo nã Propheta aut Apostolo didicerunt, fidẽ esse tãtæ efficaciæ, vt tabernaculũ istud carnis Christi, quod Propheta dicit, & ipsi in cælo tãtum collocatũ esse volũt, in medio eorũ ponat, & ipsis vere exhibeat? Quid enim delirius, aut somnij similius dici potest, quàm vt credatur præsens esse corpore, qui corpore est absens? Deinde quia per hanc gratiam substantialem san-

Quomodo sacramenta corporis & sanguinis ecclesiastico more ad imitationem scripturę dicuntur sancta.

Quid significet, tabernaculũ meũ erit in eis: & quomodo huic prophetię non est locus apud Metonymicos.

ſanctiſſimæ Euchariſtiæ ſanctificamur, ſubiungit idẽ Pro-
„ pheta ſtatim, Et ſcient gentes, quia ego dominus ſanctifi-
„ cator Iſrael, cum fuerint ſancta mea in medio eorum in
perpetuum. Prædicit enim conuerſionem gentilium, &
eorum ſanctificationẽ per hæc ſancta myſteria in medio
eorum iam in perpetuum poſita. Hæc erant maxima illa
& pretioſa dona, quibus, vt idem B. Petrus in epiſt. 2. ſcri-
pſit, diuinæ naturę conſortes efficimur. quę quidem ſi tan
to deſiderio expetebant ſancti Prophetæ, vt ſummo ſtu-
dio exquirerent, & ſcrutarentur, quando hæc eſſent futu-
ra; & huiuſmodi deſiderio & ſtudio laudem & prędicatio
nẽ meruerunt; quid vituperationis; immo quod grauius
eſt, quid ſupplicij non meruerunt, qui cum haberent hęc
ſancta in medio poſita, & in eis ſalutem, quę nunc eſt, de
medio tamen ea ſuſtulerunt; atque ita ſuſtulerunt, vt nun-
quam inquirendum, neque ſcrutandum eſſe putent, an
ita ſit, vt ipſi exiſtimant; ſed potius omnibus modis con-
tendendum, ita eſſe. Sed videamus quod deinde ſequitur,
„ quibus, inquit, reuelatum eſt, quòd non ſibi ipſis, ſed vo-
„ bis miniſtrabant ea, quę nunc nũciata ſunt vobis per
„ eos, qui vobis euangelizauerunt ſpiritu S. miſſo de cęlo.
clare iam ſignificat deſideraſſe Prophetas frui bonis, qui-
bus nos fruimur; ſiquidem cùm à Deo magno ſtudio, &
ſcripturarum perſcrutatione peterent, vt reuelaret eis,
vtrum quę prophetabant, ſuo tempore, an alio futura eſ-
ſent, reſponſum reuelationis tulerunt, non ſibi prophe-
taſſe, ſed nobis, quibus Apoſtoli poſt diem Pentecoſtes
in vniuerſum mundum profecti, hęc myſteria euangeliza
„ runt tanta ac tam admirabilia, in quę inquit, angeli ipſi
„ aſpicere deſiderant. Hoc B. Petrus dixit ſpirituali viſione
plenus; videbat enim quanta reuerentia & cultu in hoc
myſterio angeli angelorum domino aſſiſterent. quod
ſępe etiam B. Chryſoſtomus vidit, vt ſupra teſte & aucto-
re Iſidoro Pleuſiota, memini. Et in Miſſa Iacobi fratris
domini Hieroſolymitana ſic monet lector, σιγησάτω πᾶ-
σα σὰρξ βροτεία καὶ στήτω μετὰ φόβου καὶ τρόμου, καὶ μηδὲν γήϊνον ἐν ἑαυ

Quę vocet beatus Petrus maxima & pretioſa dona, quibus diuinę naturę conſortes efficimur.

Quàm graues pœnas meruerint hęretici, qui ſancta, quę in medio noſtrũ ſunt iuxta prophetiã Ezechielis, & ſalutem quę in eis eſt, animarũ, de medio ſui ſuſtulerunt.

Loci epiſtolæ beati Petri, In quæ angeli deſiderant proſpicere, interpretatio cõtra Metonymicos pluribus teſtibus citatis.

τῇ λογιζέσθω, ὁ γὰρ βασιλεὺς τῶν βασιλευόντων χριστὸς ὁ θεὸς ἡμῶν
προέρχεται σφαγιασθῆναι καὶ δοθῆναι εἰς βρῶσιν τοῖς πιστοῖς, προη-
» γοῦνται δὲ τούτου οἱ χοροὶ τῶν ἀγγέλων; Taceant, inquit om-
» nes mortales, & ſtent cum metu ac tremore; nihil terre-
» nũ cogitent. Rex enim Regum Chriſtus Deus noſter exit,
» vt mactetur, & detur in cibum fidelibus; cum vero chori
» angelorũ antecedunt. & idẽ B. Chryſoſtomus in homilia
de ſacra, & diuina menſa, & de iudicio. βαβαὶ, inquit, τοῦ
θαύματος τῆς τραπέζης τῆς μυστικῆς ἐξηρτημένης, τοῦ ἀμνοῦ τοῦ θεοῦ ὑ-
πὲρ σοῦ σφαγιαζομένου, τῶν χερουβὶμ παρισταμένων, τῶν σεραφὶμ ἱ-
πταμένων τῶν ἑξαπτερύγων τὰ πρόσωπα κατακλινόντων; πασῶν
τῶν ἀσωμάτων δυνάμεων μετὰ τοῦ ἱερέως ὑπὲρ σοῦ πρεσβευόντων οὐ
» φοβεῖς &c. O, inquit, miraculum menſę myſticę tam ma-
» gnifice inſtructę, in qua agnus Dei pro te mactatur; ad
» quam aſſiſtunt cherubini: deſcẽdunt ſeraphini, qui ſenis
» alis prẹditi, vultus demittunt: vbi omnes angeli cum ſa-
» cerdote pro te legationem obeunt, non timens &c. Huc
pertinet quod Dionyſius Areopagita in cęleſti hierar-
» chia cap. 5. & cap. 9. ait, angelos extremi ordinis pręeſſe
» Eccleſiaſticę hierarchię, & comminiſtrationi ſacrorũ; ijs
deniq; omnibus quę in domo Dei, quę eſt Eccleſia, hone-
ſte, & ſecundũ ordinem, ſicut Apoſtolus ait, fieri debent;
» vt fiat, inquit Dionyſius ſecundum ordinem noſtra ad
» Deum anagoge, & cum Deo communio, atque vnio: ac
» rurſus, ſecundum ordinem à Deo ad Eccleſiaſticum ſtatũ
» & Eccleſiaſticorum vitam munerũ communicatio ema-
net. quem locum S. Maximus hoc ſcholio illuſtrauit. an-
» geli, inquit, tertij ordinis pręſunt ſacerdotibus, καὶ ἐφορῶσι
» τὰ παρ᾽ αὐτῶν τελούμενα, id eſt & reſpiciunt myſteria, quę ab «
» eis conficiuntur. Et in cap. 5. vbi Dionyſius ait iterũ, an- «
» gelos extremi ordinis euehere ſacerdotes ad lumen diui-
» num, quod ipſi agnoſcunt. Hunc quoque locum idem
» Maximus in ſcholijs ſuis obſeruauit; vt myſteriorum, in-
» quit, cognitione plenus patefecit hoc Dionyſius, quòd
» angeli ſcilicet extremi ordinis, ſacerdotes & epiſcopos tã-
» quam pędagogi in Eccleſiis ad Deum deducant. Quod
igitur

igitur Dionysius de angelis cognouit, & B. Chrysostomus in Ecclesia videbat, quis non credat multo excellentius B. Petrum & cognouisse & vidisse? Is igitur plenus, vt dixi, cognitione, & visione spirituali, cernebat, quanta reuerentia, religione, studio & attentione sancti angeli magna mysteria corporis & sanguinis domini spectarēt. hoc
„ enim significare, & docere voluit, cum dixit, in quę desiderant angeli παρακύψαι, quod Latinus interpres vertit, aspicere. Hoc verbo vsus est Ioannes, in eo discipulo, quē siue in se intuens, siue in alium, dicit præcurrisse citius Pe-
„ tro, & venit inquit, primus ad monumentum, & cum se
„ inclinasset. (sic enim vertit interpres verbum παρακύψας) vidit linteamina, non tamen introiuit. significat hic παρακύψαι inclinare se ad prospiciendum non introeundo; quod fieri solet cum ex ostio aut per fenestrā aliquid accurate & studiose spectamus. siue cum non possumus aut nolumus ingredi: siue cum non audemus, vel cum festinamus, vt fortassis ille discipulus propter timorem non ausus intrare, ex ostio prospexit, inclinatus, siue propter celeritatem nunciandi alijs, quod viderat, siue propter vtrumque: credibile est enim timuisse, pręsertim cum audisset, quantus terror, & pauor, vt ait Euangelium, inuasisset mulieres, quę cum aromatibus ad vngēdum Iesum profectę, & in monumentum ingressę, angelum intus viderunt. Hoc igitur verbum παρακύψαι habitum exprimit tanquam inclinantis se ad prospiciendum studiose. Eodē verbo ex loco isto epistolæ B. Petri, vt arbitror, sumpto, vsus est Dionysius in prima fere pagina de communione, in eisdem mysterijs corporis & sanguinis domini attente
„ aspiciendis, ὡς πολλῶν μὲν εἰς μόνα τὰ θεῖα σύμβολα παρακύ-
„ ψαίνοντων id est, vt populus quidem in sola diuina sacramen-
„ ta siue signa inclinate aspicit; ipse vero (sacerdotem dicit,
„ qui sacrum facit) diuino spiritu ad sancta initia horū my-
„ steriorum, quæ celebrantur, beata & spiritali contempla
„ tione, ac mundo corde euchitur. initia sancta horum mysteriorum vocat diuinitatem & humanitatē Christi in sa-

Quid uerbum παρακύψαι significet.

KK cra-

cramento latentis, ex quibus sacramentum ipsum tanq̃ tã ex principijs constat. Sed ne huius loci epistolæ B. Petri interpretatio de angelis in hęc sacramẽta aspicientibus noua videatur, testis est Anastasius Patriarcha Antiochenus, sic alios; licet ipse non assentiatur, interpretatos esse. sic enim in libro variarum quæstionum Theologicarum ait hunc locum interpretans, Sunt qui dicant esse hæc, in quę
" angeli aspicere desiderant, illa, quæ oculus non vidit, nec
" auris audiuit: & quę sequũtur. alij, inquit, referunt ad sa-
" cramentum communionis: verum hanc explicationẽ im-
" probans, subiungit: Sed hoc non conuenit, siquidem hoc
" sacrificium astãtibus angelis, & eorũ præsidio atque ope-
" ra conficitur. At hęc improbatio, non tam nostræ explanationis confutatio est, quàm confirmatio; quia enim astantibus angelis, & eorum auxilio hoc magnum sacramentũ conficitur, & celebratur, vt Dionysius quoque & alij tradunt, fit, vt facile intelligamus, hæc sacramenta esse, in quę angeli astantes desiderant aspicere. Hoc vero, vt mihi videtur, Anastasium grauem alioqui auctorẽ fefellit, quòd non videbatur sibi intelligere, quemadmodum, si angeli astant, & vident, videre desiderant, cùm nemo quod iam habet, desideret. Sane quidem, angeli vbicunque sint, faciem Patris, qui in cælis est, semper vident, cum sit Deus vbique. & Christum vident in cælis reuelatum, & in Ecclesia eundẽ Christum clare cernunt, licet intra mysticũ catapetasma figuræ panis & vini; cui ita ministrãt in Ecclesia & vidẽt, vt semper ministrare & semper videre desiderent. Non .n. est dissimile, quod de cibo illo mystico scriptũ est
" in Ecclesiastico; qui me edunt, adhuc esuriẽt, quod perinde est, vt si diceret, nulla eos satietas capiet: adhuc cupiẽt edere; ac videre quidem, quod delectat, quidã pastus est eius, qui videt. itaq; cũ ait, in quę desiderãt angeli videre, significat illud videre, neque contemptum ei, qui videtur, afferre: neque satietatem ei, qui videt. Sed vt nemo iam deinceps de hoc sensu & interpretatione dubitet, testis & auctor Apostolicus est S. Marcus Euangelista, is enim in Missa,

Cur Anastasius Antiochenus interpretationem loci epis. beati Petri, quã apud alios auctores legerat, nõ probauerit: & quid eum mouerit.

in Miſſa, quam compoſuit in Eccleſia Alexandrina, quæ vſque in hodiernum diem in vſu Eccleſię illius eſt, ſic præcatur poſt conſecrationem huius magni ſacramēti, ψυχῆς
„ εὐεργέτα ὁ τοῖς ὀλιγοψύχως εἰς σὲ πεποιθόσιν διδοὺς εἰς ἃ ἐπιθυ-
„ μοῦσιν ἄγγελοι παρακύψαι. O, inquit, qui in animam benefi
„ cia confers, & eis qui in te puſillo animo fiduciam collo-
„ cant, illa tribuis, in quæ angeli proſpicere deſiderant. & quæ ſequuntur.

Quomodo hoc, quod de angelis in epis. B. Petri in ſacramēta corporis, et ſanguinis proſpicere deſiderantibus tot patrum teſtimonio confirmatum eſt Metonymicos plane redarguit: & quomodo ipſa rerū, & verborum conſequentia, & connexio interpretationem comprobet: & quomodo carimoniam comedendi agnum veterē accinctis renibus transferat Petrus allegorice ad corpus Chriſti, quod in ſacramēto comeditur. & quomodo, quod beatus Petrus iubet, perfectē ſperare in gratia, de qua loquitur, non poſſit intelligi niſi de S. Euchariſtia, quæ eſt gratia ſubſtātialis, ac per ſe ſubſiſtenſe, quæ αὐτόχαρις eſt; & dicitur: & quod Metonymici non habent nec habere poſſunt gratiam, in qua perfecte ſperare poſſint, quandiu Chriſtum in ſacramento negant.

CAP. XVIIII.

Agite nunc Metonymici, ſi quod dominus in cœna illa prima myſtica diſcipulis ſuis dedit, idéque nobis in Eccleſia reliquit, figura tantum erat corporis & ſanguinis Chriſti, quid ibi chori angelorum videre deſiderant, ſi nihil ibi præter panem & vinū eſt? aut quid opus eſt opera & præſidio angelorum ad conficiēda ſacramenta iſta magna, & omni admiratione maiora, ſi nihil ibi eſt aliud, quàm figura corporis Chriſti? tantumque diſtat ab altari Chriſtus, quantum cęlum à terra, vt vos traditis? Negabitis fortaſſe ſic eſſe locum Beati Petri interpretādum. at, Hæretice, nō ſatis eſt negare, ſed rationem reddere, cur neges, neceſſe eſt: & rurſus probare tua. nos vero lineam interpretationis ex origine ſua duximus, ex illa, inquam, ſalute animarum noſtrarū, quam B. Paulus in epiſt. ad Ti-
„ moth. priore cap. 4. vitam, quæ nunc eſt, vocat, quam di-

Quomodo locus epiſt. beati Petri Metonymicos premat tot ſanctorū patrum auctoritate expoſitus.

Animaduerſio, unde ducta ſit interpretatio loci epiſt. beati Petri in Metonymicos.

 xit

xit princeps Apoſtolorũ eſſe nunc finem fidei noſtræ, quã ſalutem, quæ vt dixi, vita eſt animarum, docuimus autore Dionyſio Areopagita, non poſſe fieri niſi per vnionem cum Chriſto ſcilicet in ſacramento corporis & ſaguinis eius; ſicut dominus in Euangelio ait, Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. de ſalute vero iſta dixit idẽ Petrus, exquiſiſſe, & ſcrutatos eſſe prophetas, quando ſcilicet largienda eſſet gratia, de qua prophetabant, quæ videlicet ſalutem iſtam in ſe contineret, & è ſe tribueret. quibus, inquit, reuelatũ fuit, quòd non ſibi metipſis, ſed vobis miniſtrabant ea, quæ nũc nunciata ſunt vobis per eos, qui euãgelizauerunt vobis ſpiritu S. miſſo de cælo, in quæ deſiderant angeli videre; id eſt, reuelatum fuit illis, quòd ſalus, ſiue vita iſta animarum, quę nunc eſt, de cuius gratia, & myſterio prophetabant, non ad eorum tempora pertinebat, ſed potius ad tempus noui teſtamenti, quod nobis poſt aduentum ſpiritus S. prædicatũ eſt; vnde ſtatim poſt aduentum ſpiritus S. ſcriptum eſt in Actis Apoſtolorum, Erant autẽ perſeuerantes in doctrina Apoſtolorũ & communione. participationem dicit myſteriorum corporis & ſanguinis domini. Hæc enim ſunt in quæ, ſicut paulo ante expoſitum eſt, angeli proſpicere deſiderant, in quibus myſterijs quia agnus ille immaculatus myſtice immolatur; cuius typus erat agnus Moſaycus, qui ritu veteris teſtamenti accinctis renibus comedebatur, idcirco B. Petrus intuens in illam cærimoniam, & eam allegorice trãsferẽs ad noſtra myſteria, in quibus ſpiritus & vita eſt, ſubiũgit; quapropter ſuccincti lumbos mentis veſtræ, ſobrij, perfecte ſperate in eã, quæ offertur vobis gratiã in reuelatione Ieſu Chriſti, pręcipit accingere lumbos mẽtis, id eſt, vt cuſtodiantur partes animę, quę ad gignendas virtutes factę ſunt, ne vitio corrumpantur, quod ad actiones vitæ pertinet; & vt mens omni diſtractione cohibita, ſe recolligat, & aggreget ad Deum, vt in eius contemplatione verſetur. hoc enim ſignificat in ęnigmate, Dionyſio interprete, zona

De cerimonia comedendi agnũ ueterẽ in ſuccinctis lũbis traslata allegorice ad corpus Chriſti, quod in ſacram ento comeditur.

na renibus circunducta, ac vestem stringens & colligens. Hęc, inquam, pręcipit facere B. Petrus, vt & digne partici pemus S. Eucharistiam, quę est gratia substantialis, & vt Gręci dicunt αὐτόχαρις, quę nobis nũc exhibetur, & vt spes nostra perfecte in ea collocata sit. sic .n. fiet, vt qui Christũ hic in mysterio participamus, eundem sine mysterio & velo, & vt Apostolus ait, per speciẽ in reuelatione eius participemus. participatio enim sanctę Eucharistiæ, id est, Christi in sacramento, quod sępe admonui, imago est participationis eiusdem Christi in cælo, vt ait Dionysius in cælesti hierarchia cap. 1. qui vero hęc non faciunt, vane & frustra in ea sperant. Dicant ergo hic Metonymici, quam gratiam habent ipsi substantialem, in qua spem perfecte ponant? an panem suum sacramentalem, id est, figuram corporis Christi? minime; ipsi enim tradunt & confitentur, nihil aliud esse, quàm panem. at in gratia accidentali, cum creatura sit, perfecte sperare nemo potest, sed in domino, & auctore ipsius gratię. Sic igitur accepit hic B. Petrus verbum gratię, sicut Paulus in epist. ad Hebr. cap. 10. cum dixit,

Quomodo Metonymici nulli gratiam habeant in ecclesia, in qua gratia perfecte sperare possint.

» quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui
» filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollu-
» tum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratię contumeliam fecerit? non enim dixit gratiæ spiritus, sed spiritui gratię, vt dictum acciperemus de gratia, in qua sit spiritus & vita ipsa, quę est ipsa S. Eucharistia, de qua indigne sumpta totum hunc locum testimonio Chrysostomi, Cyrilli, & Theophilacti accipiendum esse, satis vt opinor superiore tractatu probauimus. Metonymici vero in suo pane sacramentali, id est, in figura corporis cælo inclusi neque filium Dei habent, neque sanguinem testamenti, neque spiritum gratiæ, vt Paulus dicit; neq; gratiam substantialem, in qua, vt B. Petrus pręcipit, perfecte sperandũ est. Christum, inquam, in sacramento absconditum, quẽ nunc non videmus per speciem, sed per fidem, qui non habent, neque habere volunt, isti quidem nec in reuelatione Iesu Christi eum habebunt. Nunquam dico per speciẽ

Quomodo aliquando in scriptura apostolorum uerbũ gratię pro S. Eucharistia, quæ est gratia substãtialis, accipitur, quę dicitur αὐτόχαρις.

Qualis sit panis sacramẽtalis Metonymicorum.

Quòd nunquã Christum per speciem uidebunt qui nolũt uidere eũdem nunc per fidem in sacramento hypostatice præsentem.

uidebunt, qui nolunt videre eundem nunc per fidem in sacramento, id est, in figura panis & vini re ipsa substãtialiter & hypostatice præsentem. in quo tota nostra fiducia in cœlum per sanguinem eius ingrediendi posita est, sicut Apostolus Paulus in epist. ad Hebræos ait, quod superius loco suo exposuimus.

Continuatio epist. B. Petri contra Metoicymiã hæreticorum; de præparatione ad communionem sacram: et quomodo S. Eucharistiam vocauerit lac rationale, et quare: et quomodo consuetudo Ecclesiæ orientis hoc confirmet: et de communione infantum in Ecclesia illa: et de cõmunione grandiorum in nostra: et quomodo lac non potest hic accipi de doctrina rudi, et inchoata, sicut in alio loco epist. ad Heb. accepit Apostolus: & quare vocetur lac sine dolo sancta Eucharistia: et quomodo idem Petrus hoc ibidem docet. item de versiculo Prophetæ, gustate, et videte, quem Petrus hoc loco citat, qui auctores ad sacramentum S. Eucharistiæ retulerint: et de lacte, et melle olim in symbolum Eucharistiæ dari solitis: et quomodo in panem sacramentalem hæreticorum non potest conuenire esse sine dolo, cum non sit viuus, et rationalis, sed figura tantum, nec cõuenire illud propheticum, gustate, et videte quã suauis dominus.

CAP. XX.

» SEd prosequamur epistolã B. Petri. Postquam enim di-
» xit quasi in extrema parte primi capitis, renati non ex
» semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei viui permanentis in æternum. quod quidem ad baptismum spectare, nemo est, qui dubitet, hortans deinceps baptizatos ad digne communicandum, subiungit,
» Deponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum,
» & simulationes, & inuidias, & omnes detractiones, sicut
» modo geniti infantes, rationabile, & sine dolo lac concupiscite. quod dicit deponentes omnem malitiam, simile est atq; illud, quod Corinthios monuit, cum dixit, paschã
» nostrum immolatus est Christus, quod de sacramẽto corporis Christi dictum esse, superius probatum est; subiunxit
» autem deinde, itaq; epulemur non in fermento vetere,
» nec in fermento malitiæ, & nequitiæ, addidit deinde, sed

in

" in azymis syncaritatis, & veritatis, pro quo nunc ait, de- "
ponentes omnem dolum, & simulationes, quæ rursus vno "
verbo aliàs complexus est Paulus, cum dixit in epist. ad
" Hebræos, accedamus ergo cum vero corde. Hoc est etiam,
quod idem Paulus in epist. ad Cor. accedentes ad hoc sa-
" cramentum monuit, inquiens, Probet autem seipsum ho
" mo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Eò enim
spectat probatio ista, ne quid falsi, aut mali lateat, ne for-
te tanquam dignus sumere sibi videatur, indignè alioqui
" sumens. Sequitur deinde, Et inuidias & omnes detra-
ctiones; quia enim hæc sacra communio in vnum cum
Deo, maxime copulat, vnde communio & synaxis dicitur,
vt Dionys. notauit, idcirco cùm omne fermentum mali-
tiæ & nequitiæ, id est, omne genus peccati, corrumpentis
bonũ statũ animæ, deponendũ est, tum maximè peccatũ
discordiæ, & dissidij, cuius seminarium & initia inuidia &
detractiones esse solent; imitatus est dominum, cum ait
" in Euangelio, Si offers munus tuum ad altare, & recorda-
" tus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduersus te, re-
" linque ibi munus tuũ, & abi, reconciliare fratri tuo. quod
in primis de hoc excellentissimo munere cælesti intelli-
gendum est; quod sacerdotes & cunctus populus per sa-
cerdotes offerunt Deo. nihil enim magis cũ communio-
nis sacræ nomine & ratione pugnat, quàm dissidium, &
" discordia. Deinde sequitur, sicut modo geniti infantes ra-
" tionabile sine dolo lac concupiscite. Hunc locum consue-
tudo Ecclesię tum orientis tum occidentis mihi interpre-
tari videtur. in hac enim ecclesia nostra cum grandiores
baptizantur, statim vt sunt ex semine incorruptibili per
verbum Dei viui, vt paulo ante beatus Petrus dixit, con-
cepti, ex baptismo inquam sacro tanquam ex vtero spiri-
tus S. effusi, cibum supracęlestem sacræ communionis su-
munt: in illa vero Ecclesia, id est, orientis, ipsis etiam in-
fantibus continuo, vt baptizati sunt, datur hic cibus S.
Eucharistię, quod ex Apostolica traditione relictum esse
in ea Ecclesia ex Dionysio Areopagita intelligere licet. ait
enim

Locus epist. beati Petri de preparatione ad sacram communionem.

Quo consuetudo ecclesię & orientis, & occidentis interpres est loci epist. beati Petri de sacra cõmunione.

" enim in capite de pie defunctis, tribuit, inquit, sacerdos
" puero infanti sacramentum, vt in eo nutriatur. in quo etiã
aduertendum est, quàm considerate, & accurate dixerit, vt
in eo nutriatur, & non vt eo nutriatur, vt si de terreno ci-
bo diceretur. nõ enim est hic cibus ex eorum genere, qui
in sanguinem & carnem mutantur, de quibus dicit prin-
2. lib. de Ani-
m. " ceps philosophorum Aristoteles, in fine digesti alimenti,
" simile simili adiungitur, id est, caro carni, & sanguis san-
" guini. Deinde subiungit idem Dionysius, nec aliam vitã
" habeat præter eam, quæ contempletur Deum semper,
" & facta Dei particeps, crescat sanctè sacris augmentis. pro
De communio-
ne puerorũ in
Ecclesia Orien-
tis. quo B. Petrus dixit hic, vt in eo crescatis in salutem. Itaq;
vtrunq; ex Apostolica traditione fluxisse credendum est,
vt grandiores cum baptizantur in Ecclesia nostra, statim
sanctam Eucharistiam sumant; nõ autem pueri infantes;
in Ecclesia vero Orientis etiam paruuli statim post bapti-
smum sumant. in quo nunquã ab Ecclesia Romana, quæ
omnium Ecclesiarũ caput & magistra est, reprehensi sunt
Græci. non enim necesse est easdem vbique esse traditio-
nes Apostolorum in iis, quę non pertinent ad dogmata
catholicã. in iis enim quæ huiusmodi erant, vt ratio ali-
qua poscere videbatur, ita alibi aliter statuerunt. Præterea,
" quia dixerat, quasi modo geniti infantes, valde apposite
Quare S. Eu-
charistia uoce-
tur lac in epist.
beati Petri, &
unde id con-
stet. S. Eucharistiam vocat lac propter proprietates mirabiles
lactis, quas Clemens Alexandrinus in Pędagogo explicat,
libro 1. c. 6. cum illum locũ B. Pauli interpretatur, lac vo-
" bis potum dedi; ex quibus illa est præcipua, & quæ maxi-
me conuenit paruulis, quã Dionysius Areopagita in epist.
ad Titum obseruauit. αὐξητικὴ, id est, vis augendi, quę
huic cibo cęlesti in primis spiritualiter conuenit; & quã
" B. Petrus ei tribuit, cum ait, vt in eo crescatis in salutem.
de hoc ipso alimento spirituali, quod est Christus in hoc
sacramento, accepit etiã idem Clemens in eodem libro,
vbi illam mirabilem mutationem miraculum mysticum
vocat. Iam vero non posse accipi hoc loco lac, vt Apost.
Paulus in Epist. ad Hebr. accepit, de doctrina rudi, & in-

choata atque imperfecta, qualis est principiorum, satis ex
„ eo constat, quod ait, deponentes omnem malitiam & o-
„ mnem dolũ, simulationes, inuidias, detractiones omnes,
„ lac concupiscite rationale & sine dolo. hæc enim non est
necesse deponere ad audiẽdam doctrinam verbi Dei; im-
mo ideo audienda est doctrina verbi Dei, vt hæc vitia de-
ponantur, & ad doctrinam verbi Dei, quæ lac etiã dicitur
in scripturis, vt idem Dionysius notauit, tanquã ad con-
uiuium quoddam inuitãtur insipientes iuxta parabolam
Salomonis in Prouerbiis. qui quidem insipientes, varij ac
multiplices sunt, quos dominus in parabola de inuitatis
ad cœnam magnã vocat pauperes, debiles, cęcos, & clau-
dos. omne enim genus insipientiæ & ęgritudinis spiritua-
„ lis curat & sanat sapientia verbi: non enim indigent me-
„ dico qui bene habent, sed qui male, vt dominus dixit.
Pręterea, illud quod huiusmodi lacti adiungitur, esse sci-
licet rationale sine dolo, magis adhuc declarat, viuum es-
„ se huiusmodi lac. doli enim, machinę, fallacię, pręstigię,
„ inquit Cicero, sine ratione esse non possunt. quod si do-
lus non potest esse sine ratione, neque esse sine dolo ei cõ-
ueniet, cui non inest ratio. vocat autem lac sine dolo, quia
„ vt Gregor. Nyss. in Cant. cant. cap. 5. notauit cum hæc,
„ sit, inquit, omnis liquoris natura ac vis, vt instar speculi
„ species aspectantium reddat. διὰ τὴν λείαν ἐπιφάνειαν id est,
„ per leuitatẽ superficiei. in solo lacte nõ inest hæc proprie-
„ tas, quamobrem hæc est summa oculorum laus, nihil ina-
„ ne aut simulatum & re vacuũ atque ἀνυπόστατον id est, quod
„ non subsistat, adumbrare, sed ipsam veritatem cernere,
„ non autem falsas vitæ huius species recipere. Hęc Grego-
rius explicans, cur Salomon oculos sponsæ cũ columbis
lacte lotis comparauerit. Esse igitur sic sine dolo, nemini
potest perfecte conuenire, nisi Christo, qui est in sacramẽ-
to hoc lac rationale sine dolo, ad quem idẽ Petrus illud
„ Isaiæ retulit. qui peccatum non fecit, nec est inuentus do-
„ lus in ore eius. Sed iã ne quis de hoc sensu dubitet, id est,
esse hoc lac, quod hic B. Petrus dicit, S. Eucharistiã, id, qđ
LL statim

Cap. 9.

Qui sint in parabola euangelij de inuitatis ad cœnam magna pauperes, debiles, cæci, claudi.

Physiologia lactis a Gregorio Nysseno nota-tã.

Vnde plane appareat eiecto omni scrupulo,

uocasse beatũ Petrum in epistola sua sanctã Eucharistiã lac rationabile.

statim sequitur, ad eijciendum omnem scrupulum valet. cum enim dixisset, vt in eo scilicet lacte crescatis in salutem, quod solũ conuenit cibo illi viuifico, qui est S.Eucharistia statim subiunxit, si tamẽ gustatis, quàm dulcis est dominus; quod ex Psalm. 33 mutuatus est. quem versiculum B. Dionysius B. Petrũ secutus in Ecclesi. hierarch. cap. de communione, quasi in extrema pagina ad S.Eucharistiam plane retulit. in eos enim qui propter vitia sua, vt idẽ ait, expertes & ignari remanent S.Eucharistiæ, scripturam illã prophetæ Dauid produxit, cum ait, Gustate & videte, quã suauis dominus. Rursus vero qui hęc sacramenta digne participant, eos dicit, sancte ac digne participando, excellentiam & magnitudinem eorum videre & cognoscere. B. quoque Iacobus in Missa, quam Ecclesię Hierosolymitanę tradidit, eundem versiculum Prophetæ, ad S.Eucharistiam accommodauit. Idẽ fecit Cyrillus Alexandrinus in homilia de cœna domini & lauatione pedum. Idẽ item S. Gaudentius Episc. Brixiensis, cuius ordinationi S. Ambrosius interfuit, in sermone 2. de Pascha. Accedit huc, quòd ille Psalmus, vnde descriptus est hic versiculus, totus est propheticus de S. Eucharistia, & sic eum antiqui Patres in cõmentarijs suis Psalmorũ interpretati sunt, quod satis attestatur ipsius Psalmi inscriptio, quando immutauit Dauid vultũ suum coram Abimelech; tunc enim accepit Dauid panes propositionis, qui erant typus S. Eucharistiæ, immutato vultu, siue persona sua coram Abimelech. simulabat enim venire se missum à Saule, cum non ita esset, sed potius fugiebat. Sic Christus immutat personã suam in hoc sacramento, cum vocat & simulat se panem, qui tamen nõ est panis proprie, licet videatur. Sed de isto Psalmo & inscriptione eius, explicatum est in superiore tractatu. fortassis ex hoc loco epistolæ B.Petri nata fuit olim consuetudo, vt sicut nunc in multis Ecclesijs panis cõmuni benedictione sacerdotali sanctificatus in symbolum sacramenti Eucharistię panis diuini mystica benedictione sacerdotali cõsecrati dari solet; sic quoque olim recenter baptizatis dabatur

De uersiculo prophete, Gustate, & uidete, quàm suauis dominus ad S. Eucharistiã á magnis auctoribus relato.

De lacte, & melle olim in symbolum S.Eucha

batur

batur lac & mel in symbolum sacramenti Eucharistiæ.my
stici, & diuini lactis, in quo manentes crescimus in salutē
secundum proprietatem augēdi,quæ inest in lacte, & pur-
gamur ab ea, quę in mundo est cōcupiscentiæ corruptio-
ne secundum proprietatem καθαρτικὴν, quæ, vt Dionys.in
epist. ad Titum ait, inest in melle. Meminit huius consue
tudinis ac traditionis in libro de corona militis Tertullia
nus; item B. Hieronymus in commentarijs Esaiæ cap. 55.
» exponens illum locum,Emite absque argento vinū & lac;
pro quo 70. interpretati sunt vinum & adipē, quod B. Cy-
rillus in comment. Esaiæ ait, non esse alienum interpreta
ri de mysterio corporis & sanguinis domini, exponens,in-
» quam, Hieronymus illum locum, Pergamus,inquit,ad eū
» qui tenens calicem sacramenti,discipulis loquebatur,Ac-
» cipite & bibite. Hic est sanguis meus, qui pro vobis effun-
» detur in remissionem peccatorum,quod vinum miscuit &
» sapientia in cratere suo prouocans ad bibendum:& vt nō
» solum vinum emamus, sed & lac,quod significat innocen
» tiam paruulorum. Deinde subiungit,qui mos ac typus in
» Ecclesijs Occidētis hodie vsque seruatur,vt renatis in Chri
» sto vinum lacque tribuatur.Illud etiam obseruandum est
quod dixit (Concupiscite) vt intelligeremus, satis esse de-
siderare huiusmodi lac, si de manu sacerdotis non possi-
mus commode sumere; quod dici solet,voto communica
re. Alterutrum enim necessarium est ad salutem,re aut vo
to, siue desiderio manducare carnem Christi; vt per carnē
eius à nobis comesā,diuinitatis eius participes efficiamur.
Accersamus ergo nunc Metonymicos ad rationem dispu
tationis loci huius,& rogemus eos,quod ipsi lac habeant
sic translate dictum, ad quod depositis peccatis, & gratia
Dei, quam in baptismo accepimus,conseruata, aut reno-
uata, voto saltem accedere oporteat? quod, inquam, lac
sine dolo? An panis Metonymicus, id est, qui figura cor-
poris Christi est,& nihil aliud,dici potest ἄδολος? id est sine
dolo,cum anima & ratione careat? si in eo nihil est præter
substantiam panis, quo corpus alitur, quomodo conque-

[Margin: ristię dari solitis & in ecclesijs occidētis lacte, & uino.]

[Margin: Quomodo panis Metonymicus hęreticorū id est,qui solum est figura corporis Christi,non potest esse lac rationabile sine dolo.]

[Margin: Quomodo pani Metonymico hæreticorū]

 niet,

non potest conuenire ille uersiculus propheticus, Gustate & uidete quam suauis dñs.

niet est, quod Propheta de cibo mystico dixit, & princeps Apostolorum interpretatus est, & post eum adhuc apertius Dionysius, Gustate & videte, quàm suauis dominus Si in eo quod ore corporis gustatur, non est dominus, quomodo excellentiam & magnitudinem eius, qui non gustatur ore corporis, licebit gustando digne, videre & cognoscere? Non enim dicit scriptura, Gustate ore spiritus, sed gustate; ne tu hæretice carnem domini ore tantum spiritus gustari concederes, & ore carnis negares.

Quomodo in loco epistolæ B. Petri sancta Eucharistia, quæ dicta est prius lac rationale sine dolo, dicitur nunc lapis viuus, sicut etiam dicitur in euangelio panis viuus: & quomodo quod Petrus vocauit lac rationale, & lapidem viuum, clarius iam vocet hostias spirituales; & quare sic; & quis auctor: & quomodo ex ipsis verbis beati Petri hoc colligatur: & de duplici sacerdotio in vetere testamento; & item de duplici in nouo: & quomodo beatus Petrus de hostia proprij corporis cuiusque, & de hostia corporis & sanguinis domini in hoc loco meminerit; & quòd illa prior sit præparatio ad hanc secundam: & quomodo locus epist. B. Petri de hostiis spiritualibus ad disciplinam Metonymicam hæreticorum nullo modo accomodari potest, ex quo fit, vt aliena sit à scriptura sancta.

CAP. XXI.

" SEd prosequamur ea, quæ sequuntur in loco Epistolæ " B. Petri: sequitur enim. Ad quem accedentes, lapidem " viuum ab hominibus quidem reprobatum, à Deo au" tem electum & honorificatum, & ipsi tanquam lapides vi" ui ædificamini domus spiritualis, sacerdotium sanctum. quem prius vocauit translate lac rationale sine dolo, vocat nunc lapidem viuum, quia sic sit firmamentum ædificij spiritualis hic diuinus & viuificus cibus, vt lapides firmamentū ædificij terreni; sicut dicitur etiam panis viuus, quòd sit firmamētum virium spiritualium, vt panis terrenus corporalium. cum hoc lapide viuo coagmentamur ipsi per sacram communionem facti domus eius spiritualis, in qua ipse manet; si tamen & ipsi lapides viui simus per participationem vitæ diuinæ, & non potius per passio

nes & peccata mortui; ita vt ei adglutinari non possimus,
„ quandiu sic sumus. Hoc est ergo quod dominus dixit, Qui
„ manducat carnem meam, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo. Ille scilicet tunc manet in nobis tãquã lapis viuus in domo spirituali ex viuis lapidibus cõstructa, & nos in illo tanquam membra viua in eius cor-
„ pore. Sequitur. Offerre hostias spirituales Deo per Iesum
„ Christũ. Quod prius vocauit lac rationale, id est, particeps rationis sine dolo, postea lapidẽ viuũ, nunc vocat apertius hostias spirituales, hoc est, habẽtes spiritum, acceptabiles Deo per Iesũ Christũ, ad quas offerendas ædificamur domus spiritualis sacerdotium sanctũ. Vniuersa. n. Ecclesia, omnes, inquã, fideles cũ digne carnem dñi in sacramento mãducamus, sacrificiũ laudis Deo acceptũ p Iesum Christum offerimus. Sic quoque, ne solus videar esse huius interpretationis auctor, B. Fulgentius sæculi sui eruditissimus libro 2. ad Monymũ intellexit, & exposuit; sic enim

Quomodo hostiæ spirituales in loco epistolę beati Petri ad S. Eucharistiam referãtur quo auctore, & qua ratione.

„ ait; Hæc itaque spiritualis ædificatio corporis Christi; quę
„ fit in charitate, cum scilicet secũdum B. Petri sermonem,
„ lapides viui ædificantur in domum spiritualem, in sacer-
„ dotium sanctum, offerentes spirituales hostias acceptabi-
„ les Deo per Iesum Christum, hæc, inquam, ædificatio spi-
„ ritualis nunquam opportunius petitur, quàm cũ ab ipso
„ Christi corpore, quod est Ecclesia, in sacramento panis &
„ calicis ipsũ Christi corpus & sanguis offertur. calix enim
„ quem bibimus, communicatio sanguinis Christi est; &
„ panis quem frangimus, participatio corporis domini
„ est; quoniam vnus panis, vnum corpus multi sumus, om-
„ nesqui de vno pane participamus. Hactenus Fulgentius. Præterea cum B. Petrus doceat hic, oportere fieri domos spirituales & sacerdotium sanctum ad offerendas hostias spirituales acceptabiles Deo per Iesum Christũ; illud autem, lapides viuos fieri, & domos spirituales ac sacerdotium sanctum non contingit nisi iis, qui sicut Apostolus
„ ait, Exhibent corpora sua hostiam viuentem, sanctã, Deo
„ placentem, consequens necessario est, vt illæ hostiæ spiri-
tuales

tuales acceptabiles Deo per Iesum Christum aliæ hostiæ sint diuersæ ab hostiis proprij corporis, & ab hostiis orationum & bonorum operum, quibus hostijs apti efficimur ad offerendum hostias illas spirituales, quas hic dicit B. Petrus, quæ sunt hostiæ corporis & sanguinis Christi, quæ per ipsum Christum sacerdotem magnum sunt acceptabiles Deo; idem enim est sacerdos & hostia, qui „ saluare potest accedentes per ipsum ad Deum sicut Paulus in epist. ad Hebræos ait. Deinde confirmat hunc sensum ratio etiã allegorica veteris figuræ. Agnus enim Mosaycus typus & vmbra erat S. Eucharistiæ, qui ab omni Israelita immolabatur, quatenus in laudem Dei & memoriã accepti beneficij Ægyptiacę liberationis à singulis per familias comedebatur; & eaten⁹ omnis Israelita quo- „ dammodo sacerdos erat. vnde lex sic aiebat, Qui non fe- „ cerit Phase, peribit de populo suo, quia sacrificium do- „ mino non fecit. facere enim sic sacrificium quodammodo sacerdotis erat. Quod si illa lex agni ab omni Israelita immolandi & comedendi spiritualis erat, ac proinde prophetia futurę legis de S. Eucharistia agni immaculati ab omnibus fidelibus in sacrificium laudis comedendi, necesse est vt in nouo testamento vnusquisque fidelis & Christianus sacerdotio quodam spirituali præditus sit, nõ quidem sacerdotio ex ordinatione, quod est ordinis presbyterorum & Episcoporum tantum, sed sacerdotio ex baptismo, quod est commune omniũ fidelium. Quod autẽ dixi de sacerdotio cõmuni omniũ Israelitarũ ex circũcisione quę huius nostri cõmunis ex baptismo vmbra erat, notauit Philo Alexandrinus eruditiss. auctor lib. 3. de vita „ Moysis. interpretemur latine. In quo, inquit festo (Pascha „ dicit) nõ quidẽ priuati & populares victimas ad arã addu- „ cunt, quas immolent sacerdotes; quin potius iussu legis „ vniuersa gens sacerdotio afficitur, dum vnusquisque ho- „ stiam adducit, & suis immolat manibus. & rursus in li- „ bro de Decalogo; In quo, inquit, festo vnusquisque eorũ „ sacrificat, non expectatis sacerdotibus, cum vniuersæ nationi

Quomodo vnusquisque fidelis sacerdotio quodã spirituali prędítus sit.

De duplici sacerdotio in vetere testamento.

„ tioni Iudæorum ſacerdotium largiatur lex; vt vno totius „ anni die præcipuo & inſigni per ſe quiſque ſacrificet. Hactenus Philo. Hoc quoque Iſidorus Peluſiota in epiſtola ad Theodoſium Epiſcopum Philonem ſecutus, obſeruatum reliquit: reddamus latine. vt in vetere, inquit, teſta- „ mento non licebat ſacrificare, niſi ſolis ſacerdotibus; tem- „ pore tamen Paſchę omnes quodammodo ſacerdotio ho- „ norabantur; vnuſquiſque enim agnum immolabat: ſic „ in nouo teſtamento, quod ſucceſſit, tributa eſt quibuſdã „ poteſtas immolãdi excellentiſſimam hoſtiam incruentã. „ Deinde ſubiungit. Vnuſquiſque tamen electus eſt ſacer- „ dos ſui corporis, non quidem, vt ſine electione proſiliat „ ad ſumendum ſibi poteſtatem, & imperium in ſubditos; „ ſed potius vt vitiis imperans, corpus ſuum templum fa- „ ciat caſtitatis. Hactenus Iſidorus grauis & antiquus auctor, illũ B. Pauli locum explanans, cum ait, Exhibete cor- „ pora veſtra hoſtiam viuentem; & quæ ſequuntur. Meminit itaque hoc loco Iſidorus de ſacerdotio viſibili & externo ex ordinatione, quod non eſt commune omnium, vt hæretici volunt, & de ſacerdotio item ſpirituali & inuiſibili communi omnium ex baptiſmo, & de proprij corporis hoſtia, quæ eſt pręparatio ad hoſtiam illam incruentã, digne offerendam & participandam. De vtraq; hoſtia meminit hic B. Petrus, quia altera eſt ad alteram præparatio, hoſtia, inquam, proprij corporis, per quam domus ſpiritualis ædificamur, præparatio eſt ad hoſtiam ſpiritualem corporis & ſanguinis domini digne offerendam & manducandam. Ergo vt agnus ille typicus ſecundum legem ab omnibus Iſraelitis in ſacrificium Deo comedebatur; ſic etiam neceſſe eſt ſecũdum Euangelium, vt omnes carnem agni myſtici, qui eſt Chriſtus in ſacramento, in ſacri- „ ficium laudis manducent. Dominus enim dixit, Niſi man- „ ducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſangui- „ nem, non habebitis vitam in vobis. Itaque vt illud Exo- „ di 19. Si audieritis vocem meam, & cuſtodieritis pactum „ meum, eritis mihi in regnum ſacerdotale & gens ſancta, imple-

De duplici ſacerdotio in nouo teſtamento.

implebatur in Israelitis, qui viuentes secundum legē affe ctibus suis dominabantur, Paschalemque agnum omnes edebant facti sic reges & sacerdotes, ita quoq; illud ipsū secundum spiritum in Christianis impletur, qui dominātes concupiscentijs carnis, & facti participes mystici sacrificij sanctę Eucharistię, regale sacerdotium in se habent. Vnde B. Petrus subiūgit paulo post, quod ad omnes Christianos pertinet, vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. Quibus enim dedit Deus potestate, vt per lauacrū regenerationis filij Dei fierēt, potestatē simul dedit, vt reges & sacerdotes ex baptismo fierent, qui hostias spirituales corporis & sanguinis dñi per sacerdotes ex ordinatione, in Ecclesia offerrēt, sicut declarat sacerdos Ecclesiæ minister, cum præparans sacrificium Missę, Memento, inquit, omnium circunstantium, quorū tibi cognita est & nota deuotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerūt hoc sacrificium laudis &c. offerūt scilicet, qui circūstant, per sacerdotes in Ecclesia ad hoc ministerium sacerdotale ab Episcopo ordinatos. Videamus nunc, vtrum Metonymici totum hunc locum epistolæ Petri ad se accommodare possint, vt si accommodare non queant, fatendum eis sit, non pertinere ad eos, ac proinde disciplinam Metonymicam à scriptura sancta alienam esse. Percūctemur ergo primum, ad quem lapidem viuum accedunt ędificati & ipsi lapides viui & domus spiritualis? Respondebunt ex disciplina Caluini, accedere se per spiritum & efficaciam fidei ad Christū in cælis residentem. sed percūnctemur rursus, quomodo & ipsi lapides viui ędificentur, & domus spiritualis fiant? sane quidem respondebunt, fieri se domos spirituales si exhibeant corpora sua hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium; item si non contingat obliuisci beneficentiæ, ac communicationis bonorū suorum; quia Paulus Apostolus affirmat talibus hostijs promereri, siue delectari Deum. Interrogemus tertio, si & ipsi ædificati lapides viui, vt id nunc concedamus, & facti domus

Quomodo locus epistolę B. Petri de hostiis spiritualibus ad disciplinā Caluini nullo modo accommodari possit.

domus ſpiritualis ꝑ hoſtias mortificationis carnis, & cultus ſpiritualis, & beneficētiæ atque eleemoſynę, quas hoſtias alias ſpirituales ſecūdum principem Apoſtolorum acceptas Deo per Chriſtū habent, quas offerant illo priore genere hoſtiarū inſtructi & pręparati? Nullas ſane proferre poſſunt, qui corpus Chriſti cęlo includunt, & figurā eius tantum ſibi retinere volunt, niſi forte ita deſipiunt, vt dicant ſe in cælum per fidem aſcendere, & ibi hoſtias ſpirituales offerre, quas Chriſtus per ſemetipſum reuelata facie, hoc eſt, corpus & ſanguinem ſuum extra myſteriū ſemper pro nobis Deo Patri offert. Hactenus ex epiſtolis Pauli, & Petri principis Apoſtolorum de ſancta Euchariſtia contra Metonymicos.

Diſputatio aduerſus Metonymicos ex ſcriptura vetere collata cum noua, ac primum de iugi ſacrificio veteris teſtamenti collato cum iugi ſacrificio nouæ legis, quod eſt S. Euchariſtia, cuius typus erat ſacrificium vetus: & quomodo quæ de iugi ſacrificio ſcripta, in noſtro iugi ſacrificio tanquam in veritate impleta ſunt, in panem ſacramentalem Metonymicorum non poſſint conuenire, nec in eo impleri: et quomodo ſecūdum Metonymicos non eſt ſecundum Euāgelium gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta, ſed figura in figuram mutata: & quomodo quod dixit dominus, ego vobiſcū ſum vſque ad conſummationē ſeculi de corpore ſuo, quod in ſacramento vſque ad conſummationē ſeculi habemus intelligendum eſſe ex eo, quod de iugi ſacrificio vetere ſcriptum eſt, cognoſcitur, tanquam ex typo veritas: quomodo item caro Chriſti dicitur in ſcriptura tabernaculum, & altare, quæ nos habemus, & non Metonymici: item collatio loci Apocalypſis cum euangelio Ioannis, & cū eo, quod de iugi ſacrificio, & de lege agni Paſchalis ſcriptum eſt: & explicatio loci Apocalypſis de Hieruſalem ſancta ciuitate noua deſcēdente de cælo: & quomodo Metonymici viſionem beati Ioannis fruſtrantur negantes eſſe corpus Chriſti in ſacramento: & de loco prophetico Danielis de iugi ſacrificio corporis Chriſti in ſacramento.

CAP. XXII.

SEd quia euangelium oportet interpretari, vt apoſtolica conſt. libro 2. Clementis iubet, ita ut cōſonet legi, & prophetis, & legem, ac prophetas, ita vt conſonent

euangelio, age, proferamus deinceps vetera, qui iam pro
tulimus noua, & videamus, quàm ſint illa quidem cum
apoſtolica ſcriptura in hoc ſacramento conſentientia, ac
conſonantia. cum ergo dicat Paulus legis & euangelij di
» uinus interpres, vmbrã habebat lex futurorum bonorũ
» non ipſam imaginẽ rerũ, age inquã, cõferamus, quę de iu
gi ſacrificio vetere in Exodo cap. 29. ſcripta ſunt, cũ ſacri-
ficio noui teſtamenti, quod quotidie in catholica Eccleſia
» offertur; ſicut ſcriptum eſt, quotieſcumque enim mandu-
» cabitis panem hunc, & calicem biberitis, mortem domi-
» ni annunciabitis, donec veniat. Quotieſcumque enim di-
xit, quod ſignificat ἐνδελεχῶς id eſt, iugiter faciendũ eſſe
hoc. Huius ergo ſacrificij noſtri typus erat illud ſacrificiũ
iuge veteris teſtamẽti, cũ duo agni anniculi per ſingulos
dies iugiter immolabantur cũ certa mẽſura ſimilę, ex qua
panis fit, & olei ac vini, vnus mane, & alter veſpere, iuxta
ritum immolationis matutinæ. ac agnus quidem, qui ve-
ſpere immolabatur, typus erat Chriſti agni immaculati,
qui nouiſſima hora, vt ait Ioannes, à nobis, in quos fines
ſeculorum deuenerũt, qui vnctionem à ſancto habemus,
ſub ſpecie panis & vini immolatur, vt dominus inſtituit,
cum ſe ad veſperam myſtice poſt cœnam Deo patri obtu-
lit; in qua immolatione veſpertina & myſtica, de qua Da-
» uid quoque prophetabat, cum dixit, Eleuatio manuum
» mearum, ſacrificium veſpertinum, immolationem illam
in cruce commemoramus; quæ mane cœpit fieri, ſicut
» ſcriptum eſt in Euangelio, Mane autem facto conſilium
» inierunt, vt morti eum traderent; & vinctum eum addu-
» xerunt. ſequitur deinde in lege vetere iugis ſacrificij, in
» odorem ſuauitatis ſacrificium eſt domino oblatione per-
» petua in generationes veſtras ad oſtium tabernaculi teſti
» monij coram domino. quæ quidem aptiſſime in ſacrificiũ
Eccleſię catholicę conueniũt, quo nihil poteſt magis eſſe
acceptum, neque gratum Deo, quod Dominus inſtituit, vt
hoc illi pro omnibus, quæ ꝑ fide nobis retribuit, viciſſim
nos ſecundum prophetiam Dauid retribueremus, diuina
opera

Collatio iugis ſacrificij veteris cum iugi ſacrificio nouæ legis, quod eſt ſãcta Eucharistia ut umbrę cũ ueritate rei collatio.

opera quæ in carne gessit, εὐχαρίςως, id est,grata memoria
celebrantes, & oblatione perpetua in generationes no-
ſtras, id eſt, vſque ad ſecundum aduentum domini; ſicut
dominus interpretatus eſt,inquiens,vt ex Apoſtolo Paulo
„ didicimus; Quotieſcunque enim manducabitis panem
„ hunc,& calicem biberitis, mortem domini annũciabitis,
donec veniat. ſignificat enim, vt dixi, aſſidue & perpetuo
faciendum eſſe hoc ſacrificium vſque ad ſecundum aduẽ
tum. Eodem pertinet, quod ſcriptum eſt in lege agni pa-
ſchalis, qui etiam typus erat ſanctę Euchariſtiæ,quę eſt ve
„ rus agnus, in generationes veſtras, cultu ſempiterno. Il-
lud autẽ ad oſtium tabernaculi teſtimonij coram domi-
no diuine conuenit cum apoſtolica traditione de ſacrifi-
cio iugi noui teſtamenti offerendo in Eccleſia tantum ca
tholica, quæ eſt oſtium myſticum illius tabernaculi non
manufacti, in quod non ingrediuntur, niſi quibus Eccle
ſia catholica teſtimoniũ tribuit. Idem in typo & ęnigma-
te ſignificabat illa alia lex de agno immolãdo in Paſcha,
& in vna domo comedendo, & non efferendo quicquam
ex carnibus eius foras. Et illa rurſus lex, quæ cauebat, vt
ſi quis vitulum vel agnum in caſtris immolaret, ac nõ po
tius ad oſtiũ tabernaculi offerret, anima illius periret de
populo. Vnde B. Cyrillus his locis à ſe notatis & allegori-
ce acceptis in libris de Adoratione in ſpiritu, ſubiungit;
„ Ergo qui extra tabernaculum ſacrificant, erunt quidẽ nõ
„ alij præterquã hæretici,quibus,quia hoc facere audẽt, im-
„ minet interitus. Quare,inquit, τὰς ἐν ταῖς ἐκκλησίαις καθολι-
„ καῖς δωροφορίας ἁγιάζεσθαι πιςεύομεν καὶ εὐλογεῖσθαι καὶ τελειοῦ-
„ σθαι παρὰ χριςοῦ id eſt, idcirco in Eccleſijs catholicis do-
„ norum oblationes ſanctificari credimus, & benedici, &
„ à Chriſto confici.& paulo ſupra, Quòd oblationem, in-
„ quit, quam myſtice faciunt, in ſanctis Eccleſiis fidelium
„ facere oporteat, ex ſcriptura ſancta intelligi poteſt. Hæc
beatus Cyrillus. Violant quoque legem, qui tametſi ad
oſtium tabernaculi, id eſt, in Eccleſia catholica offerunt,
non tamen coram Domino offerunt, ſed coram peccatis

De offerendo in eccleſia tantũ catholica ſacrificio S. Euchariſtię quibus in locis ueteris teſtamenti in typo & enigmate ſignificaretur.

Quomodo nõ ſolum ad oſtiũ tabernaculi, ſed coram domino offerre oporteat myſticam oblationem.

suis & concupiscentijs & auaritia. Sed pergamus ad reliqua legis de iugi sacrificio. Sequitur enim, de illis agnis, in quibus cognoscar tibi illic. sic enim est apud 70. quorum interpretationem, prophetiam esse; Philo etiam Iudęus lib. 2. de vita Moysis confessus est; hoc,inquã,in prototypum agnum, id est, in Christum diuine conuenit. in eo enim tum immolato per sanguinem crucis; tum mystice in specie panis & vini oblato Deus est & agnoscitur ab ijs,qui digne offerũt,& digne manducant,sicut scriptũ est, Gustate & videte. Qui .n. vt ait diuinus Dionysius, diuinis mysterijs sancte initiãtur, agnoscent,inquit,magnificã eorũ gratiam;eorumq; diuinissimã excellentiã sancte participando contemplantes, celebrabunt grata memoria, & iusta gratiarum actione cælestia Dei munera. solet scriptura sancta frequentissime ex verbis ipsis, quibus vtitur, afferre, quas Græci vocant ἀφορμὰς quasi ansas & adiumẽta quædã atq; initia spiritualis sensus eliciẽdi, et typos ad prototypa, hoc est, vmbras ad corpora,& ad ipsas imagines rerũ, vt Paulus vocat, referẽdi, vt in hoc loco, cum ait dominus, in quibus agnis scilicet iugis sacrificij cognoscar tibi illic. Spiritualiter enim Moyses cælestia & vera mysteria in illis vmbris videbat,sicut illi in mõte ostensũ erat; vt etiam Apost. Paulus in epist. ad Heb. c. 8. nos admonuit. Dicãt ergo Metonymici, quõ in eorũ pane sacramẽtali, si prototypũ est veteris agni iugis sacrificij,cognoscitur dominus, cum nihil in eo sit præter naturã panis, vt eorum disciplina tradit? Scio responsuros esse, cognosci quidem in pane suo dominũ tanquam in figura. Quomodo igitur ipsorum panis prototypon erit, si nõ magis nec expressius cognoscitur in eo dominus, quàm in agnis illis sacrificij iugis cognoscebatur? si hic inquam in figura cognoscitur, sicut illic in figura item cognoscebatur? An qui à vetere ad nouum testamentum translati sumus, à figura ad figuram sumus translati,& non potius ad gratiam & ad veritatem? Lex enim inquit Ioannes per Moysem data est, gratia autem & veritas per Iesum Christum facta

Philo Iudęus interpretationẽ 70. cõfessus est prophetiã esse, quod nõnullos non tã bene de 70. sentientes alioqui catholicos manifeste arguit.

Quomodo cognoscitur secundum Metonymicos à figura ad figuram nos in nouo testamento trãslatos esse, nõ à ité ad gratiã & ueritaté secundum euãgelium Ioannis.

facta est. non dixit figura in figuram per Christum muta-
ta est, sed gratia, & veritas facta est, figuris & vmbris vete-
ris legis opposuit Ioannes gratiam & veritatem nostrorũ
sacramentorum. Quare si in agnis sacrificij iugis cogno-
scebatur dominus, sicut ipse dominus de eis dixit, cogno- „
scar tibi illic, cognoscebatur autem in figura, cõsequens „
necessario est, vt per sacramentum, cuius figura & vmbra
erant illi agni iugis sacrificii, nõ iam in figura sua cogno-
scatur dominus tanquam absens, sed in se præsens, licet
operte & velate. Sequitur deinde in lege de agnis illis, vt
„ loquar ad te, & præcipiam siue ordinabo illic filiis Israel,
„ quæ perinde sunt, quasi diceret, loquar ad te, & per te cę-
teris Israelitis ordinabo hęc sacrificia. Sic enim scriptum
„ est Num. 28. dominus ad Moysem, Pręcipe, inquit, filijs
„ Israel offerre agnos anniculos, & quę sequuntur. Hęc etiã „
conueniunt vt in typo cum sacrificio noui testamenti, de
quo locutus est dominus sanctis Apostolis, sicut narrat „
„ Euangeliũ, & sicut Apostolus ait, Ego enim accepi à do-
„ mino, quod & tradidi vobis, & quæ sequuntur. Sequitur,
„ Et sanctificabitur altare in gloria mea, & sanctificabo ta-
„ bernaculum testimonij, & altare. Hoc quoque secundum
anagogen in Christum quadrat, qui nõ solum est hostia,
sed etiam, vt ait Dionysius in capite de Chrismate, altare
„ est, in quo animę nostræ mystice consecrantur & offerun-
„ tur Deo, & holocausta fiunt; quod altare, inquit, a seipso
„ sanctificatum est. sanctificat enim seipsum pro nobis san-
„ ctissim⁹ Iesus, vt nos ex Deo natos sanctificatione repleat;
„ qua oeconomice, & ἀνθρωποπρεπῶς id est, vt hominẽ deco- „
„ bat, sanctificatus fuit; Hęc Dionysius. De hoc ergo altari „
secundum spiritum ait nunc dominus in lege, sanctifica-
bitur altare, quod ipse scilicet sum in gloria mea, id est, à
diuinitate mea, siue à meipso, sicut ipse dominus in Euan
„ gelio Ioannis dixit, Ego sanctifico meipsum. Clarius autẽ „
70. interpretes in anagogem spiritualem intuentes pro- „
phetice, pro eo quod B. Hieronymus vertit, sanctificabi- „
„ tur altare, Sanctificabor, inquiunt, in gloria mea, altare „

Quomodo Christus hostia & altare sit.

inter-

interpretantes Christum ipsum, qui secundum humanitatem & quatenus sacrificium & altare est, à se Deo sanctificatus est, & à se sanctificatus, nos qui templum Dei & altare sumus, & loca ipsa sanctificat, vnde subiungit, Et sanctificabo tabernaculum testimonij cum altari, & Aaron cum filiis suis. Sequitur, Et habitabo in medio filiorum Israel. Satis hoc etiam cum eo conuenit secundum spiritum, quod dominus in Euangelio dixit, Ego vobiscũ sum vsque ad consummationem seculi. se enim viuentem per velamen, id est carnem suam nouo modo, hoc est in mysterio siue sacramento, in domo Dei apud nos reliquit vsque ad consummationem seculi. In cælo enim non erit templum, sicut B. Ioannes in reuelatione visionis ciuitatis sanctę Hierusalem cælestis, Et templum, inquit, non vidi in ea, dominus enim omnipotens templum illius est & agnus. Hoc itaque est, quod idem Ioannes in Apocalypsi dixit, Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis. tabernaculum enim Dei vocat carnem Christi, in qua habitare voluit Deus, quæ post ascensum in cęlos cum hominibus non est corpore, nisi in mysterio. Hãc carnem, vt Apocalypsis vocat tabernaculum, sic scriptura Exodi vocat altare, quod per ipsam illam carnẽ & in ipsa consecremur, & holocausta Deo accepta efficiamur. Huiusmodi tabernaculum, & altare, id est, carnem Christi non habent Metonymici, qui panem suum sacramentalẽ figuram Christi esse tradunt anagogem & spiritum veteris scripturæ, & reuelationem B. Ioannis frustrantes. Habitabit ergo, inquit, Apocalypsis, tabernaculum Dei cũ hominibus, non dixit, habitauit, in præterito, ne de breui illa habitatione dictum esse intelligeremus, quæ ante Apocalypsim B. Ioannis iam transierat, sed de habitatione nobiscum in sacramento, quæ vsque ad finem duratura erat, quam B. Ioannes in spiritu vidit. Sequitur in Apocalypsi; Et ipsi populus eius erunt: & ipse Deus cũ eis eorum Deus erit; hoc est, quod dominus de hoc mysterio in Euãgelio dixit, Qui manducat meã carnẽ & bibit meũ san-

guinem

Quomodo dixit dñs, ego uobiscum sum usque ad consũmationem seculi, quia manet nobiscum in sacramento.

Collatio loci Apocalypsis cum loco Esaie ad mysteriũ S. Eucharistię pertinens.

Collatio loci Apocalypsis cũ euangelio Ioannis de Eucharistia.

" guinē in me manet & ego in illo. Similiter in Exodo, cū di
" xisset, Et habitabit in medio filiorū Israel, statim subiūxit,
" Eroque eis Deus, & scient, quia ego dominus Deus eorū;
" Deinde sequitur, Qui eduxi eos de terra Ægypti, vt mane-
" rem inter illos, & inuocarer ab eis. sic enim est apud 70.
Reddit rationem scriptura more suo legis de iugi sacrifi-
cio duorum agnorum, quę fuit liberatio populi Israeliti-
ci ex Ægypto. Eandem rationem reddidit in lege agni Pa
schalis, & cum dixerint vobis, inquit, quæ est ista religio,
" dicetis eis, Victima transitus domini est, quando transiuit
" super domos filiorum Israel in Ægypto percutiens Ægy-
" ptios, & domos nostras liberans. Hoc etiam mirifice con
uenit cum eo, quod Apocalypsis B. Ioannis in eodem lo-
co de mystico tabernaculo & de mystica habitatione
" Christi nobiscum subiungit, inquiens, Et absterget Deus
" omnem lachrymam ab oculis eorū, & mors vltra nō erit,
" neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra, Qui
enim carnem Christi viuificam nobiscum habitantē mā-
ducat, habet vitā ęternam, sicut dominus dixit differens
de hoc mysterio in Euangelio. hoc ergo est secundum spi
ritum, abstergi lachrymam ab oculis, & liberari luctu &
dolore, quod fuit in ænigmate typico, liberari à seruitute
Ægypti & à morte, qua angelus vastator primogenitos
" Ægyptiorum affecit. Quod vero ait, Absterget lachrymā
" & mors vltra non erit, quę prima abierunt, non pertine-
re hoc ad secundum aduentum, cum rursus mors inimi
cá nouissime destruetur, sicut Apostol⁹ ait, & Esa. cap. 25.
" Rursus abstulit Deus lachrymam ab omni facie; cū enim
dicit, rursus, sic enim est apud 70. significat semel prius
abstulisse, non pertinere inquam ad secundum aduentū
vt aliquis suspicari posset, interpretatus est Apostolus, qui
" hunc locum imitatus 2. Cor. cap. 5. vetera, inquit, transie-
" rūt, quę hic vocat prima; facta sunt omnia noua. nō enim
dixit, fient, sed facta sunt. quæ autem vetera transisse dicat
" ex antecedentibus intelligere licet. dixerat enim; Itaque
" nos ex hoc neminem cognouimus secundum carnē, pro

Quid sit in Apocalypsi Ioannis abstergi lachrymam ab oculis.

co,

eo, quod est, iam nos secundũ spem liberatos esse à morte, luctu & dolore, qui prius dominabãtur. esse enim nos iam cum Christo conresuscitatos, habereq; in nobis tanquam pignus secundæ resurrectionis Christum ipsum suscitatum à mortuis, qui iam non moritur, & mors inquit, ei vltra non dominabitur. illud etiã probat, quod Ioannes in principio huius visionis dixit; Et ego Ioannes vidi sanctam ciuitatem Hierusalem nouam descendentem de cælo à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo. de hierarchia enim cælesti loquitur, quæ cũ hierarchia Ecclesię catholicę copulata est ταῖς νοεραῖς θεωρίαις. vt Dionys. ait, id est, spiritualibus contemplationibus, ex quo tempore Christus venit, & mysterium redemptionis operatus est. Hanc enim coniunctionem vtriusque Ecclesiæ, de qua superius cap. xiii. copiose disseruimus, significat descensus illius Ecclesię cęlestis ad hanc. In hac ergo Ecclesia catholica, ad quam cęlestis illa visa est descendere, tabernaculum Dei cum hominibus, id est, carnem Christi diuinam & viuificam vidit Ioannes post ascensum Christi in cęlos nobiscum vsque in finem seculi habitaturam, abstergentem lachrymã & omnem dolorem animę & à morte ęterna liberãtem; Hanc ergo visionem B. Ioannis frustrantur Metonymici, cum tabernaculum Christi, id est, carnem eius sanctam, in quã plenitudo diuinitatis eius habitat, à sacramento excludunt, & cęlo includunt. Fateor in proximo superiore capite Apocalypsis reuelationem fieri secũdi aduentus, & cõsummationis seculi; sed nec in prophetijs, nec in reuelationibus ordo requirendus est, ita vt quę priora sunt, prius pręnuncientur, aut videantur vt reuelẽtur; sed in eo potius laborandum est, vt prophetiæ & reuelationes ἡρμοσμένως καὶ ἑπομένως ταῖς θεωρίαις; vt B. Cyrillus in comment. Esaiæ admonuit, id est, apte, & vt consequẽtia contemplationũ postulat, explicentur. Præterea fuisse sacrificium iuge veteris legis typum sacrificij noui testamenti, quod à presbyteris in Ecclesia nostra quotidie super altare fit, testimonio etiã est, quòd prędicens Daniel

Locus Apocalypsis de hierarchia cælesti cũ hierarchia ecclesię catholicę copulata.

Quid sit tabernaculum dei cũ hominibus.

Quod Metonymici uisionem beati Ioannis frustrantur.

Quid in prophetijs, & reuelationibus requirendum sit, & quid non requirendum.

Quomodo probetur iuge sacrificiũ uetus fuisse typum nostri sacrificij iugis

tollen-

tollendum esse iuge sacrificium tempore Antichristi, eodē verbo vsus est, quo Moyses in sacrificio iugi veteris legis, scilicet vt admoneret nos Propheta, hunc esse verū agnum, quem mystice & iugiter immolamus; illos verò agnos sacrificij iugis Mosayci typum & vmbram huius fuisse. Idem itaque verbum ἐνδελεχισμοῦ, vtrobique positum est in typo, & in veritate rei. Exponit antē hunc prō pheticum locum Danielis, vt cæteros prętermittam, Hippolytus martyr eleganter & grauiter in libro de consummatione seculi, & diebus Antichristi; Nec oblatio, inquit, „ erit tunc, neque thymiama, οὔτε τὸ τίμιον σῶμα καὶ αἷμα τοῦ „ χριστοῦ ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις, οὐκ ἀναφανήσεται, λειτουργία σβε- „ σθήσεται, ψαλμωδία παυθήσεται, ἀνάγνωσις τῶν γραφῶν οὐκ εἰσα- „ κουσθήσεται, id est, neque pretiosum Christi corpus & san- „ guis in diebus illis apparebit; Missa extinguetur; cantus „ psalmorum disinet; lectio scripturarum non audietur. „ Hæc omnia vt vno verbo, 70. interpretes diuine comprehenderent, παράλλαξιν ἐνδελεχισμοῦ, vocauerunt, id est, falsam iugis sacrificij translationem, siue immutationem. sublato enim iugi sacrificio, aliud pro eo, quod non erit sacrificium verum, Antichristus substituet; vt iam Antichristi præcursores plane exierint Metonymici, qui corpus & sanguinem Christi à sacramento excludunt, & in exhibitionem quandam per efficaciam fidei, & per manducationē, quam ore spiritus extra panem fieri somniant, transferūt. Fateor præcursores etiam Antichristi sunt Lutherani, minores tamen in hac parte; non enim negant corpus & sanguinem Christi in sacramento, sed negant sacrificium esse, illudq; falso mutant in sacrificium actionis, inuocationis, & gratiarum actionis, quæ sumptioni adiuncta esse concedunt. Vtrique ergo tanquam Antichristi quidam. sic enim eos vocat beatus Ioannes, ἐνδελεχισμὸν παραλλάττουσι, id est, sacrificiū iuge transuertunt, iuxta prophetiā Danielis de Antichristo. Hactenus de lege veteri iugis sacrificij, & de spirituali ei⁹ anagoge ad iuge sacrificium noui testamenti pertinente; in qua anago-

NN ge

S. Eucharistię testimonio prophetico Danielis.

Obseruatio de eodem uerbo ἐνδελεχισμοῦ posito in sacrificio iugi ueteris legis, & sacrificio iugi noui testamenti, idest, de eodem uerbo posito in figura, & ueritate.

Quomodo Metonymici pręcursores maiores Antichristi sint, luterani uero pręcursores minores.

ge, quàm apte omnia illa vetera vt in vmbra respondeant veritati mystici prototypi, quod est sancta Eucharistia, is solum intelligit, qui credit: Qui enim non credunt, vt faciunt hæretici, coguntur ad inanes vmbras, & litteram occidentem cum Iudęis redire.

Loci Leuitici c. 16. de duobus hircis cum sacrificio nostro mystico viuo: item de duobus passeribus ex Leuitico cap. 14. & quomodo secundum Metonymicos typicum sacrificium hirci viui, & passeris item viui non est in Euãgelio impletum, si dominus figuram corporis sui dedit discipulis: & quomodo Metonymici, quamuis ad naturam diuinam quæ neque pati, neque mori potuit, confugiant, elabi non possunt.

CAP. XXIII.

Collatio legis Leuitici de duobos hircis cum sacrificio nostro.

COnferamus deinceps legem Leuitici cap. 16. de duobus hircis pro peccatis populi offerendis, altero mactando, altero dimittendo viuo in eremum; quæ vmbram habebant futurorum bonorũ. Vterque enim erat typus & vmbra Christi pro peccatis mortui, & eiusdem resurgentis. Sed quia non poterat vnus idemque hircus mactari & reuiuiscere, nisi species magiæ esse videretur, vt B. Cyrillus in glaphyris scripsit (sic enim vocat, vt supra iterum admonui, allegoricas interpretationes, quas in Pentateuchum Moysis composuit) idcirco duo hirci adhibebantur ita inter se similes & pares, quasi vnus essent, vt vnius Christi typus fierent. Vt ergo duo hirci vice erant vnius mactati, & rursus viuentis, sic sacrificia altaris nostri vnus Christus sunt, qui in cruce immolatus est semel, & nunc mystice immolatur pro peccatis nostris; tanquã verus hircus emissarius, qui secundum legem Leuitici per hominẽ paratum, id est, qui se prius probauit, sicut Apostolus præcipit, dimittitur in desertum, id est, in animam sobriam nulla luxuria difluentem; in qua propter societatem & omnis temperantiæ studium non inuenit requiẽ spiritus immundus iuxta parabolã Euangelij, sed spiritus mundus. Similiter in emundatione leprosi ex duobus similibus

milibus pasferibus vnus quidem immolabatur adhibitis cedro, coccino retorto, & hyssopo tinctis sanguine passeris; alter vero sanguine itē passeris occisi tinctus dimittebatur in agrū: eratque vterque typus figura vnius Christi, qui semel quidem per sanguinē crucis ad emundationem peccatorū in odorem suauitatis Deo oblatus est; in altari autem non intercedente morte, sed viuens offertur; quia enim sicut de hirco dictum est, nō poterat vnus passer mactari, atque idem iterum animari, nisi genus magiæ videretur esse, duo passeres adhibebantur ita similes, quasi vnus essent, ad figurandum vnum Christum, qui semel in ligno crucis per sanguinem oblatus est; idemque nunc per sanguinem quidem secundum commemorationem, alioqui semper viuens offertur & in agrū mittitur, id est, in terram cordis frugiferam. Tinctio itaque passeris viui ex sanguine passeris mactati significabat in ænigmate eūdem esse, qui nunc viuens offertur, & qui in cruce oblatus est, esseque hanc hostiam vere quidem incruentam, secūdum vero commemorationem cruentam; sicut ipse dixit;

„ Hoc facite quotiescumque biberitis in meam commemo
„ rationem; quotiescumque enim manducabitis panem
„ hunc, & calicem bibetis, mortem domini annunciabitis
„ donec veniat. Vos hic appello Metonymici, quomodo potestis veritatem typis illis & figuris adumbratam ostēdere, si quod dominus dixit corpus suum esse, & gratias agēs Deo patri obtulit, vos figuram corporis discipulis dedisse dicitis, & corpus Deo Patri obtulisse negatis; quomodo apud vos typica oblatio hirci viui & passeris viui cū oblatione hirci occisi, & passeris item occisi veritate ipsius rei impletur. An dicturi estis diuinam naturam cum humana Christi copulatam significatam esse in altero hirco viuo, & passere viuo? minime. siquidē illa ipsa natura viuens cum gratiarum actione oblata est in cœna, quę in Christo per passionem oblata est patri, id est, humana. Deinde si hircus, aut passer oblatus viuus & dimissus, naturam diuinam significasset, quid illa tinctio sanguinis ex passere oc-

Collatio legis Leuitici de duobus passeribus in emūdatione Leprosi oblatis cū sacrificio noui testamenti.

Quomodo redarguuntur Metonymici, & cōuincitur, nō posse eos in typis illis duorū hircorum, aut duorum passerū alterius uiui, & alterius occisi ueritatem ostendere, si figurā corporis Christi, & non uerum corpus offerri dicāt uiuens.

ciſo in paſſere viuo oblato & dimiſſo? nũquid paſſio diuinam naturam attigit? non eò impietatis proceſſerunt iſti, vt hoc cõceſſuri ſint. Quid rurſus in hirco item oblato viuo illud fundere preces ſuper eum, vt lex Leuitici iubet, & illud imprecari capiti eius peccata filiorum Iſrael, ipſe.n.
» pertulit peccata noſtra in corpore ſuo ſuper lignum cru-
» cis. non dixit, pertulit in natura diuina, ſed in corpore, id eſt, in natura humana vnita alioqui cum diuina. Si nullam hoſtiam viuentem Deo offertis, vmbra illius hirci emiſsarij & paſseris viui oblati inanis penitus fuit, id eſt, nullius corporis vmbra, ac nullius rei imago. Dicetis fortaſſe, corpora noſtra fieri, ſicut Apoſtolus ait, hoſtiam vi-
» uentem, cum membra noſtra, quæ ſunt ſuper terram, ſi-
» cut idem ad Coloſſ. ſcripſit, mortificauerimus, fornica-
» tionem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam ma-
» lam & auaritiam. Eſto. ſunt quidem huiuſmodi corpora hoſtię viuentes ac Deo placentes. ſed hic hoſtiam viuentem requirimus, quę ſecũdum ſpiritum legis Leuitici ab vniuerſa multitudine filiorum Iſrael, id eſt, ab Eccleſia fidelium per ſacerdotem pro peccatis offertur; quam Caluinus negare docuit cum tradidit, in eo, quod Chriſtus dixit de hoſtia viuente corporis ſui, Hoc eſt corpus meũ, metonymiam eſſe, vt ſi dicatur, figura corporis mei; qui poteſtate fingendi & mentiendi, quam à diabolo acceperat, hircum viuum Deo oblatum fecit vmbram & typum panis inanimati non oblati; ſimiliter in paſſere. Sic enim ille ignorantiæ pater, & hęreſiarcha à Satana didicit interpretari Euangelium, vt neque legi & Prophetis conſonaret; & legem ac Prophetas, vt nec Euangelio. Hactenus igitur de duobus hircis illis.

Quomodo Caluinus hircũ uiuum & paſſerum uiuum deo ſecundum legẽ Leuitici oblatũ fecit ſua metonymia umbram & typum fuiſſe panis inanimati.

De interpretatione legis Leuitici de panibus propoſitionis, vt conſonet Euangelio de ſancta Eucharistia: & quomodo panis ſacramẽtalis hæreticorum non poteſt eſſe ſanctus ſanctorum Deo, qui non eſt aliud, quàm figura Chriſti, quæ eſt ſanctus ſanctorum: & quomodo hoc loco redarguitur metonymia hæreticorum.

CAP.

Cap. XXIIII.

Similiter interpretanda est, vt consonet Euangelio, lex Leuitici cap. 24. de totidem panibus propositionis, quot fuerunt Apostoli, qui mysterium sanctæ Eucharistiæ à domino, vero Aarone, tanquam filij eius acceperunt; & nobis tradidere, singulis factis ex binis decimis similæ, quę symbolum erant duplicis naturæ perfectæ diuinæ & humanæ, vnitæ in vna persona Christi, qui est in Ecclesia sancta Eucharistia, panis, qui de cælo descendit, qui offertur Deo in odorẽ suauitatis, quod in vmbra designabat thus purum; sic enim vocant 70. quod super pa-
» nes illos veteres ponebatur, vt sit, inquit, panis in moni-
» mentum oblationis domini; bene hoc consonat cum eo,
» quod in Euangelio Lucæ dictum est, Hoc facite in meam commemorationem, quod ipsum etiam Paulus à domino accepit; dictumq; est sanctis Apostolis, & omnibus sacerdotibus, qui in administratione huius magni mysterij Apostolis successerunt. hoc enim in spiritu significabat il-
» lud, quod sequitur, Eruntq; Aaron & filiorum eius, vt co-
» medant eos in loco sancto. non enim licet alijs, quàm sacerdotibus, nec licet alibi quàm in Ecclesia cõficere hoc
» sacramentum: est enim sanctum sanctorum ipsi de sacri-
» ficiis domini legitimum sempiternum. sic enim est apud 70. Hoc quod in typo & vmbra dictũ est de illis panibus, esse scilicet sanctum sanctorum domino, bene consonat cum Euangelio, in quo dominus ore suo dixit, pane in mensa proposito, & in manus suas sumpto, mystica bene-
» dictione eum sanctificans, Hoc est corpus meum. sic enim
» factum est vere sanctum sanctorum ipsi. non solum vt Isychius Presbyter Hierosolymitanus hunc locum interpretans ait, quia sanctificationem ab eo habet, sed & subsistentiam. est igitur ibi hypostasis diuina verbi Dei cũ carne & sanguine proprio vnita, quæ est ipse sanctus sanctorum. Et B. Cyrillus lib. 13. de adoratione in spiritu ad Pal-
» ladium, mensa, inquit, habens propositionem panum, si-
» gnificat τὴν ἀναίμακτον θυσίαν δι' ἧς εὐλογούμεθα τὸν ἄρτον ἐσθίον

Collatio legis Leuitici de panibus propositionis, & interpretatio, ut euãgelio consonet.

Quid secundum spiritum significaret quod dictum est in lege de panibus propositionis, sanctum sanctorum erit ipsi.

„ πρὸ τὸν ἐξ οὐρανοῦ τουτέστι χριστὸν. ὃς ϗ γέγονε καθ' ἡμᾶς. Significat
„ inquit, hostiam incruentam, per quam sanctificamur co-
„ medentes panem è cælo, id est, Christum, qui factus est nostræ naturæ. Age ergo Metonymice, Quomodo panis tuus sacramẽtalis, sic enim vocas, est sanctum sanctorum Deo, si non est aliud, quàm panis natura? tibi quidem est, vt fingis, sanctum sanctorum, Deo tamen non est; qui non facit tibi sanctificatione mysticæ benedictionis, id est, virtute verbi sui omnipotentis, vt mutata substantia panis, subsistat ibi Christus, sanctus sanctorum, qui in cælis est, qui est panis viuus è cælo descendens. Sed dicet Metonymicus, panem suum sacramentalem esse sanctum sanctorum, id est, figuram sancti sanctorum, & per figuram istã & per efficaciam fidei, fieri in comedente gratiam, & veritatem communionis corporis Christi. Ista enim est istorũ hæretica disciplina. At, Metonymice, cum dixit Ioannes Euangelista, lex per Moysem data est, non addidit, gratia & veritas per figuram Iesu Christi, & per efficaciam fidei, sed per Iesum Christum facta est. Igitur panis ille propositionis, de quo data fuit lex Moysis, qui secundum legem Moysis erat sanctum sanctorum de sacrificiis domini iure perpetuo, non erat vmbra & typus figuræ sancti sanctorũ, sed ipsius αὐτοχάριτος & αὐτοαληθείας sancti sanctorum, id est, ipsius gratiæ, substantialis & veritatis, sanctę inquam Eucharistiæ, quæ Christus est sanctus sanctorum, & panis vitæ. Hactenus collatio legis Leuitici de panibus propositionis cum S. Eucharistia & cum Euangelio.

Quomodo panis Metonymicus non potest esse sanctum sãctorum deo, ut quidem est panis uiuus, qui est S. Eucharistia.

De loco Deuteronomij c. xv. collato cum Euangelio, qui Metonymicos redarguit, & errare conuincit: & quomodo eum beatus Cyrillus *interpretatus sit: & quomodo rursus non possint Metonymici interpretari eum, vt cum Euangelio consonet: & de duobus locis illustribus Cæsarij fratris Gregorij Naz. contra eosdem* Metonymicos.

CAP. XXV.

SEquitur deinde vt legem illã Deuteronomij cap. 15. cum nouo testamento secundum spiritum, vt hacte-

nus

nus fecimus, comparemus, cum tibi, inquit, venditus
» fuerit frater tuus Hebræus, aut Hebræa, & sex annis seruie
» rit tibi, in septimo anno dimittes eum liberum, & quem
» libertate donaueris, nequaquam vacuum abire patieris,
» sed dabis viaticum de gregibus & de area & de torculari
» tuo, quibus dominus Deus benedixerit tibi. Hactenus lex.
Hanc legem interpretans B. Cyrillus lib. 7. de adoratione in spiritu, ita vt Euangelio consonet, interpretemur
» nos ad verbum, Vides, inquit, vim mysterij Christi in his
elucere? liberauit enim nos gratis dominus. non enim ex
» operibus iustitiæ, quę fecimus nos, sed secundum magnã
» misericordiam eius tantam istam clementiam participa-
» uimus. Postquam vero liberos nos fecit, id est, à peccatis
» absoluit, & gratia adoptionis affecit σεαυτὸν προσέθετο ἐ-
» φόδιον ὡς θυσία ἄμωμος καὶ πρόβατον ὑπὲρ ἡμῶν ἐσφαγιασθὲν χα-
» ριζόμενος τὸ μεταχεῖν εὐλογίας τῆς ζωοποιοῦ, τουτέστι τῆς ἁγίας αὐ-
» τοῦ σαρκός τε καὶ αἵματος, τοῦτο οἶμαι ἐστὶ τὸ ἐφοδιάζεσθαι δεῖν ἀπὸ τῶν
» προβάτων, ἀπό τε σίτου καὶ οἴνου τοὺς ἐν ἑβδόμῳ καιρῷ. τουτέστι ἐν τῷ
» νοητῷ σαββάτῳ κεκλημένους εἰς ἐλευθερίαν ἐξ ἡμερότητος τῆς
» δεσποτικῆς, id est, adiecit seipsum viaticum tanquam victi-
» ma omnis maculæ expers, & ouis pro nobis mactata, con
» cedens, vt viuificam benedictionem participaremus, san-
» ctam dico carnem & sanguinem. Hoc existimo esse, quod
» ait lex, oportere suppeditari viaticum de ouibus & de fru-
» mento, ac de vino, septimo anno, id est in sabbato spiri-
» tuali vocatis ad libertatem clementia domini. Hactenus
Cyrillus. Accersamus nunc Metonymicos, & percunctemur eos, quomodo ipsi hanc legem Deuteronomij ita interpretentur, vt cõsonet vt necesse est, Euãgelio; illã partẽ legis dico de viatico ex gregibus, & area, ac torculari, suppeditando gratis septimo anno seruis manumissis & seruitute liberatis. Si enim liberatio illa à seruitute temporali, erat in spiritu secundum Euangelium, quod in vetere testamento continebatur liberatio à seruitute legis & peccati ac diaboli, an conuenit, vt viaticum, quod illa seruitute liberatis ex lege suppeditabatur, sit in spiritu ac se-

Collatio legis Deuteronomij de uiatico, qđ dabatur seruo libertate donato, cum euangelio.

Quomodo Metonymici non possũt interpretari secundum spiritum legem Deuteronomij de uiatico dando seruis manumissis, ita ut interpretatio consonet euãgelio, ut necesse est.

cundum

Interpretatio legis Deuteronomij, ut conuenit euãgelio.

cundum Euangelium viaticum terrenũ, quale erat illud? an potius ęternũ, ęternæ redemptioni inuentæ cõgruens? Si Moyses adiecit liberatis à seruitute humana viaticum ex carne pecudis & pane ac vino, an non consonat cũ ea lege adiicere Christum viaticum liberatis à peccato carnem suam & sanguinem suum sub specie panis & vini? atqui is qui neq; fallere neq; mentiri potest, nõ in ænigmate & figura, vt in lege loquebatur, sed aperte & proprie in
» euangelio dixit, Panis, quem ego dabo caro mea est pro
» mundi vita; & qui manducat meam carnem & bibit meũ
» sanguinem, in me manet & ego in illo; & postea in cœna
» Accepto in manus pane, Hoc est, inquit, corpus meum, &
» accepto calice, Hic est calix sanguinis mei. Hoc est igitur viaticum, cibus scilicet natura viuificus, quẽ dominus Iesus dedit pro cibo illo paradisi nõ natura, sed inobedientia mortifero, vt ait Cęsarius in libro Quęstionum, quod opus esse aiunt Gregorij Nazianzeni fratris, vt Photius in

Locus Cęsarij fratris Gregor. Nazianzeni cõtra Metonymicos.

» sua Bibliotheca testatur. reddamus latine locum. Om-
» nia, inquit, debita primi parentis Christus pro illo subi-
» uit, pro illius obedientia abiecta, factus est obediens vsq;
» ad crucem: ille per Euam tentatus comedit; hic tentatus
» à diabolo non comedit, sed ieiunus fuit 40. diebus: ille
» voluit fieri Deus, & cum non posset, amisit, quod esse po-
» terat factus mortalis ꝓ immortali; hic cũ esset Deus, pro
» illo factus est mortalis nõ mutata natura neq; diuinitate:
» ille ex paradiso in hunc locum laboriosum relegatus est;
» hic pro illo è cælo delapsus, illius vitam suscepit, pro lu
» ce inaccessibili habitans antrum huius mũdi tenebrico-
» sum; pro angelis circundatus à bestijs; pro hymnis & cã-
» tilenis cælestibus audiens calumnias & contumelias, &
» illa, Dæmonium habes, &, In principe dæmoniorum eij-
» cit dæmonia, &, Seducit turbas: pro Eua Mariam semper
» virginem excitauit: Pro pœna illius misit huic per Gabriele τὸ χαῖρε. Pro ligno transgressionis, lignum resurrectionis, crucem suam dico, fixit: pro cibo non matura, sed aspersione obedientiæ mortifero, naturam suam cum no

stra

,, ſtra copulans, viuificum cibum ſe nobis propoſuit, qui ,,
,, ab omnibus participatur idem manens ἄληκτος, id eſt, nō ,,
,, finitus, neque conſumptus. Hactenus Cæſarius, ſiue fra ter ,,
eius Gregor. Nazianz. qui ſimiliter ait, ſe cibum viuificum ,,
propoſuit, vt B. Cyrillus paulo ante dixit, viaticum ſeipsū
propoſuit. neuter dixit, propoſuit figuram ſuam, cibum,
aut viaticum; ſed ſeipſum. Eſt alius locus inſignis de S. Eu-
chariſtia in eodē libro quæſtionum Theologicarū de lo-
cis ſcripturæ ſanctę, quem græce etiā libet in Metonymi-
,, cos recitare, καὶ ὁρῶμεν, inquit, τὸν ἅγιον ἐκεῖνον ἄρτον τήμε-
,, ρον ἐν τῷ ἀναιμάκτῳ θυσιαστηρίῳ κατὰ τὸν καιρὸν τῆς θείας καὶ μυ-
,, στικῆς τελετῆς ἐπὶ τῆς ἀχράντου προτεθειμένον τραπέζης, μὴ ἐοικότα
,, τῇ εἰκόνι τοῦ σωτηρίου σώματος τοῦ θεοῦ, μὴ δὲ αὖ πάλιν τῷ ἐγκε-
,, κραμένῳ αὐτῷ αἵματι τὸ συμπροτεθειμένον τῷ ἄρτῳ ποτήριον τοῦ
,, οἴνου. οὐ τῇ τῶν μελῶν διαρθρώσει, οὐ τῇ σαρκικῇ καὶ αἱματώδει ποιότη-
,, τι, τοῦτο γὰρ δοκεῖ περιφερὲς, εὔθρυπτον, ἄψυχον, ἄναιμον, ἀκίνητον, θατέ-
,, ρῳ ἐοικός. πιστεύομεν δὲ ὅμως τῇ θεηγορίᾳ καὶ οὐχ ὡς ὅμοιον, ἢ ἴσον,
,, ἀλλὰ κυρίως, καὶ ἀραρότως αὐτὸ ὑπάρχειν τὸ θεῖον σῶμα τὸ ἐπὶ
,, τῆς θείας τραπέζης ἱερουργούμενον καὶ ἀλήκτως μετεχόμενον. οὐ δὲ
,, γὰρ ὁ ἥλιος λήγει τοῖς δεομένοις τὸ φέγγος παρέχων, οὐ δὲ θάλασσα
,, διὰ τοῦ ἁλὸς μεταχομένη, τοῖς κήτοις ὑφίεται, οὐ δὲ τὸ πῦρ μυρίας ἐ-
,, φάπτον λαμπάδας μαραίνεται ἢ μειοῦται, μὴ λείποντος τὸν πυρσὸν ἐγεί-
,, ροντος. οὐδὲ αὖ πάλιν ὁ ἀὴρ τῇ ἀναπνοῇ πάντων ἐμψύχων βραχύνεται.
,, Conuertamus totidem verbis, ſi poſſumus; etſi non pari
,, elegantia. Ac videmus, inquit, illum panem ſanctū ho-
,, die in altari incruento, tempore diuinæ & myſticæ conſe-
,, crationis ſuper menſam puram propoſitum non ſimilē
,, imagini ſalutaris corporis Dei, neque rurſus ſimilem ipſi
,, ſanguini immixto calicem vnà cum pane propoſitum; nō
,, ſimilē dico formatione mēbrorū, neq; qualitate carnis ac
,, ſanguinis. hoc n. videtur rotundū, facile ad frāgendū, ina-
,, nimatū, exāgue, immobile, diuerſę rei ſimile; credimus ta-
,, mē verbo Dei, & nō quaſi ſimile aut ęquale, ſed proprie &
,, firme eſſe diuinum corpus, quod ſuper menſam ſanctam
,, conſecratur, & inexhauſte participatur. nec enim ſol finē
,, facit prębendi ſplendorem indigentibus luce: neque ma-

Inſignis locus Cæſarij fratris Greg. Theologi de ſancta Euchariſtia.

OO re

„ re per suppeditationem salis impertitũ, de vasta magni-
„ tudine decedit: nec ignis infinitas lucernas incendens
„ flaccescit, aut imminuitur, non deficiente, qui flammam
„ excitet: neque rursus aer respiratione omnium animantium decrescit. Hactenus de sancta Eucharistia ex lege cum Euangelio collata.

De psalmo 115. collato cum Euangelio ad redarguendum Metonymiam hæreticorum: & quomodo prophetaturus Dauid de corpore Christi in sacramento, prius de fide admonuit, sicut dominus postea in Euangelio Ioannis fecit: & quomodo Ecclesia catholica semper fuit fixa, & immobilis in fide Eucharistiæ contra omnes hæreticos: & quomodo hæretici nolunt in excessu mentis, idest abducti, & seuocati à consuetudine sensus contẽplari corpus Christi sub specie panis, sed malunt potius excessum mentis, idest, amentiam incurrere, & Simonem Magum imitari: & de excessu mentis, qui cecidit super Petrum in actis apostolorũ, & de eo, qui cecidit super Abraam.

CAP. XXVI.

Veniamus iam ad Prophetas: & quia in hoc admirabili sacramento S. Eucharistiæ idcirco hæretici metonymias & fabulas loquuntur, quia non credunt, conferamus primo, quæ propheta Dauid intuens in hoc mysterium fide illuminatus scripsit, cum ijs, quæ dominus dixit, cũ vellet de eodem mysterio disserere; etenim quia dicturus erat, Qui manducat meam carnem & bibit meũ
„ sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum
„ in nouissimo die. Hoc autem sine fide intelligi non poterat; ob eam causam fidem primum petijt, inquiens, Amẽ dico vobis, Qui credit in me, habet vitam æternam. Similiter Dauid, quia dixerat in extrema parte Psalmi proximi superioris, de resurrectione sua prophetans, Conuertere anima mea in requiem tuam, & quæ sequuntur; idcirco continuo Psal. 115. Credidi inquit, propter quod locutus sum, idest, Hæc de anima ex inferis educenda, & de resurrectione corporum, ac de vita beata futura ideo confessus sum ore, quia corde credidi spiritui reuelanti. quod ideo est à Dauid dictum, vt nos similiter credamus, propter qđ

[Margin: Collatio psal. Dauid cum euãgelio.]

[Margin: Quomodo quod Christus in euãgelio fecit, ut prius de fide meminisset, quam de mysterio S. Eucharistię, similiter fecit dauid in psalmo.]

&

& loquamur, sicut Apostolus quoque nos docuit, cũ Pro-
„ phetam imitatus, & nos, inquit, credimus, propter quod
& loquimur. ex fide enim cordis nascitur fidelis sermo
„ oris. Sequitur deinde, Ego dixi in excessu meo, omnis ho
„ mo mendax, reddit causam, cur crediderit Deo, propter quod locutus sit. Declarat enim hunc locũ, quod ait Dionysius Areopagita in libro de diuinis nominibus c.7. scri-
„ bens enim de veritate & fide, Eũ, inquit, qui vere credidit,
„ nihil deiiciet à firmamento, & soliditate verę fidei: in qua
„ est immutabili stabilitate fixus. scit enim qui cũ veritate
„ colligatus, vnitusque est, bene habere; sicque esse, quam-
„ uis nulli eum inoneant, quasi mente excesserit; cùm alio-
„ qui ignorent illi quidem excessisse hunc ex errore per ve-
„ ram fidem: hic vero scit se non insanire, vt illi suspicãtur;
„ sed potius simplici & stabili ac eadem semper veritate li-
„ beratũ esse ab incõstanti & mutabili agitatione & motu
„ multiplicis varietatis errorum. Hæc ille. Hanc vim & proprietatem fidei ac veritatis plane licet in hoc sacramento & in Ecclesia cernere; quam nulli vnquam hæretici, qui varie in sacramentum insanientes diuersis tẽporibus extiterunt, ab vna & eadem semper simplici & firma fide dimouere tantillum potuere, quamuis Metonymici Philo-
„ sophi cum Festo dicant, Insanis Catholice, quia acciden-
„ tia sine subiecto in hoc sacramẽto ponis. ipsi enim potius cum Festo gentili resurrectionem negãte insaniunt, qui fidem Ecclesię catholicæ, quam eorũ patres ac maiores ab initio per traditionem Apostolicę prædicationis accepe-
„ runt, insane deseruerunt. Ergo, cum dixit Propheta, Cre-
„ didi propter quod locutus sum; perinde est, quasi diceret, quia credidi reuelationi ac promissioni Dei, locutus sum hæc, illa scilicet, vt paulo ante admonui, dicit, quę in extrę mis versiculis Psalmi proximi de resurrectione futura, & vita beata dixerat. Credidi autem, inquit, quia in excessu meo ab errore, cognoui neminem veracem esse, nisi solũ Deum; quia vt solus potest facere quęcunque promisit, sic solus potest facere, vt verum existat, quodcunque dicit.

Quomodo Dionysius locum psalmi interpretetur.

Quomodo ecclesia semper fuit fixa in fide sacramẽti S. Eucharistię, a qua nunquã ab hæreticis deijci potuit.

Explicatio uersiculi ego dixi in excessu meo.

est enim solus natura sua verax, & omnis veritatis fons ac causa. Similiter enim dictum est, Nemo bonus, nisi solus Deus, quia videlicet solus est natura bonus, omnis bonitatis causa, qui solus facere potest, vt quicquid facit, sit bonum, & nihil malum; ita vt simili etiam ratione omnis homo sit malus, qua sit omnis homo mendax. Significat etiā ecstasis, siue excessus, vt veteres quoque notarunt, cū quis à sensu earum rerum, quę tractantur, & cernuntur, ad intelligentiam eorum, quæ non videntur, cum admiratione
„ traducitur; vt cum Gen. 15. Cecidit, inquit, excessus men-
„ tis in Abraam; sic enim est apud 70. et in actis Apost. cap.
„ 10. similiter, Cecidit mentis excessus super Petrum. vt iam
„ cum ait Dauid hic, Ego dixi in excessu meo omnis homo mēdax, perinde sit, quasi diceret. Cum abductus & seuocatus à sensu fallaci, traduxi me ad contemplationem diuinæ veritatis, cognoui solum Deum, cui credidi in ijs, quę locutus sum, veracem esse, qui promittit resurrectionē & immortalitatē corporum. at Metonymici Philosophi nolunt hoc magnum sacramentum in ecstasi siue in excessu contemplari, id est, mentem à sensu seuocantes, quin potius, quia oculi colorem panis & vini, palatus saporem, nares odorem, digiti modos & qualitates tactus testantur, nihil præterquam panem & vinum esse credūt; maluntq; ecstasim, id est, amentiā Simonis Magi imitari, quàm ecstasim, id est, seuocationem mentis à sensu, qua sancti Dei vsi sunt. Negabat ille amens resurrectionem corporū, q̃d pręter naturam esse videretur. Dionysius vero eum refel-
„ lens, immo, diuina, inquit, res est, & supra naturam illam,
„ quæ cernitur, non autem supra naturam præpotentem
„ vitæ diuinę. Ignorasse vero ait Simonem, non oportere sapientem vti ratione manifesta sensus adiutrice cōtra causam omnium rerum occultam; id est, vt scholion S. Maxi-
„ mi in hunc Dionysij locum adhibeam, non oportere pro-
„ pter ea, quæ sensu percipi possunt, non credere ea, quæ de
„ Deo dicuntur, qui est omniū causa abdita. Proprie enim
„ inquit, hoc est præter naturam, improbare quod est supra sensum,

Quomodo Metonymici nolūt ueritatē huius sacramenti in excessu, siue ecstasi contemplari, ut Propheta docuit, & quo modo excessū, siue ecstasim amentium imitari malunt ad exemplū Simonis Magi.

„ ſenſum, propter id quod eſt ſenſui manifeſtum. Metonymici ergo, qui putant ſe defendere naturam, cum in ſacramento corporis Chriſti accidẽtia ſine ſubiecto negãt; ipſi potius præter naturã hoc faciunt, qui propter ea quæ ſenſibus obiiciuntur, tollunt ea, quæ ſenſus ſuperant, propter ſenſum oculorum, ſenſum mentis; & propter oculos carnis, oculos fidei. qui, quia caro ſunt, ſicut ait ſcriptura, non patiuntur cadere in ſe ecſtaſim, id eſt, exceſſum mentis à carne, & conſuetudine ſenſus carnis ad diiudicandũ in doctrina ſpiritus corpus domini in ſacramento; niſi forte exceſſum mentis attribuunt ad illam ſuam, quam fingunt exhibitionem corporis Chriſti per fidem extra panem, & ad illam, quam ſomniant manducationem ore ſpiritus. Sed eſto, concedatur eis exceſſus mentis; non tamen exceſſus à ſenſu corporis, è quo excedere nolunt, quẽ ipſi aiunt non decipi; ſic enim eſt in obiectione 64. Petri

Quomodo Metonymici ſimiles ſunt Simonis Magi.

„ Martyris, Senſus non decipiuntur circa ſubſtantiam viſibilẽ, ſed ſenſus iudicant non niſi vnum corpus eſſe, nempe panem; ergo tantũ eſt illic panis, & non corpus Chriſti. concedatur, inquam, eis exceſſus mentis è poteſtate rationis, quæ eſt inſania. Quid enim aliud eſt, negare propter ſenſus corporis verba ſpiritus & vitæ, quæ Chriſtus de corpore & ſanguine ſuo in ſacramento clare & perſpicue locutus eſt, quàm inſanire? B. Petrus, cum vas illud velut linteum magnum ſubmitti de cælo in terram vidit, & in eo omnia quadrupedia & ſerpentia terrę & volatilia cęli, niſi in exceſſu mentis, vt ſcriptura teſtatur, viſionem vidiſſet, nunquam omnia illa quadrupedia & reptilia ac volatilia, quæ ſpiritus Dei mactare iubebat, homines eſſe intellexiſſet exuendos per Euangelium moribus ferinis, & cultu gentili. at credidit Deo, qui ei dixerat interpretans,

Quomodo ad intelligendum myſteria diuina neceſſe ſit abſtrahere mentẽ à ſenſibus corporis.

„ quę eſſent illa animalia, Quod Deus purificauit, tu nę cõ„ mune dixeris. quod quidẽ de hominibus dictũ eſſe intellexit; in homines enim cadit proprie, purificari & mũdos, aut immundos eſſe non natura, ſed voluntate. Sic enim „ dixit Petrus; Sed mihi oſtendit Deus, neminem communem,

„ nem, aut immundum dicere hominem. & paulo post, In
„ veritate, inquit, comperi, quia non est personarum acce-
„ ptor Deus, sed in omni gente, qui timet eum, & operatur
„ iustitiam acceptus est illi; sic etiam cum panem mysticũ post consecrationem sacerdotalem videmus, nisi in excessu mentis videamus, id est, à sensibus, qui panem cõmunem esse nunciant, mentem auocantes, ac Domino credentes, qui dixit proprie, sumpto in manus suas omnipotentes pane, Hoc est corpus meum, nunquam nobis persuasum erit, ibi esse corpus & sanguinem Christi, quòd psychicis istis Metonymicis euenit. item & Abraam vt intelligeret mysteria, quæ in illis tribus animalibus, ternorum annorum, vacca, capra, ariete in binas partes dissectis, & in turture atq; columba non dissectis operta erant, & in auibus, quæ ad deuorandum aduolauerant, atq; in igne, qui per medium illarum partium dissectarum transierat, & vt crederet, quæ Deus illi dicturus erat interpretans ex parte, illa in ęnigmate ostensa, Cecidit, inquit scri-
„ ptura, in Abraam excessus mentis. sic enim est apud 70.
„ eisdem verbis, quibus est in actis Apostolorum de Petro. Itaque nisi Abraam mentem à sensibus abstraxisset, nunquam in illo igne, quem vidit inter partes illas victimamarum transeuntem, Deum esse credidisset. Deus enim erat specie ignis, vt B. Cyrillus in glaphyris ait. ad eundẽ modum qui panem mysticum non panem, quo vulgo vescimur, & corpus alitur, sed corpus & sanguinem Christi sub specie panis & vini esse credunt, in excessu mentis, sicut explicatum est, hoc credunt. contra vero vt hoc non credant Metonymici, excessum mẽtis fugiunt, id est, mentem, vt sępius dixi, à sensu oculorum, narium, palati, tactus non abducunt.

Quomodo nõ potest suaderi corpus Christi esse in sacramẽto psychicis Metonymicis quia nolunt seuocare mentem à sẽsu oculorum, & tactus.

De loco Psalmi cxv. qui est proprius S. Eucharistiæ, Calicem salutaris accipiam, & de simili loco Ionæ prophetæ: & quomodo illæ prophetiæ non pertinent ad panem, aut calicem, sacramentalem Metonymicorũ: & quòd ecclesiastica mystagogia testis sit pertinere ad sacramẽtum S. Eucharistiæ, quod Dauid dixit, calicem salutaris accipiam; & de versiculo

ſiculo qui ſtatim ſequitur, Pretioſa in conſpectu dñi mors ſanctorũ eius, quomodo ad commemorationem ſanctorum, quæ fit in ſacrificio Miſſæ, interprete Dionyſio, pertineat: & quomodo redarguatur amentia Metonymicorũ, qui faciunt ſua metonymia, nihil melius neq; maius à Deo nos accepiſſe, quod ei pro omnibus beneficiis retribuamus, quàm figuram corporis, & ſanguinis, quo nihil amentius.

CAP. XXVII.

SEd reuertamur iam ad prophetam Dauid, à quo noſtra de exceſſu mentis cõtra Metonymicos diſputatio ducta eſt, qui in exceſſu mentis cognouit Deum eſſe veracem, & omnem hominem mendacem; id eſt, omnes res humanas vanas, infirmas, mutabiles, ac fallaces eſſe. „ ſubiungit poſtea, Quid retribuam domino pro omnibus „ quæ retribuit mihi, calicem ſalutaris accipiam, & nomen „ domini inuocabo. Ventum eſt ad locũ, qui eſt noſtri propoſiti proprius, ad quem intelligendum neceſſe fuit docere, quod ſupra feci, quemadmodum in extrema parte proximi ſuperioris Pſalmi de reſurrectione corporum & „ de vita beata locutus eſſet Dauid, inquiens, Conuertere „ anima mea in requiem tuam, quia dominus benefecit ti„ bi, qui eripuit animam meam de morte, oculos meos à „ lachrymis, pedes meos à lapſu; Placebo domino in regio„ ne viuorũ. Hæc ſcilicet ſunt, de quibus continuo ſubiun„ git ſequens Pſalmus, Credidi, propter quod locutus ſum: quę quidem cum promittat dominus ei, qui de calice my„ ſtico biberit, ſicut ſcriptum eſt, qui manducat meam car„ nem & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam; & „ ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die; recte Propheta in perſona eorum, qui hoc myſterium ſuſcepturi erant, & in exceſſu mentis, id eſt, à ſenſibus corporis mentem abſtrahentes, Deo veraci credituri, promittit ſanguinem domini bibere, quem calicem ſalutaris vocat, quia tribuit eis, qui digne bibunt, ſalutem; quæ ſine vnione cum Deo „ fieri non poteſt. Quid ergo, inquit, retribuam domino „ pro omnibus, quæ retribuit mihi. Sane quidem pro fide

noſtra,

nostra, quæ est illius donum, retribuit nobis vitam æternam, sicut scriptum est, Qui credit in eum, habet vitam æternã. nihil autẽ magis pro vita æterna, quam nobis ipse pro fide nostra retribuit, retribuere nos conuenit, quàm in ipsius passionis memoriam calicem eiusdem accipere. Quod hic dixit Propheta, calicem salutaris, paulo post dicit, hostiam laudis, congruit cum hoc loco prophetico quod Ionas typus Christi à mortuis suscitati de eius resurrectione, & in eo de nostra omnium prophetans, Subleuabis, inquit, de corruptione vitam meam domine Deus meus. & paulo post exponens quid pro ea gratia & munere retributurus esset, Ego autem, in voce laudis & confessionis immolabo tibi; quęcunq; voui, reddam pro salute domino. dicant nunc Metonymici, an sit digna retributio pro omnibus, quę retribuit nobis Christus dominus, quę in excessu mentis Propheta credidit, & locutus est, de resurrectione scilicet & vita æterna, an sit, inquam, digna retributio accipere calicem salutaris, id est, figurã sanguinis Christi? aut dicant, quomodo dicitur calix salutaris, si in eo non est ipsa salus? id est, sanguis viuificus, qui est vita & salus & omnis vitę ac salutis nostrę fons & causa? an nõ potius digna & iusta retributio est pro vita, quam nobis promittit, & donat, non figuram corporis & sanguinis, sed ipsum corpus & sanguinem eius, qui vita est, in cultum & gratam memoriam mortis eius ore corporis & spiritus, sicut ipse constituit, & pręcepit accipere? Quòd vero hoc, quod Propheta dixit, Calicem salutaris accipiam, ad sacramentum sanguinis domini pertineat, testis est Ecclesiastica mystagogia huius versiculi interpres. sacerdos enim cum sacrificium hoc mysticum facit, sumpturus calicem ritu solenni, Calicem, inquit, salutaris accipiam, & nomen domini inuocabo. accipiendò enim calicẽ hunc salutaris, id est, sanguinis viuifici in remissionem peccatorum, nomen domini tunc maxime inuocamus, vt sicut Apostolus dixit de accedendo ad thronum gratię, id est ad altare, misericordiam cõsequamur, & gra

Quomodo Metonymici non possunt dicere illud psalmi, quid retribuã domino, calicẽ salutaris accipiã, & quomodo eorum calix non possit esse neque dici salutaris.

Quomodo ecclesiastica mystagogia interpres sit, pertinere ad sacramentum Eucharistię qd ait propheta, calicem salutaris accipiam.

& gratiā inueniamus in auxilio opportuno. idem rursus dixit idem Propheta Psal. 49 de eodem sacramēto loquēs.
» ait enim, Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissi-
» mo vota tua; & inuoca me in die tribulationis. Idem quo-
» que probat ille versiculus, qui sequitur, Pretiosa in con-
» spectu domini mors sanctorum eius. hunc enim versiculum Dionysius Areopagita in capite de communione ad commemorationem sanctorum retulit, quę solenni ritu in sacrificio Missæ fit; qua commemoratione sancte eos vixisse, & ad sanctitatem perfectam & consummatam profectos esse prædicamus, nosque ad eorum imitationem incitamus. sic enim diuinus Dionysius, ritum hunc interpretatus est. Deinde dicit, non significari istā commemorationem sanctorum, quasi diuina memoria more nostro in ea animi parte, quæ ad recordationem excitatur, sita sit; sed potius, vt Deū decet, est enim cognitio immutabilis, & honorifica eorum, qui perfecti & consummati sunt Dei si-
» militudine, Nouit enim inquit, scriptura, qui sunt sui, &c.
» Pretiosa in cōspectu domini mors sanctorum eius. mortē
» enim dixit pro consummatione in sanctitate. Hactenus Dionysius. Vt igitur hunc locum propheticum in Metonymicos finiam, si propheta Dauid nihil maius, nec excellētius, neque diuinius in spiritu prophetico recepit, quod pro omnibus beneficijs corporalibus & spiritualib' Deo retribueret, præterquam accipere calicem salutaris, id est, calicem sanguinis Domini; quæ dementia est, vel potius furor. calicem salutaris interpretari non sanguinem salutarem, sed figuram sanguinis salutaris, sicut panem mysticum non corpus Christi, sed figuram corporis Christi? si melior, prēstantior, ac diuinior est sanguis, quàm figura sanguinis, & melius corpus, quàm figura corporis, cum Propheta in spiritu quæsiuit; inquiens, Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi, non debuit ad quæstionem suam respondere, calicem salutaris accipiam, sed figuram calicis salutaris accipiam, Nunquid habent hic ad tergiuersandum Metonymici?

De uersiculo, preciosa in conspectu domini mors sanctorū eius Dionysij interpretatio.

Quomodo redarguatur dementia Metonymicorum, qui faciūt nihil melius deū nobis tribuisse, quod ei retribueremus iuxta prophetiā Dauid, quam figuram corporis, & sanguinis Christi.

Quomodo secūdum disciplinā Caluini, & Metonymicorū male respondent ꝓpheta Dauid ad suam interrogationem, quid retribuam domino calicem &c.

De insigni prophetia corporis Christi in sacramento ex psal. 21. et quomo do consonet psalmus Euangelio, & de interpretatione lxx. quid Eusebius in com. huius psalmi senserit; et de ijs, qui Iudaicos commentarios in exponendis prophetis sequuntur: et quomodo hic psalmus metonymiam hæreticorum euertat: et quomodo dominus vsus fuerit proprie, et non translate verbo comedendi in Manna; et in corpore suo, de quo in Euangelio differebat: et quomodo qua ad dogmata fidei pertinent, à prophetis proprijs verbis prædicta sint: et de interpretatione illius versiculi, manducauerunt, et adorauerunt omnes pingues terræ: quomodo hac prophetia Dauid de cibo uiuifico comedẽdo impleta sit comedendo proprie ore carnis corpus Christi in sacramento.

CAP. XXVIII.

PErgamus deinceps ad Psalmum 21. in quo illustrem prophetiam de corpore Christi in sacramento habemus, qui quidem psalmus testimonio Euangelistarũ, imo ipsius etiam Christi prophetiam historicã passionis & mortis ac resurrectionis Christi, tum constitutionis Ecclesiæ, & vocationis gentium, ortusque noui populi Dei continet. quare cum quinque loci ex hoc Psalmo à Matthæo, Marco & Ioanne Euangelistis in historia passionis Christi citati sint, & sextus locus à Paulo post resurrectionem in epistola ad Hebræos, hæretici fuerint aut Iudæi, aut iudaizantes, qui hũc Psalmum non de Christo, sed de alio interpretantur. immo & Eusebius Cæsariensis qui cũ aliàs, tum in commentarijs suis in Psalmos alioqui eruditissimis, & hoc nomine à B. Hieronymo laudatis, passim interpretationẽ Aquilę, Symmachi & Theodotionis laudare solet, vnde illud suum frequens πάνυ ἀκριβῶς, σφόδρα θαυμαστῶς, quamquam ei probabatur interpretatio illorũ » trium, qui in eo, quod 70. vertunt in hoc Psalmo, longe à salute mea verba delictorum meorum, nequaquam, delictorũ meminerunt, imo libro 10. ac 8. Demonstr. Euang. vbi rursus totum hunc Psalmum explanat, errore librarij affirmat scriptum esse hoc, coniectura ex alijs tribus interpretibus ducta; in commentarijs tamen eiusdem Psalmi, hanc interpretationem 70. approbat, & defendit, à qua disce-

Quomodo Eusebius Cęsariẽ-

discedere non audet, ne alijs interpretibus vsus, eos, qui aliter interpretati sunt, id est, 70. interpretes callide, vt idem ait, reprehēdere videatur. Hic erat imitandus ijs, qui commentarios Iudaicos in scriptura vetere sectātur, & inde explanationem historicam, quam litteralem vocant, petendam esse docent, & profitentur. vereri enim eos oportebat ad exemplum Eusebij & Theodoreti, qui totū fere locum Eusebij, quod ei magnopere probaretur, ex cōmentarijs eius in suos transcripsit, ne Iudaicis istis cōmentarijs vsi, callide sanctos Patres & ecclesiasticos interpretes aut reprehendere, aut contemnere viderentur. Sed eos nuper Leo cognomento Castrus grauiter & docte redarguit tum in toto opere vberrimo & eruditissimo commētariorum in Esaiam, tum in ipsa disputatione docta & val de Ecclesiastica de interpretatione 70. quos diuinus Dionysius Petri & Pauli discipulus numquam cap. 2. cęlestis hierarchiæ δεινοὺς τὰ θεῖα, id est, valentes Theologos vocasset, nisi á sanctis Apostolis didicisset. Sed quia non sine vtilitate disputationis contra Metonymicos susceptę huc digressus sum; describam Græce totum locū Eusebij, quē paulo ante dixi, ex commentarijs eius in Psal. vt eum isti verbis suis loquentem audiant: καὶ δὴ τίνα τρόπον ἐν πᾶσι
„ τούτοις οὐδαμοῦ παραπτωμάτων ἐμνημόνευσαν οἱ λοιποὶ ἑρμηνευ-
„ ταί, οὐδὲ γὰρ ἥρμοζεν παραπτώματα ἐφαρμόζειν τῷ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν
„ προσώπῳ, ὃς ἁμαρτίαν οὐκ ἐποίησεν οὐδὲ εὑρέθη δόλος ἐν τῷ στόμα-
„ τι αὐτοῦ. ὑπὲρ δὲ τῶν κλαυθμῶν, καὶ θρήνων ἄξια πραττόντων ἐν τῷ
„ λαῷ ὑπέρ τε Ἰούδα τοῦ ἐξολισθήσαντος καὶ τῆς οἰκείας ἀξίας ἀποπε-
„ σόντος ὀδυρόμενος διετέλει βοῶν, μακρὰν ἀπὸ τῆς σωτηρίας μου οἱ
„ λόγοι τῶν ὀδυρμῶν μου· οἱ γὰρ λόγοι, φησὶν, τῶν ἐμῶν ὀδυρμῶν τῶν ὑπὲρ
„ τοῦ λαοῦ πάντοτε γινομένων, τῆς ἐμῆς σωτηρίας μακρὰν γεγόνασιν, οὐ-
„ δὲν ὠφεληθέντος τοῦ λαοῦ ἀπὸ τῆς ἐξ ἐμοῦ προξενηθείσης αὐτοῖς σω-
„ τηρίας· ἵνα μὴ δόξωμεν τοῖς ἄλλοις ἑρμηνευταῖς κεχρημένοι, ἐκ πε-
„ ρινοίας τοὺς ἑτέρως τὸν ψαλμὸν ἡρμηνευκότας ἐλέγχειν, τῇ τῶν ἑβ-
„ δομήκοντα ἑρμηνείᾳ χρησόμεθα. ταύτῃ γὰρ τηρήσει τινὲς προσεσχηκό-
„ τες οὐκ ἔφασαν ἁρμόττειν τὸν ψαλμὸν τῷ κυρίῳ. ἀκουσάτωσαν τοί-
„ νυν Ἰωάννου βοῶντος, ἴδε ὁ ἀμνὸς τοῦ θεοῦ. ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ

Eus à 70. interpretatione non audet discedere ne eos reprehēdere uideatur.

In eos, qui Iudaicos commentarios in prophetijs ueteris legis interpretādis sectantur qui dum hoc faciūt, uideri possunt, callide, & dissimulāter catholicos, & ueteres interpretes improbare, quare debere eos, ne hanc suspitionem alijs iniijciant abstinere potius ab illis Iudaicis libris in interpretando.

Quibus uerbis Dionysius Areopagita discipulus Pauli 70. interpretes laudauerit.

„ κόσμου, τοῦ δὲ θεσπεσίου παύλου λέγοντος τὸν μὴ γνόντα ἁμαρτίαν,
„ ὑπὲρ ἡμῶν ἁμαρτίαν ἐποίησεν, ἵνα ἡμεῖς γενώμεθα θεοῦ δικαιοσύνη
„ ἐν αὐτῷ. καὶ πάλιν, χριστὸς ἡμᾶς ἐξηγόρασεν ἐκ τῆς κατάρας τοῦ νό-
„ μου γενόμενος ὑπὲρ ἡμῶν κατάρα. τοιγαροῦν ὥσπερ δικαιοσύνης ὑ-
„ πάρχων πηγὴ τὴν ἡμετέραν ἁμαρτίαν ἀνέλαβε καὶ εὐλογίας ὢν πέ-
„ λαγος τὴν ἐπικειμένην ἡμῖν ἐδέξατο κατάραν, καὶ σταυρὸν ὑπέμει-
„ νεν αἰσχύνης καταφρονήσας, οὕτω καὶ τοὺς ὑπὲρ ἡμῶν ἐποιήσατο λό-
„ γους. εἰ γὰρ τὴν ὡρισμένην ἡμῖν παιδείαν ὑπῆλθεν ἑκών, παιδεία
„ γὰρ εἰρήνης ἡμῶν ἐπ' αὐτὸν ἦν, φησὶν ὁ προφήτης, πολλῷ μᾶλλον τοῖς
„ ὑπὲρ ἡμῶν αὐθ' ἡμῶν ἐχρήσατο λόγοις, καὶ βοᾷ, μακρὰν ἀπὸ τῆς σω-
„ τηρίας μου οἱ λόγοι τῶν παραπτωμάτων μου, μὴ ἀποβλέψῃς, φη-
„ σίν, εἰς τὰ τῆς φύσεως πλημμελήματα. Reddamus latine. Et
„ aduerte, inquit, quemadmodum in his omnibus reli-
„ qui interpretes nequaquam delictorum meminerunt.
„ nec enim cõueniebat delicta ad personam saluatoris ac-
„ commodare, qui peccatum non fecit: nec inuentus est
„ dolus in ore eius, quin potius eos, qui digna luctu & la-
„ mentis in populo faciebant; ac populum ipsum Iudai-
„ cum, qui ex dignitate sua deciderat, deplorabat, cla-
„ mans, Longe a salute mea, verba lamentorum meorum.
„ verba enim inquit mearum lamentationum, quę semper
„ pro populo factæ sunt, longe absfuerunt à salute mea, cũ
„ populus ex salute, quæ à me illis adhibita est, nullam ca-
„ peret vtilitatem. Sed ne alijs hic interpretibus vsi, callide
„ videamur eos, qui aliter Psalmum interpretati sunt, repre
„ hendere, interpretatione 70. vtemur. Hac enim obserua-
„ tione nonnulli ducti, non dixerunt hunc Psalmum do-
„ mino congruere. Quocirca audiant Ioannem clamãtem,
„ Ecce Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi; deinde Pau-
„ lum dicentem. Eum, qui non nouerat peccatum, pro no-
„ bis peccatum fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso;
„ & rursus, Christus nos redemit ex maledicto legis factus
„ pro nobis maledictum. itaque sicut nostra peccata susce
„ pit, cum esset alioqui iustitiæ fons, & item maledictum no
„ bis impositũ subijt, qui erat alioqui pelagus benedictio-
„ nis, ac crucem sustinuit, contempto dedecore; sic pro no-
bis

Ex commentarijs Eusebij Cęsariensis ĩ psalmos explanatio psalmi 21. in quo prophetia de corpore Christi in sacramento ita exponitur, ut consonet euangelio.

„ bis fecit verba. si enim decretam nobis castigationem vo-
„ lens subijt; disciplina enim siue castigatio pacis nostrę, in- Es. 53
„ quit, super ipsum, multo magis verbis pro nobis vice no-
„ stra vsus, diceret cum clamore, Longe à salute mea verba
„ delictorum meorum: ne intuearis, inquit, in peccata natu-
„ rę. Hacten⁹ Eusebius doctiss. auctor. In hoc igitur Psalmo, quem Eusebius cum reliquis Ecclesiasticis auctoribus cõtra eos, qui non sic sentiunt, ad Christum proprie pertinere ac referri sensit, & interpretatus est, post prophetias expressas ac iam ad effectum perductas passionis & resurrectionis domini, & Ecclesię ex gentibus ac Iudæis cõgrega-
„ tæ, Apud te, inquit, laus mea in Ecclesia magna; edent
„ pauperes & implebuntur. sic. n. est apud 70. ἐμπλησθῶσιν pro quo Symmachus vertit χορτασθῶσι, vt idē Eusebius notauit, id est, saturabuntur; quod ex interpretatione Symmachi in nostros codices irrepsit. prophetia est de vero cibo, qui à fidelibus in Ecclesia magna, id est, catholica comeditur, qui est corpus Christi in Sacramento. hi enim sunt, qui digne manducantes, quod iis contingit, qui sunt pauperes spiritu, implentur hoc vero cibo, in quo habitat

Prophetia de corpore Christi in sacramento.

„ plenitudo diuinitatis, sicut dominus in Euãgelio Ioannis
„ ait, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sangui-
„ nem in me manet, & ego in eo. Sequitur, Laudabunt do-
„ minum, qui requirent eum: viuent corda eorum in sæcu-
„ lum sęculi. comedentes, inquit, Eusebius, cibum eis à do-
„ mino datum, & quærentes eum, magnum fructum conse-
„ quentur; eum scilicet, quem prophetia deinceps declarat
„ inquiens, Viuent corda eorum in sæculum sæculi. panis
„ enim vitæ ab eo datus, effector est immortalitatis, & vitæ
„ sempiternę, sicut ipse docuit, cum ait, Hic est panis, qui de
„ cælo descendit, & dat vitam mũdo. & rursus. Si quis man-
„ ducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. & quæ sequũtur.
„ Deinde subiũgit. ὁρᾷς πῶς συνᾴδει ταῦτα τῷ φάσκοντι ψαλμῷ,
„ id est, Vides quemadmodum hæc consonent Psalmo dicē-
„ ti, Edent pauperes & implebũtur, & viuent corda eorum
„ in sæculum sęculi? Hactenus Eusebius. Accersamus ergo

nunc

Quo psalmus 21. Metonymicorum redarguat disciplinã.

nũc Metonymicos,& rogemus eos,quomodo ipsi impleãtur pane suo sacramentali, vt ipsi vocant, qui nihil aliud quàm panis est? An comedunt; quousq; saturati sint? Nõ puto cõcessuros,ne cœnas suas infamẽt, quas falso Dominicas appellant. verius Corinthiacas appellarent & populares diuinæ,& Apostolicæ traditioni contrarias. Quomodo, inquam,suo pane sacramentali implentur,si in eo nulla plenitudo gratię inest, quæ in Christo pane vitæ est? aut quomodo iuxta prophetiam eo cibo viuent corda eorum, si in isto ipso cibo non est vita ipsa secundum Euangelium huic Prophetiæ consonans? ipse enim dominus dixit; Ego sum panis vitæ, & qui manducat me, & ipse viuet propter me. An tergiuersaberis hic Hæretice,& dices,per efficaciam fidei exhiberi corpus Christi extra panem,& ore spiritus mãducari; & ad hunc modũ vos iuxta prophetiam hanc comedere, & impleri, & corda vestra viuere? At quis Propheta ista prędixit? aut vbi ista mysteria sunt in Euãgelio patefacta? aut quis primus istis mysterijs initiatus in mundũ exiuit, nisi Caluinus? Si cibus cęlestis, qui comedẽti dat vitam sempiternam,id est,corpus Christi tantum ore spiritus cum pane tuo sacramentali extra panẽ comeditur, vt tu Hæretice somnias, non debuit dominus in Euangelio Ioannis ponere idem verbum φαγεῖν; id est, comedere in Manna cibo creato, quod ore carnis comedebatur,& in pane non creato,qui est Christus ipse, qui ore tantum spiritus ex disciplina Caluini comeditur: ne nos,sublata proprietate verbi,tanto errore laberemur: qui enim non ore capit cibum; neque palato tangit, non proprie dicitur comedere. Nunc vero qui dixit in Euangelio, Patres vestri ἔφαγον, id est, manducauerunt Manna in deserto, & mortui sunt, idem dixit ibidem per Euangelistam suum Ioannem, Hic est panis de cęlo descendens. vt si quis ex ipso manducauerit, nõ moriatur;& in hoc psalmo de eodem sacramento per Prophetã, comedent pauperes,& saturabuntur,& viuent corda eorum in sęculum sęculi. Non dixit in psalmo, comedent ore spiritus & viuent

Quomodo secundum Metonymicos nõ debuit dominus in euangelio Ioannis ponere idẽ uerbũ in eo, quod ore carnis comedebatur, & in sacramento corporis Christi, quod ore tãtum spiritus secundũ disciplinã Caluini comeditur.

uent corda eorum, nec in Euangelio, vt si quis ex ipso, ore tantum spiritus manducauerit, non moriatur, vt plane dicendũ erat, si nobis optimus magister & pater, vt debuit, cauere volebat. si enim sic dixisset, plane docuisset non se proprie loqui, sed translate. cũ vero nihil tale dixerit, nec hoc modo locutus sit, cũ sic hæreticus verbũ comedendi accipit in pane vitæ, qui de cælo descendit, dominum blasphema calliditate, quasi ignarum consuetudinis loquendi & artis docendi nescium arguit. Quod enim non proprie vteretur verbo comedendi, quomodo sciri aut diuinari poterat, nisi ipse dominus, qui loquebatur, aut spiritus eius tanquam bonus magister declarasset? Quod quidem quia nunquam fecit, consequens est, vt tenedmus, proprie verbo comedendi ibi vsum esse. quod magis adhuc auctoritate prophetici sermonis ex Psal. 21. qui in manibus est, confirmatur. cum ita videamus consonare Euãgelio, vt si Euangelium in Propheta legeremus. quæ enim consonantiora esse possunt, quàm ista nunc? Edent pauperes, &c. corda eorum viuent in sæculum sæculi, & illa in Euangelio, Qui manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum? An dicet Hæreticus, improprie quoq; Prophetam dixisse, Edent, siue comedent? Si ista licentia concessa est Prophetis, vt ibi non proprio verbo vtantur, vbi ex translato verbo error falsi dogmatis nasci potest, & ad obscuritatem prophetici sermonis hoc etiam erroris periculum accedit, non erit iam via, neq; ratio certa prophetias intelligendi, & cum Euangelio conferẽdi. frequens est in Prophetis metaphora & non raro catachresis & acyrologia, cum scilicet in ænigmate, & parabolis paulo obscurius, non propriis & apertis verbis, quia id expediat, loqui volunt; at cum de dogmate Euangelica prophetia texitur, vt de Christi diuinitate, de natiuitate eius ex Virgine, & quod ex semine Abraæ & tribu Iuda, de sacramento lauacri ex aqua & spiritu S. de lege noua danda, de abrogatione veteris legis, & sacrificiorum eius, de miraculis Christi, de passione eius voluntaria propter peccata nostra, de resurre-

Quomodo Metonymici Caluiniani dominũ quasi ignarum cõsuetudinis loquendi & rationis docendi arguant.

Quomodo necesse sit, ut uerbo comedendi proprie usus fuerit dominus in Manna, & in pane, qui de cælo descendit.

Frequẽs in prophetis metaphora, catachresis, & acyrologia, & quando.

surrectione, de ascensu in cælos, de spiritu S. Apostolis misso, de prædicatione Apostolorum in cuncto orbe, de Ecclesia ex gentibus congreganda, de idololatria delenda, ac de resurrectione omniũ generali, de Iudicio futuro, & gloria sanctorum: hæc omnia, & multa alia, ne omnia enumerem, quæ ad Euangelium pertinent, propriis verbis, & satis clare Prophetæ prædixerunt; sic etiam admirabile sacramentum cibi & potus cælestis, qui sub specie panis & vini ore corporis vere & proprie comeditur ac bibitur, dilucide propriis & apertis verbis panis & vini & comedendi vsi, prædixerunt, mirifice Euangelio consonantes. Sed conuincamus adhuc hoc loco, cum dominus de manducanda carne sua in Euangelio Ioannis differit, proprie vsum esse verbo manducandi, id est, non vt ad os spiritus tantũ referatur, vt somniatores Metonymici volunt, sed ad os carnis. dixerat enim dominus, patres vestri man„ducauerunt Manna in deserto, & mortui sunt; deinde su„biungit de sacramento corporis sui comparans illud cũ Manna typo & vmbra veritatis, Hic est panis de cælo de„scendens, vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur„. Quomodo manducationem huius panis cęlestis, qui manducatus immortalem reddit manducantem, cum mãducatione Manna, quod manducatum non liberabat à morte, conferret, nisi vtriusq; manducatio similis esset? id est, nisi vtraq; ore, quo manducare solemus, fieret? Similium enim est comparatio, non autem eorum, quę penitus dissimilia sunt. Sed prosequamur Psalmum. Repetit Propheta paulo post prophetiã eiusdem sacramẽti, inquiens, „ Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terrę; in „ conspectu eius cadunt omnes, qui descendunt in terram. „ Hoc ipsum adorare & prosternere se, postquam manducauerunt, gratiarum actionem significat; consonatq; Euan„gelio Matthęi, in quo scriptum est illud, post cœnam do„mini & hymno dicto, exierunt in montem Oliueti. quo in loco ait B. Chrysostomus hom. 83. in Matth. vltimam mysterij orationem, symbolum esse illius hymni. Hęc vltima myste-

Quomodo prophetę, quę ad euangeliũ pertinebant, propriis uerbis prędixerint.

Quomodo mãducatio Manna non esset cõparata in euangelio cum manducatione panis cælestis, qui est S. Eucharistia, nisi ore corporis utraque fieret.

De oratione post communionem.

myſterij oratio, quam pater Chryſoſtomus dicit apud nos Eccleſiaſtica conſuetudine oratio poſt communionem di citur. De huiuſmodi hymno & gratiarum actione poſt communionem, meminit etiam Dionyſius, cum ait quaſi
„ in extrema pagina de communione. vniuerſum ordinem
„ ſacerdotum hierarchice congregatum poſt ſacram com-
„ munionem deſinere cum gratiarum actione, diuinis mu-
„ neribus pro viribus hymno celebratis. Deinde quia hoc cibo nutritur & fouetur Eccleſia à Chriſto ſponſo, ſicut ſuperius in loco Pauli ad Epheſios explicatū eſt, & iſto ipſo cibo creſcunt fideles in ſalutem, ſicut explicatum quoq; eſt ſuperius in loco epiſtolæ B. Petri, propheticus ſermo conſonans etiam ſcripturę Apoſtolorum, pingues vocat eos, qui digne mānducant. hi enim dicuntur manducare
„ & adorare. ſic enim Euſebius interpretatur pingues, τοὺς
„ ἐκ τῆς οὐρανίου τροφῆς τὰς ψυχὰς ἀνατραφεὶς, id eſt, eos, qui
„ animas habent cęleſti alimento bene nutritas. Sed libet contra hęreticos deſcribere verba Euſebij eruditiſſimi interpretis Pſalmorum, quę hic adiecit, quemadmodum hęc prophetia de ſacramēto corporis Chriſti ad ef-
„ fectum perducta eſſet. ἔστι δὲ καθ' ἑκάστην ἀναστάσιμον ἡμέραν
„ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν τὴν καλουμένην κυριακὴν ὄψει παραλαβεῖν τοὺς
„ τῆς τροφῆς τῆς ἁγίας καὶ τοῦ σώματος τοῦ σωτηρίου μεταλαμβάνοντας
„ καὶ μετὰ τὸ φαγεῖν προσκυνοῦντας τὸν σωτῆρα καὶ χορηγὸν τῆς
„ ζωοποιοῦ τροφῆς· θαυμάσαι τε τῶν λόγων τὸ ἀποτέλεσμα, καὶ κα-
„ τ' αὐτὴν τὴν πρόχειρον λέξιν δι' ἔργων πληρούμενον.
„ Reddamus latine. Licet, inquit, vnoquoque die reſurre-
„ ctionis ſaluatoris noſtri, quem dominicum vocant, ocu-
„ lis percipere, quemadmodum fideles alimētum ſanctum
„ corpuſque ſalutare in communione capiunt: & poſtquā
„ comederunt, ſaluatorem & viuifici cibi datorem veneran
„ tur. ſimulque admirari verborum effectum etiam ſecun-
„ dum litteram factis completum. Rogemus hic rurſus Metonymicos, quę ſignificatio verbi comedēdi ſit in promtu & vulgaris atque vſitata. ea enim dicitur ſignificatio κατὰ τὸ πρόχειρον niſi conſuetudinē quotidiani ſermonis peni-

Qui dicātur ſecundū prophetam pingues ſpiritualiter.

Interpretatio illius uerſiculi, manducauerūt, & adurauerunt omnes pingues terre ex Euſebio.

Quid proprie significet comedere, quod Metonymici ignorare uidentur.

tus ignorant; profecto respondebunt eam esse, qua vulgo vtimur, vt sit comedere, cibum ore capere, dentibus extenuare, ac mollire, & per fauces demittere. Igitur hac significatione affirmat Eusebius, prophetiam de comedendo cibo viuifico impletam esse. videant Metonymici, an sint ipsi loquendi & intelligendi meliores magistri, quàm Eusebius. Illud quoque obseruandum est hic aduersus eos, qui communionem sub vtraq; specie contumaciter flagitant, & defendunt, quemadmodum propheticus sermo de sacramento Eucharistiæ, de cibo tantum meminit, & non de potu. non enim dixit hoc loco, comedent & bibent, sed comedent. Quis vero dicere audeat non de vero sacramento sanctissimæ Eucharistiæ, quod etiam laici comedunt, prophetasse? Quare etsi cum istis obiicimus, qui dixit, qui manducat meam carnem, & bibit meũ sanguinem, eundem rursus dixisse separatim, Qui manducat hunc panem viuet in æternum, aliquid responsi habere sibi videntur, cum rursus statim se reuocant ad cibum cum potu coniũctum, tamen hic ab hoc perfugio exclusi sunt; sermo enim propheticus nõ nisi de alimento viuifico hic meminit, quod necesse est esse verum sacramentum, quod à laicis sub specie tantum panis comeditur. Hactenus de Psalmo xxi. Sed quia locos Prophetarum de sacramento Eucharistiæ cum Euangelio conferre cœpimus, & vt ei consonent, interpretari conati sumus; pergamus deinceps ad Esaiam Euangelicum Prophetam, siue Euangelistam Propheticum.

Locus psalmi Dauid in eos, qui communionem sub utraq; specie flagitãt.

Locus Esaiæ ex cap. lvi. de S. Eucharistia: et quomodo ex eo concludatur corpus Christi esse in sacramento: & quomodo hostias altaris, de quibus prophetat Esaias hic, comedendas esse ore corporali, Paulus interpretatus est contra futuros hæreticos: & quomodo Metonymici participatione diuinæ naturæ se spoliant, negantes corpus Christi in sacramento: & quomodo in sacra communione duas Christi naturas participamus interprete Cyrillo, & Damasceno.

CAP. XXIX.

Excutiamus ergo locum illum cap. 56. sic enim ait, & filios

„ filios aduenæ, siue alienigenas, vt est apud 70. qui adhæ-
„ rent domino, vt colant eum, & diligant nomen eius, vt
„ sint ei in seruos, & omnem custodientem sabbatũ addu-
„ cam illum in montem sanctum: & lętificabo eos in do-
„ mo orationis meæ. & subiungit, holocausta eorum & vi-
„ ctimæ eorum placebunt mihi super altari meo. Hunc lo-
cum ita doctiss. auctor Cyrillus interpretatur, vt probet
necessario hęc ad tempus noui testamenti, id est, ad Eccle
siam nostram pertinuisse; ac de ea hoc loco Esaiam pro-
„ phetasse. loquitur enim inquit, cum gentibus, quæ per fi-
„ dem coniũctione spirituali cum Deo copulantur: qui glo
„ riam suam in obsequio Dei sitam esse volunt; & nomē
„ Dei ita diligunt, vt iugum regni eius cum omni obedien
„ tia subeant, nec amplius Deos alienos sequantur; qui ita
„ seruant sabbata eius (scilicet Christi) vt non ea profanent.
„ sabbatizant enim spiritualiter, qui ingressi sunt in requiē
„ Christi. Huiusmodi ergo alienigenas promittit Deus per
„ Prophetam introducere in montem sanctum, id est, in Ec
„ clesiam noui testamenti, cum alioqui, inquit, prohiberet
„ lex alienigenis ingressum in templum, Non ingrediatur,
„ inquit, Ammonites & Moabites in Ecclesiam domini. At „
„ Christus, qui in nouitatem spiritualem omnia trãstulit, in „
„ montem sanctum, id est, in Ecclesiam, alienigenas intro- „
„ ducit. Hæc Cyrillus. Sequitur in Esaia, & holocausta eo- „
„ rum & victimæ eorum placebũt super altari meo, quia do „
„ mus mea, domus orationis vocabitur cunctis gentibus.
sic enim est in editione 70. Si quod ait hic Propheta, Do-
mus mea, domus orationis vocabitur cunctis gētibus, de
domo Dei, id est, de templo sub sensum cadente, in quo
omnes Iudęi conueniebant, dominus in Euangelio Lucæ
19. interpretatus est, & secundum rationem prophetiæ
huius intelligendum etiam est de domo Dei, quæ, vt Apo
stolus ait, est Ecclesia, in quam omnes scilicet conueniũt,
ad orationem & sacrificium; quæ domus Dei, quia tracta
bilis est, & sub sensum cadens, Timotheum docuit, que-
madmodũ in ea conuersari deberet, si inquam, αἰσθητῶς

Quomodo totus locus Esaię ratione consequentię necessario concludat corpus Christi super altare ecclesię sub sensũ cadentis immolari, & comedi à nobis, & comedentes concorporales Christo fieri Paulo interprete.

& non νοητῶς tantum, vt hęretici & Iudæi αἰσθητοὶ volunt, domus orationis accipienda est hic secundum Euãgeliũ & Pauli Apostoli doctrinam, consequens est, vt cum dicit ibidem per Prophetam dominus, Holocausta eorũ & victimæ eorum placebunt super altari meo, non de altari spirituali cordis, neque de altari cælesti & inaspectabili dicat, sed de altari visibili, cuiusmodi est in Ecclesijs catholicorũ; cõsequens etiã est vt propheticus sermo de holocaustis quoq; & victimis, quæ cernũtur, loquatur, quas hic dixit Christus per Prophetã placere, scilicet Deo, super altari suo, sicut dixit B. Petrus, hostias spirituales acceptabiles Deo per Iesum Christum. Deinde quia altare Ecclesiæ est mensa domini sic ab Apostolo appellatũ in epist. ad Cor. priore, cum dicit, non posse eos, qui participatione mensæ dęmoniorum polluti sunt, mẽsæ domini participes fieri, per mensam altare vtrobique intelligens, vnde hostia tanquam ex mensa sumitur ad comedendum, idcirco sermo propheticus repetens vocationem gentium, quas bestias agri appellat tanquam cultu legis Mosaycæ non mitigatas, omnes ad comedendum ex istis hostijs altaris in-
» uitat inquiens, omnes bestię agri venite ad deuorandum,
» vniuersæ bestiæ saltus. quem locum explanans idem Cy-
» rillus. Si gentes, inquit, nomine bestiarum designat, dica
» mus, eis dictum esse à Deo, Venite & comedite: quod qui
» dem significat tribuisse illis omnem copiam sacrorũ cha-
» rismatum, & viuificam mensam apposuisse. comederunt
» enim panem vitæ effecti participes Christi, & concorpora
» les τῶν ἁγίων. (Τὰ ἅγια vocat corpus & sanguinem domi-
» ni) ita vt læte dicant, Dominus pascit me, nihil mihi de
» erit. & paulo post, Parasti in conspectu meo mensam. Ha-
» ctenus Cyrillus. Mensa, inquit, Chrysost. in homilia de Eutropio, quando confugit ad Ecclesiam, appellatus est filius Dei, ὅτι ἐσθίω αὐτοῦ ἀπολαύων τῶν μυστηρίων αὐτοῦ, id est, quia comedo eum fruens sacramentis eius. Ne autem cum dixit Propheta, Venite & comedite inuitans ad comedendum hostias altaris, illud commedere ad os spi-

ritus hæreticus referret, qui corpus Christi ore carnali in
ſacramento negat comedi, ecce Apoſtolus interpretatus
eſt. de illo enim altari, de cuius hoſtijs & holocauſtis co-
medendis Propheta vaticinatur, ait in epiſt. ad Hebr. Ha-
bemus altare, de quo edere non licet ijs qui tabernaculo
deſeruiunt, de quo loco iam ſuperius diſſeruimus. Atqui
certe Iudęi miniſtri tabernaculi ore corporis victimas co
medebant: igitur ore quoque corporis hoſtię iſtæ noui
teſtamenti, quas prædixit Eſaias, & quas Apoſtolus ait nõ
licere Iudæis comeſſe, nunc comeduntur. Deinde poſtquã
dixerat Propheta, Venite & comedite, rurſus de vino my-
„ ſtico prophetans, id eſt, de calice ſanguinis, ſubiungit,
„ ſumamus vinum & impleamur ebrietate. Significat autẽ
hæc diuina ebrietas, vt Gregor. Niſſen. in Cant. Cant. cap.
5. ait, ecſtaſim, id eſt, meliorem ſtatum & myſteriorum co-
gnitionem: hæc enim ijs, qui digni ſunt, ille cæleſtis potus
cõfert: vel ſignificat hęc ebrietas, vt diuinus Dionyſius in
epiſtola ad Titum notauit, infinitam omnium bonorum
affluentiam, & ecſtaſim ſiue exceſſum intelligendi excellẽ
tiam Dei, quę omnem ſuperat intelligentiam. huiuſmodi
ebrietatem efficit pręclarus ille calix. Sequitur deinde in
„ Propheta, Et erit ſicut hodie, ſic & cras. ſignificat non cõ
ſumi aut mutari hunc cibum & potum myſticum inſtar
„ terreni cibi & potus. non enim eſt cibus & potus, qui pe-
„ rit, ſed qui permanet in vitam æternam, vt dominus dixit.
Vocemus ergo nunc ad iudicium huius euangelicæ pro-
phetiæ Volanũ & cæteros Metonymicos, percunctemurq;
eos, quaſnam ipſi hoſtias, in domo orationis, quæ eſt Ec-
cleſia ſuper altare Chriſti gratas & acceptas Deo habeãt,
ad quas comedendas à Propheta inuitentur, qui corpus
Chriſti in ſacramento eſſe negant; & panem ſuum ſacra-
mentalem figuram corporis Chriſti faciunt? Quod ſi nul-
las habent, nullas enim proferre poſſunt, ſequitur, vt alie
ni ſint ab hac prophetia ab Apoſtolo Paulo explicata: ac
proinde neque ſunt cohæredes, neque concorporales, ne-
que comparticipes promiſſionis in Chriſto. cõcorporales
enim

Quomodo Paulus interpretatus eſt hoſtias, de quibus in nouo teſtamento prophetat hic Eſaias, uere ore corporali comedẽdas eſſe contra futuros Metonymicos.

Quomodo reuincantur Metonymici collatis in unum loco Pauli, & loco Eſaię.

enim in Christo fieri non possunt, nisi per veram, & vt ita dicam, realem mãducatione corporis Christi, vt Apostol. in epist. ad Cor. priore cap. 10. aperte docuit. hanc vero tollunt, qui panem mysticum, quem dominus Iesus dicit esse corpus suum, corpus Christi esse negant; immo participatione diuinę naturę, quã angelis, vt Patres dicunt, prestamus, nos spoliare volunt. sic enim cum alij sancti Patres, tum beatus Damascenus illud beati Petri, diuinę naturæ consortes, libro. 3. de imaginibus interpretatur. „ facti, inquit, sunt consortes diuinæ naturæ, quicunque par„ ticipant sanctum Christi corpus, & bibunt pretiosum san„ guinem eius, copulata enim sunt hęc cum diuinitate: & „ duę naturæ in corpore Christi à nobis participato copu„ latę sunt ἀδιαιρέτως idest, inseparabiliter secundum hy„ postasim: duasque naturas participamus corpus corpora„ liter, diuinitatem spiritualiter; immo vnum atque idem „ cum vtroque efficimur, non quidem secundum hypostasim, „ sed secundũ σύγχρασιν, idest, commixtionem corpo„ ris, & sanguinis. hactenus Damascenus illustris dogmatistes. vnitionem istam, quam hic Pater dicit, precatur sacerdos ad altare, cum sacrum facit, proficere ad vitã æternam accipientibus corpus & sanguinẽ domini. hanc vnitionẽ, quã Damascenus vocat σύγχρασιν, significat, quod „ dominus disserẽs de hoc mysterio dixit, qui mãducat meã „ carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego „ in eo. manet scilicet in nobis θεϊκῶς μὲν διὰ τοῦ ἁγίου πνεύμα„ τος, ἀνθρωπίνως δὲ αὖ διὰ τῆς ἁγίας σαρκὸς καὶ τοῦ τιμίου αἵματος. sic enim ait B. Cyrillus in 4. tomo Pentabibli aduersus „ Nestorium, idest, manet in nobis diuine quidem per san„ ctum spiritum (tunc scilicet, cum digne communicamus) „ humane vero per sanctam carnem & pretiosum sangui„ nem, quem participamus. in eadem sententiam dixit paulo ante beatus Damascenus participari à nobis in sancta communione duas naturas Christi, corpus corporaliter, diuinitatem spiritualiter. Quomodo vero poterunt Metonymici accõmodare ista ad figuram suã, & Metonymiã, quam

Quomodo qui excludũnt corpus Christi à sacramẽto, negãt contra prophetiam Esaię, & Pauli interpretis eius auctoritatem gẽtes ad Christum conuersas fieri concorporales ei; easq; simul participatione & cõsortio diuinæ naturę contra beati Petri testimoniũ, priuare nituntur.

quam somniant? Hactenus de hoc loco.

Altera prophetia Esaiæ de corpore Christi in sacramento, & qui sancti patres sic intellexerint: & de interpretatione beati Cyrilli: & de lætitia, qua sanctè communicantes afficiuntur, quomodo eã prędixerit Esaias; & quomodo prophetiæ epistola Petri consonet: & quid illud sit, quod Esaias continuo post prophetiam de S. Eucharistia, subiunxit; cælum enim nouum, & terra noua erit: & quomodo hoc cõtrá hæreticos Metonymicos, & figuratores valeat: & quomodo parum differant isti à Iudæis, & de loco Neemię de duabus placentis: & de loco prophetico lupus, & agnus pascentur simul, quomodo Metonymici prophetiam Esaiæ ridiculam faciunt sua metonymia, & figura.

CAP. XXX.

Pergamus ad alium locũ eiusdem prophetæ cap. lxv. „ Ecce inquit, seruientes mihi comedent; vos autem „ esurietis. Ecce seruientes mihi bibent; vos autem „ sitietis. Ecce ait, vt in re noua, & admirabili magniquę mysterij. Quid autem noui, & inauditum habet comedere esurientes panem, qui non sit aliud, nec alterius naturę, quàm panis? & bibere sitientes vinum, quod non sit alterius generis quàm vinum ex dolio? Quid admirationis habet panis signum tantum corporis Christi, & vinũ sanguinis? Sane quidem siquid magnificum, & nouum, ac diuinum in hac prophetia noui testamenti promittit seruis suis dominus, vt quidem promittit, illud est intelligendum promitti, vt comedãt panẽ vitæ, & non esuriant, item vt potent verum potum, & bibant calicem salutaris, & non sitiant in ęternum, sicut idem dominus in Euange„ lio dixit, Ego sum panis vitę, qui venit ad me, nõ esuriet; „ Et, Qui credit in me, non sitiet in æternum. Et illud, Qui „ manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, ha„ bet vitàm æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Sed producamus vnum ex pluribus testem huius sententiæ Cyrillum, similiter enim intellexit Ambr. libro de Paradiso c. ix. & libro de Helia, & ieiunio c. x. item Cyprianus libro 1. contra Iudęos c. xxij. & Hier. in com. Cyrillus

Quomodo sacramentum Eucharistię secundum Metonymicos nihil habet admirationis.

rillus igitur in Commentariis, quos in hunc Prophetam
„ ſcripſit, ſic ait, ἐντρυφήσουσι ὄντως ταῖς ἄνωθεν εὐλογίαις κατα-
„ πιαινόμενοι τὰς καρδίας καὶ τραπέζῃ προσβαλλόντες τῇ ζωοποιῷ
„ τοῦ πάντων ἡμῶν σωτῆρος τοῦ χριστοῦ, καὶ τὸν ἄρτον ἐσθίοντες τὸν τῆς ζωῆς,
„ καὶ πόμα τὸ θεῖον δι' οὗπερ ἂν γένοιντο θυμηδίας τῆς ἄνωθεν μέ-
„ τοχοι. ἀποκαθαίρει γὰρ ἁμαρτίας, καὶ ἐξίστησι τὸ λυποῦν, καὶ
„ τὸν ἐπὶ τῷ κολάζεσθαι φόβον καταχέειν οὐκ ἐᾷ τῇ ἡμετέρᾳ δια-
„ νοίᾳ. Interpretemur latine. Cæleſtibus, inquit, bene
„ dictionibus vere perfruentur, qui corda ſua opima reddi
„ derunt accubantes menſæ myſticę domini, & ſaluatoris
„ noſtri Ieſu Chriſti, & panem vitę comedentes, ac diui-
„ num potum potantes, qui quidem potus cęleſtis lætitiæ
„ participes eos efficere poteſt. purgat enim peccata, & ex-
„ trahit quod mœrore afficit, neque patitur, vt metus ſup-
„ plicij animas noſtras perterreat. lętamur enim inquit, po-
„ ſtea & mirifice recreamur ſpe bonorum eorum, quæ dili-
„ gentibus Deum ac digne hunc panem vitæ comedētibus
„ præparata eſſe, ſcriptura ſancta teſtatur. Hactenus B. Cy
rillus. Quanta autem lætitia hic cibus ſpiritualis repleat, experiũtur quotidie ſpirituales; & B. Petrus admonuit, cũ de Chriſto in hoc ſacramento abſcondito loquēs, in principio epiſtolæ ſuę prioris, vt à nobis ſupra in hoc tractatu explicatũ eſt, in quem, inquit, non videntes, ſed credentes exultatis gaudio inenarrabili. De hoc ergo gaudio & exultatione ſubiungit hic idem Eſaias, inquiēs, Ecce ſeruiētes

De lætitia ſpirituali, qua ſancta Euchariſtia digne communicantes afficit à propheta prędicta, & à beato Petro notata.

„ mihi letabuntur: vos autem confundemini; ſeruientes
„ mihi exultabunt in lætitia: vos autem clamabitis propter
„ laborem cordis veſtri. Quo vero tempore euentura hęc
„ eſſent, & ad effectum perducenda, deſignauit ſubiungens paulo poſt, ſeruientibus mihi vocabitur nomen nouum, quaſi diceret futurum eſſe hoc tempore Euangelij, cum appellati ſunt ſerui Dei Chriſtiani, quod nomen cœptum eſt appellari Antiochiæ, vt B. Lucas teſtatur, cũ facta ſunt omnia noua. id enim ſignificabat, quod ſtatim ſequitur. Erit enim cęlum nouũ, & terra noua. ſignificabat, inquã, futuram eſſe magnam rerum omnium renouationem ita

vt

vt nomine cęli & terrę significauerit omnia, vt Paulus in-
" terpretatus esse videtur, cum ait, Vetera transierunt. Ecce
" facta sunt omnia noua. quę quidem reuocatio per aduen
" tũ Christi perfecta est. immo quod dominus per prophe-
" tam dixerat, Ecce seruientes mihi, comedent; Ecce seruiẽ
tes mihi bibent, ne de cibo quopiã terreno, aut potione quapiam terrena acciperetur, quæ essent signum & figura corporis & sanguinis Christi, vt hęretici volunt; opportu
" ne subiungit Propheta, cęlum nouum & terra noua, vt intelligamus, si iam facta sunt omnia noua, & Euangelium non vmbram, vt lex vetus habet, sed ipsam imaginem rerum, vt Apost. ait, consequens esse, vt iam non signum ac figuram cibi spiritualis habeamus, sed ipsum verum ci-
" bum; sicut dominus aduersus istos aiebat, caro mea verè
" est cibus, & sanguis meus vere est potus. non enim dixit, est cibus, aut potus figurate: sed potius; vere est cibus, & vere est potus, vetera enim transierunt, ecce facta sunt omnia noua. parum ergo à Iudęis hęretici distant, quantum quidem ad rationem figurę, quam introducunt. vt enim Iudęi hodie, cum Pascha suum agitant, placentulã comedunt, quam figuram esse dicunt illius agni, quem veteres Iudęi tẽpore primę domus in ciuitate sancta quisque domui suę secũdum ritum legis comedebat; sic hæretici offulas comedunt naturę panis, figuram, vt tradũt, corporis Christi veri agni immaculati. Pręterea cum Iudęi ex captiuitate Babylonica Duce Zorobabele in vrbẽ reducti sunt, in expiatione Hierusalem & portarũ ac murorum eius, vt in Neemia cap. 12. scriptum est, circumtulerunt in modum pompę duas magnas placentas sequẽtibus sacerdotibus cum tubis & vasis, id est, instrumentis cantici Dauid, & item alijs præeuntibus ex aduerso cum laude & gratiarum actione, collocaruntque eas in domo Dei. erant autem illæ duæ magnæ placentæ signum ac figura duplicis sacrificij, vnius Christi semel quidẽ per san-
" guinẽ crucis oblati, de quo Hieremias prophetauit dicẽs
" in persona Iudæorum, Mittamus lignum in panem eius.

Quomodo propheta post prophetiam de sacramento Eucharistię opportune subiũxeit contra Metonymicos, cęlũ nouum, & terra noua.

Quomodo Metonymici hęretici parũ distent à Iudæis cũ sua figura.

Locus Neemię de duabus placentis aduersus Metonymicos.

myſtice vero oblati prius pridie, quàm pateretur, & vſque ad conſummationẽ ſęculi in memoriam illius cruenti ſacrificij ſimiliter per cunctum orbem offerendi. Illud autẽ hoc loco obſeruandum eſt, quia vocabulum Hebraicum Toda placentam & laudem ſignificat; ob eam cauſam interpretem reddidiſſe latine, duos magnos choros laudantium, pro duabus magnis placentis, quæ in ſacrificiũ laudis offerebantur, ſicut eſt in Leuit. cap. 7. ſi, inquit, pro gratiarum actione, ſiue vt eſt apud 70. pro laude, oblatio fuerit, offerent panes abſque fermento conſperſos oleo, ſiue placentas. magnas vero dixit, quia Deus magna cum lætitia reduces effecerat ſicut in Neem. ſcriptum eſt, Et immolauerũt, inquit, in die illa victimas magnas; Deus enim lętificauerat eos lętitia magna. Ergo ſi illi panes azymi in laudem oblati, & illæ magnę placentæ cum religione pōpæ circumlatæ, ſignũ, & figura erant corporis Chriſti offerendi; item panis metonymicus hæreticorum, eſt figura corporis Chriſti oblati, quid quæſo illorum veterum Iudaicus panis, ab iſtorum hæreticorum pane differt? vterq; enim figura corporis Chriſti eſt, niſi quòd ille futurũ deſignabat; iſte vero præteritum? Cum eo, quod ſuperius dixit Propheta, Ecce ſerui mei comedent, quod de cibo viuifico interpretatus eſt B. Cyrillus & alij Patres, quos ſupra diximus, conuenit quod idem Propheta in extrema parte eiuſdem capitis, ait, adhuc de nouo teſtamento prophetans, Lupus & agnus paſcentur ſimul. ſic enim idem Cyrillus interpretatur φάγονται δὲ γὰρ σὺν τοῖς ἡμέροις τὰ ἄγρια, τροφὴ δὲ αὐτοῖς ὁ χρισὸς ὁ ἄρτος ὁ ζῶν, ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβὰς καὶ ζωὴν διδοὺς τῷ κόσμῳ, τρέφει δὲ σαρκὶ τῇ ἰδίᾳ, πρὸς ἀφθαρσίαν ἡμᾶς ἀναμορφῶν καὶ ζωὴν τοῖς ἑαυτοῦ κηρύγμασι τουτέστι τοῖς εὐαγγελικοῖς Comedunt enim, inquit, immãſueta & fera ſimul cũ manſuetis; eſt autem eorũ cibus Chriſtus, panis viuus qui de cęlo deſcendit, & dat vitam mundo. alit autem carne propria, & euangelicis prædicationibus reformãs nos, ad immortalitatẽ & vitã. Hæretici vero Caluiniani metonymia ſua ridiculam reddunt hãc prophetiã. Quid enim habet

Quid differat Iudaicus panis ueteris populi á pane ſacramentali Caluini.

De loco prophetico Lupus & agnus paſcentur ſimul.

Quomodo heretici Caluiniani ſua metonymia

habet admirabile, & prĕter opinionem, homines qui ali quando feri & immanes erant, cultura legis Euăgelicę mi tigatos comedere idem genus panis terreni & humani? At vero comedere Christū, qui à Christo alieni erant, vnà cum Christianis, hoc omni admiratione dignum est. Sed hæc hactenus de hoc Esaię loco & capite. 65. ridiculū faciunt prophetiam Esaię.

Explanatio loci prophetici ad nouum testamentum pertinentis, ex c. 24. Esaiæ, collatis locis Pauli, Apocalypsis, & Euăgelij: & quomodo quod ibi est de glorificatione domini in conspectu presbyterorum, expressa prophetia sit de corpore Christi in sacramento: & quomodo hæretici non possint in eo tergiuersari: & quod prophetans Esaias de nouo testamento, sacerdotes vocauit presbyteros; & quare in scriptura noui testamenti presbyteri nō fuerint vocati à principio sacerdotes, et quando cœperunt vocari: & quomodo res admirabiles vocauit Esa. quas dominus in nouo testamento operatus est, & quæ illæ sint, & quomodo in illis rebus admirabilibus posuit glorificari dominum in conspectu presbyterorum, & bibere vinum in lætitia in monte: & quomodo hæc ad corpus & sanguinem Christi in sacramento referenda sunt secundum prophetiam Euangelio consonantem: & quomodo consequentia in loco prophetico mirifice conueniunt cum ijs, quæ in Euăngelio de S. Eucharistia scripta sunt.

CAP. XXXI.

Pergamus ad alium locum eiusdem Prophetæ, qui est quasi in extrema parte capitis 24. nō enim refert, quo ordine locos propheticos de S. Eucharistia notemus. siquidem non munus interpretandi Esaiam, sed studium locos eius de hoc magno sacramento obseruandi suscepimus. Conferamus igitur eum cum nouo testamento, quod in vetere latebat; id est, lucernam prophetici sermonis, quę tanquam in caliginoso loco, vt ait B. Petrus, antiquis lucebat, cum Euangelio tăquam cum Lucifero, Ergo
» erit, inquit, in illa die, inducet Deus super ornatum cęli
» manum; & super Reges terrę. De primo Christi aduentu prophetat, cum falsorum Deorum cultus sublatus est, factumque, ne sydera vt sol, luna, aut alię stellę, nec elementa mundi, aut alię creaturę pro dijs colerentur creatore re

licto. vt autem hoc fieri posset, id est, vt posset vniuersa ar matura, in qua fortis armatus confidebat auferri, necesse erat, vt eum fortior iuxta parabolā Euangelij vinceret, & alligaret. idcirco addidit, Et super Reges terræ, sic enim vocat quos Paulus in epistola ad Ephesios principes & po testates & mundi Rectores appellat, vt etiam Dominus in Euangelio satanam vocat principem mundi huius. sequitur deinde, quemadmodum induxerit manum super Re ges istos terræ, id est, super dæmones. & congregabunt, in
" quit, & concludent in munitionem & in carcerē. hoc est,
" quod in spiritu vidit Ioannes in Apocalypsi, cum ait, vidi
" angelum descendentem de cælo habentem clauē abyssi,
" & catenam magnam in manu sua: & apprehendit Draco
" nem serpentem antiquum, qui est diabolus & satanas; &
" ligauit eū per annos mille, & misit eū in abyssum & clau-
" sit, & signauit super illū, vt non seducat amplius gentes,
" donec impleantur mille anni: & post hoc oportet illū sol
" ui modico tempore. hoc ergo significat, quod statim subiungit Esaias, Per multas generationes visitatio erit eorū. quos enim dixit Ioannes mille annos, dixit Esaias, multas generationes, id est, totum tempus ab aduentu Christi priore vsque ad secundum, quando tempore Antichristi, quod breue erit, soluendus est satanas ad liberius tentandum. sic enim Andreas Cęsariensis antiquos patres, & interpretes secutus in commētarijs Apocalypsis interpre-
" tatur. Sequitur; Et liquefiet later, & cadet murus; sic enim
" est apud 70. quos vocauerat Reges terræ, qui sunt dæmones, appellat nunc propter eorum duritiam, & resistendi vim lateres, & muros; muros lateritios, & excelsos. hunc tropū imitatus Apostolus, de diabolo, qui à nobis tanquā vrbs quædam munitissima, & machinis celsis instructa, ex "
" pugnandus est, Arma, inquit, nostra nō sunt carnalia, sed
" potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia de
" struentes, & omnem altitudinem extollētem se aduersus
" sciētiam Dei. munitiones & altitudinē vocat, quos Esaias
" lateres & muros. Sequitur; Et confundetur luna & erube-

scet

„ ſcet ſol, quem ſupra ornatum cęli ſecũdũ genus appella-
uerat, nunc, vt eſt conſuetudo ſcripturæ, ſecundum ſpe-
ciem vocat lunam & ſolẽ, quæ ſunt pręcipua ſydera, quæ
in primis dijs habebantur, quorum cultu ſublato & dele
to, neceſſe erat, vt qui ea pro dijs habebant, erubeſcerent,
quod Deos infirmos & egena elementa, ſicut Apoſtolus
„ ait, colerent. ſequitur, Quia regnabit dominus in Sion,
„ & in Hieruſalem, perinde eſt hoc, quaſi diceret, idcirco de
ſtruendum fuiſſe diabolum, vt quidem deſtructus eſt, &
omnem cultum idolorũ, quia dominus regnaturus erat,
„ ſicut idẽ in Euangelio dixit, ſi ego in digito Dei eijcio dæ
„ monia; ergo peruenit in vos regnum Dei: erat inquã re-
gnaturus in Eccleſia, quę iuxta nominis interpretationẽ
Sion ſpiritualis eſt; quod in ea ſit ſublimis contemplatio
diuinorum myſteriorum. Sion enim excelſum & ſpeculã
ſignificat. Eſt item Eccleſia ſpiritualis Hieruſalem, quod
in ea Chriſtum videamus, qui eſt pax noſtra. nomen enim
Hieruſalem viſionẽ pacis declarat. Sic quoque B. Cyrillus
rationem nominis interpretatus eſt, ait enim regnare do-
minum in Hieruſalem, quod verbum, inquit, viſionem pa
„ cis declarat, ὅτι ὁρᾶται πάλιν ἐν ταύτῃ ὁ χριστὸς ὅς ἐστιν εἰρήνη
„ id eſt, quia videtur in hac Chriſtus, qui eſt pax. regnat er-
„ go & regnabit in Eccleſia, quę eſt ſpiritualis Sion, & ſpiri-
tualis Hieruſalẽ, donec ponat, ſicut Apoſtolus ait, omnes
„ inimicos ſuos ſub pedibus ſuis. addit deinde Eſaias. Et in
„ conſpectu presbyterorum glorificabitur; ſcilicet διὰ τῆς
„ ἱερουργίας αὐτῶν, καὶ τῆς ἀναμνήσεως τῶν θεουργιῶν, vt Dionyſij
„ verbis vtar, id eſt glorificabitur per ſacram operationem
„ ipſorum presbyterorum & per commemorationem ope-
„ rum diuinorum; quæ in ſancta Euchariſtia agitur per pre-
sbyteros, qui in monte excelſo Eccleſię primi vident ſacra
menta, & aliis poſtea oſtendunt; quod idem Dionyſius
ait, ἐπὶ τὰς θείας ἐποψίας χειραγωγοῦσι & rurſus de pre-
sbytero, ἱερουργεῖ, inquit, τὰ θειότατα καὶ ὑπ' ὄψιν ἄγει τὰ
ὑμνημένα διὰ τῶν προκειμένων συμβόλων. operatur, inquit,
diuiniſſima ſacerdos (corpus & ſanguinem dicit) & oſten-
dit

dit ea post cõsecrationẽ per proposita symbola.species di- „
„ cit sub aspectũ positas, idcirco ait Propheta, in conspectu presbyterorum glorificari; quo verbo vsus est Dominus
„ post cœnam illam mysticam primam, inquiens, Nunc glorificatus est filius hominis. Quòd si ille ipse qui regnat in Ecclesia catholica Hierusalẽ spirituali glorificatur in conspectu presbyterorum, non sunt ergo species solæ in hoc sacramento, neque cum substantia panis & vini, sed illis „ potius tectus & velatus est rex gloriæ. Quòd si hic hæretici tergiuersari volunt & aliter sensu suo interpretari, quod hic scriptum est, In conspectu presbyterorum glorificabor, quæramus ab eis quid istuc est admirabile, propter quod nunc in nouo testamẽto dicatur dominus ante oculos presbyterorum glorificari? si hoc non est, quod scilicet διὰ τῆς ἱερουργίας αὐτῶν, id est per sacram eorum operationem mysticæ scilicet benedictionis, qui modo erat panis, mutatur in corpus Christi gloriosum, sicut est veritas Christi dicentis per os presbyterorum, Hoc est corpus meum, quod in illa cœna prima sumpto in manus pane, per seipsum dixit. quomodo inquam in conspectu presbyterorum glorificatur, si nihil supra leges naturæ & elementorum in cõspectu eorum fit? sic Nadab & Abiud filij Aaron, qui ignem alienum contra legem obtulerunt, cum in conspectu populi igne cælesti combusti sunt, hoc est, inquit Moyses, quod locutus est dominus, sanctificabor in iis, qui appropinquant mihi, & in conspectu populi glorificabor. si ignis ille naturalis fuisset, qui secundum leges naturę illos combussisset, & non potius cælestis, vt scriptura testatur, nunquam Deus in scriptura propter inflammationem illorum naturalem dixisset, Et in conspectu populi glorificabo: item & nunc nisi per ministerium presbyterorum fieret mutatio panis & vini in corpus & sanguinem Christi, non qualis fiebat secundum leges naturæ ab ipso Christo, cum in carne viuebat, & more nostro cibo & potione alebatur, sed supra leges naturæ virtute mysticæ benedictionis verbis Christi indita, nunquam in hac prophetia

Quid sit Christum in conspectu presbyterorum iuxta prophetiam Esaię glorificari, & quomodo tergiuersatio Metonymicorum retunditur, si ad figuram suam confugiant.

Quomodo nunquam propheta dixisset in persona domini, in conspectu presbyterorum glorificabor, si in nouo testamento, de quo prophetat hoc loco, nihil supra leges naturæ corã presbyteris fieret à domino.

phetia noui testamenti dixisset dominus, Et in conspectu presbyterorum glorificabor, id est, in conspectu sacerdotum. sacerdotes enim vocat Esaias presbyteros, sicut scriptura noui testamenti vocat, quod diuino consilio & prouidentia initio Euangelicę prędicationis factum est, ne sacerdotium nostrum propter communitatem nominis aliquid commune cum sacerdotio veteris legis habere à Iudæis existimaretur; præsertim cum scirent Iudæi legem & Prophetas à nobis honorari; quin potius nouitas nominis presbyteri nouũ genus sacerdotij declararet. hæc fuit causa cur in scriptura noui testamenti nõ tribueretur nomen sacerdotis presbyteris. vastato vero templo Hierosolymitano, & deleto omni cultu Mosayci sacerdotij, cum iam omnis suspitio sublata erat, ne sacerdotium nouum propter communitatem nominis sacerdotium legis esse putaretur; tunc nomen sacerdotis frequentari cœpit. plenæ sunt constitutiones Apostolicæ à Clemente Romano conscriptæ. exemplum sit quod ait in lib. 2. cap. 25. Sacerdotes vestri sunt presbyteri; Leuitæ vero, qui nunc sunt diaconi. ergo Metonymici Caluiniani tum quia presbyteros negant esse sacerdotes, tum quia panis ipsorum sacramentalis natura sua panis tantum est, hanc partem prophetici sermonis de glorificatione domini in conspectu presbyterorum quemadmodum interpretentur, non habent; neque quomodo sibi conueniat docere possunt, cũ presbyteros, qui sint ex ordinatione sacerdotes, minime habeant; eos enim negant, cum profitentur omnes esse sacerdotes. Deinde quia Propheta meminerat de S. Eucharistiæ mysteriis, quæ presbyteri ad Dei laudem & gloriam operantur, quibus grata memoria operum diuinorum, quæ Deus in carne fecit, solẽni ritu perpetuo renouatur, idcirco continuans sequens caput cum antecedente, postquam dixit Propheta, Et in conspectu presbyterorum glorificabitur, subiungit tanquam gratiarum actionem, inquiens, domine Deus meus glorificabo te, & laudabo nomen tuum. postea subiungit causam laudis, quia fecisti, inquit,

Quomodo propheta Esaias sacerdotes noui testamẽti uocat presbyteros & quę causa fuerit, ut scriptura noui testamẽti nõ tribuerit nomen sacerdotis presbyteris, & quando cœperunt uocari sacerdotes.

Quomodo locum prophetæ de glorificatione domini in cõspectu presbyterorũ interpretari Metonymici non possunt, quia presbyteros negant esse sacerdotes & quia eorum opinione panis per consecrationem non mutatur, sed remanet natura panis.

„ inquit, admirabiles res: quid .n. admirabilius esse potest,
„ quã quod Deus homo factus est, vt sicut Apostolus ait, per
„ mortẽ destrueret eũ, qui habebat mortis imperiũ, id est
„ diabolũ; & liberaret eos qui timore mortis per totã vitã
„ obnoxij erãt seruituti; & insuper corporis & sanguinis sui nobis cõmunionẽ in memoriã mortis suç dedit; vt per huiusmodi cõmunionẽ naturç eius diuinç participes efficeremur; quç quidẽ quia nõ erant nouũ inuentũ, nec ex tempore excogitata, sed potius sicut Apostolus ait, mysteriũ à sæculis & generationibus absconditum, subiungit consi-
» lium antiquũ & verum, fiat, siue, vt est in interpretatione
» latina ex Hebraico, cogitationes antiquas fideles, Amen. Ergo quia dixerat admirabiles res siue admirabilia fecisti, explicat deinceps, quç illa admirabilia, distribuens ge-
» nus in speciem: quia, inquit, posuisti ciuitates in tumulũ,
» ciuitates munitas, vt caderent earum fundamenta. Quos paulo ante lateres & muros appellauerat, non dissimili tropo vsus, appellat nunc ciuitates munitas; hoc est, dæmones, quos Apostolus, vt dixi, vocauit munitiones, quas Christus funditus destruxit, & eos qui in his ciuitatibus & munitionibus captiui tenebantur, eripuit. Res quidem
» mirabilis fuit hæc destructio imperij diaboli. sequitur, Im-
» piorum ciuitas in æternum non ædificabitur. Diabolus est impiorum & omnium peccatorum ciuitas, quæ in ęternum non ædificatur. tametsi enim postquam fuerit per multas generationes ligatus, in secundo aduentu Christi ad modicum tempus soluendus est, iuxta Apocalypsim B. Ioannis, erit enim vt Apostolus ait, aduentus Antichristi secundum operationem satanæ in omni virtute & signis & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis, tamen rursus mittetur in stagnum ignis & sulphuris; vbi & diabolus ipse, & bestia id est, Antichristus & pseudoprophetç cruciabuntur die ac nocte in sçcula sæculo-
» rum. Sequitur. Propter hoc benedicet tibi populus mẽ-
» dicus, siue pauper. Populum pauperem vocat populum gentilium, qui non sectabatur iustitiam: nec erant ei cre-

Quç sint res admirabiles, quç iuxta prophetiam Esaiæ in nouo testamento factæ sunt, de quibus prophetat.

dita eloquia Dei; neque data lex, vt populo Israelitico; eratque potius totus cæcus & idololatriæ deditus; ac proinde multo magis, quàm cæteri peccatores sub potestate diaboli. Quamobrem, vt qui maius beneficium per aduentum Christi cepisset, de hoc potissimum miraculo ait Propheta; acturum esse Deo gratias de idolorũ cultu sublato, & eiecto diabolo. Hæc quoque fuit res admirabilis. deinde quem populum pauperem generatim vocauerat, id est, gentilem, velut in partes distribuens, ac docens, qui nam essent ex populo gentili ad fidem Christi couertendi, subiungit, ciuitates iniuria affectorum benedicent tibi. fuisti enim omni ciuitati humili auxiliator: qui inquit à dæmonibus, quos colunt, iniuria afficiuntur, non intelligentes, vt Dionysius Areopag. ait, non se Deos, aut amicos colere, sed hostes crudelissimos, hi si humiles fuerint, si Deo subiecti obedietesque esse voluerint, dabit eis dominus gratiam, & à diabolo eripiet. Pro qua re ijdem rursus gratias agent. sequitur, Tristibus propter indigentiam protectio, ab hominibus malis liberabis eos. Qui ex populo, inquit, gentili moleste ferunt, quòd lege Dei careant, quæ defendat eos à peccatis, eamque expetunt, hos enim vocat tristes propter indigentiam scilicet bonorum spiritualium, & sitientes, & hos, inquit, recreabit, & à malis magistris eripiet, qui sitim non extiguunt, ac respirare faciet tribuens eis spiritum fortitudinis. Hoc enim significat spiritus hominum iniuriam patientium. sequitur, Benedicent tibi quasi homines pusillanimes sitiẽtes in Siõ. Isti ergo quibus tanquam sitientibus fit dominus protectio & recreatio, & tanquam pusillanimis fit spiritus fortitudinis; benedicent, inquit, tibi in Sion, id est, in Ecclesia, quia liberabis eos ab hominibus impijs. dæmones vocat hic homines, vt B. Cyrillus in Comment. huius Prophetæ notauit; qua, inquit, appellatione scite admodum infirmitas dęmonum declarata est. cõuenit cum hoc, quod statim subiũgit Propheta, quibus scilicet hominibus nostra dedisti, omnes, inquit, eramus sub potestate diaboli, qui

in omnes habebat imperium mortis, omnesque descendebant in infernum. homo quoque vocatus est diabolus in parabola de eo qui seminauit bonum semen, & inimicus homo id est, dæmō supseminauit zizania. hęc omnia admirabilia, pro quibus Deo benedicimus & gratias agimus, paucis complexus est in cantico suo Zacharias, cum ait, Benedictus dominus Deus Israel, qui fecit redemptionem plebis suę, & erexit nobis cornu salutis in domo Dauid, sicut locutus est per os sanctorum, qui à sęculo sunt prophetarum eius. ex horum numero est Esaias. sequitur, salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos. & paulo post, Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati seruiamus illi. hi sunt dæmones quos Esaias vocauit homines impios. Cum igitur hic propheticus sermo Esaiæ de aduentu Christi, quo ditati sunt pauperes, erecti humiles, recreati fessi, exhilarati mœsti, liberati oppressi à peccatis & diabolo, expleti sitiētes, quę sunt omnia res admirabiles, vt in principio dixit: cum, inquā, adiungit ad ista admirabilia illud quod sequitur, In mōte hoc bibent in lætitia, bibēt vinū, vngentur vnguento in monte hoc, quis credat præter Metonymicos homines sine corde, de bibendo vino ex dolio sermonem fieri? Quid enim admirationis habet potio vini ex dolio? si vinū illud in Cana Galilaeę fuit res admirabilis, quia fuit facta mutatio aquę in illud, quomodo hoc vinū prophetici sermonis res admirabilis erit, si in eo nō fiat admirabilis mutatio? quę quidem non est alia, quàm conuersio vini in sanguinem Christi, quæ in Ecclesia spirituali Sion fit. Quomodo connenit, vt cætera, quę sermo propheticus texuit, admirabilia sint, sicut in principio vice prooemij dixit, Laudabo te, quia admirabilia, siue res admirabiles fecisti, & rem vulgaris vsus & naturæ communis interponeret, id est, bibere vinum in Sion? Quomodo igitur tu Volane, qui negas in sacramento fieri miraculum, aut tu Petre Martyr, vt te ab inferis excitemus, qui in libro obiectionum tuarum cap. 26. sic ais, In mysterio Incarnationis Christi

Quomodo Propheta cum admirabiles res in nouo testamento, de quo pphetat, factas adiungit bibere uinum in ecclesia, quam uocat montem, necesse est ut uinū mysticum dicat idest, sanguinē Christi sub specie uini, hęc. n. res est uere admirabilis mutari uinum in sanguinem Christi secundum uero et Monymicos nulla est in uino eorum admiratio, quia nihil supra leges naturę fit.

„ Christi valde mirabatur B. Virgo & interrogabat, quomo„ do fieret? Sed transmutatio panis in corpus Christi non „ est minor mysterio Incarnationis, mirum est ergo, quo„ modo in scripturis sacris de ea re nulla inueniatur vel admiratio vel interrogatio, quomodo, inquam, vos Euangelium secundum Apostolicam regulam interpretandi, vt cum Propheta Esaia hic cõsonet, interpretari potestis? hic enim in rebus mirabilibus ponit propheticus sermo potum vini mystici. quem dominus in Euangelio verum potum sanguinis sui vocauit: Petrus vero Martyr Volani magister ait, mirũ esse, quod in litteris sacris ea de re nul„ la admiratio inueniatur; nec, inquit, Gregorius Nazian„ zenus complexus omnia miracula Christi, mentionem „ de transubstantiatione fecit; nec Augustinus de mirabili„ bus sacrę scripturę. Cui etsi satis bene ab Stephano Vintoniensi prius responsum est, frangat tamen eum sermonis prophetici cum Euãgelio collati auctoritas, & desinat mirari, quod aiebat, mirum esse in sacris litteris, nullam esse de hoc sacramento admirationẽ; & discat vel ex hoc loco scripturę sacræ admirationem, quam requirebat. vbi enim res admirabilis est, ibi admiratio est. De interrogatione vero, quam etiam requirebat in hoc mysterio transmutationis, sicut B. Virgo in mysterio Incarnationis interrogauit, Quomodo fieret, facile in Euangelio vidisset, nisi cæcus fuisset. illa enim interrogatio, Quomodo potest hic dare carnem suam ad manducandũ, & si erat interrogatio non credentium, vt contra B. Virginis interrogatio credentis fuit; ad mysteriũ tamen pertinebat. nisi enim dare Christum carnem suam ad manducandum, miraculum, cui non credebant, visum esset, nunquam sic interrogassent. Vnde dominus paulopost, quomodo posset dare, iis, qui credere, & potestatẽ diuinæ naturę cum humana Christi copulatę cogitare & agnoscere voluerũt, & nõ potius retro abire, sicut multi tunc ex discipulis, & nunc omnes Metonymici, satis docuit exẽplo futuri tunc ascensus corporis sui in cælũ virtute diuinitatis: & cum dixit spi-

Quomodo heretici Metonymici locum prophetę de re admirabili uini in ecclesia bibendi nullo modo posint iterpretari, ut cũ euangelio consonet.

Quomodo admiratio, quam Petrus Martyr in scriptura de hoc sacramẽto requirebat, expressa est à propheta Esaia.

Quõ posset dare dominus carnẽ suam ad manducandum, & quibus, ubi ipse & qua ratione ostenderit.

ritus est, qui viuificat, caro nō prodest quicquā; & illud, verba quæ ego loquor, spiritus & vita sunt, quæ sunt tractatu superiore explicata, ne eadem sine necessitate repetantur. sed videamus, quomodo hunc locum Esaiæ, in monte hoc bibent in lętitia vinum, interpretatus est B. Cyrillus in commentarijs Prophetæ huius. διὰ δέ γε τοῦ οἴνου τὴν μυστικὴν εὐλογίαν ὑποδηλοῦν ἔοικε, καὶ τῆς ἀναιμάκτου θυσίας τὸν τρόπον ὃν ἐν ταῖς ἁγίαις ἐκκλησίαις ἀποπληροῦν εἰθίσμεθα, Interpretemur nos ad verbum, Per vinum, inquit, mysticā benedictionem & modum sacrificij incruēti, quod in sanctis Ecclesijs complere consueuimus, notare videtur. De eodem mysterio accepit Eusebius Cęsariensis lib. 1. De monstr. Euang. cap. vltimo. Huc pertinet, quod Leo cognomento Castrus in suis eruditissimis & acris ingenij ac valde Ecclesiasticis commentarijs in Esaiam gręcum 70. interpretum, & latinum S. Hieronymi nuper obseruauit, idem verbum Hebraicum Semarin, quod est in hoc loco prophetici sermonis pro conuiuio, esse in Exod. 12. pro festo agni Paschalis, vt sic etiā admoneremur, sermonē hic fieri de cōuiuio mystico, cuius agnus ille Paschalis typus fuerit, ita vt eadem vox sit in typo & in veritate typi. Explicans deinde idem Cyrillus quod sequitur, Vnguento vngentur in monte hoc, illud inquit, significat quo vngimur in baptismo, quodque est participationis spiritus sancti symbolum, sicut ait B. Ioannes, & vos vnctionem habetis à sancto. Sed videamus quod paulo post sequitur in Esaia quàm apte cum sacramento corporis & sanguinis Christi conueniat, Et præcipitabit, inquit, mortem in sempiternum, sic enim est in latina interpretatione ex Hebraico. apud 70. vero est, deuorauit mors præualens, vt intelligatur mors per mysterium resurrectionis victa & præcipitata, quæ prius omnes deuorauerat præualens. Et rursum, inquit, abstulit Deus lachrymam ab omni facie. quem locum cum explanat idē Cyrillus, ἐπὶ καιροῦ, inquit, σφόδρα καὶ ἀναγκαίως τῇ τοῦ μυστηρίου παραδόσει καὶ ὁ περὶ τῆς ἀναστάσεως εἰς κεκόμισται λόγος. id est, valde, inquit,

Obseruatio diligens ab alio facta in eodē verbo Hębraico significante festū agni paschalis & conuiuiū mysticum, de quo hoc loco propheta Esaias. declarat autē vsum eiusdē vocabuli in vtroq; agnū paschalem typū fuisse nostri cōuiuij mystici, id est, veri agni qui Christus est qui in sacramēto comeditur.

oppor-

opportune, & vt traditio huius sacramenti necessario postulabat, sermo de resurrectione introductus est. scilicet hoc dixit B. Cyrillus, quia hic locus maxime cum eo conuenit, quod dominus de hoc ipso sacramento in Euãgelio ait, Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eũ in nouissimo die. quæ quidem resurrectio quia difficilis videbatur ad credẽdum διὰ τὴν ἐν αὐτῇ μεγαλουργησίαν, vt ait idem Cyrillus, id est, propter magnificentiam operationis, subiungit Propheta, quia os domini locutum est. Vt ergo quod dominus dixit, Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die; ideo credimus, quia os domini locutum est; sic illud quod dixit, sumpto in manus pane, Hoc est corpus meum, similiter credimus quod os domini locutum est. hæretici ergo cum metonymiam in eo, quod os domini proprie locutum est, introducunt, perinde faciunt, vt si os domini locutum esse negent, & os suum pro ore domini audiri velint. Sed trãsferamus nos adhuc ad alium locũ eiusdem Prophetæ, sequentes nunc editionem vulgatam interpretationis latinæ ex Hebræo, nunc lxx. interpretes, quod tunc libentius facio, cum eorum interpretatio dilucidior est, & non raro idiomatis Hebraici quasi interpres.

De loco prophetico eiusdem Esaiæ ad nouum testamentum pertinente ex cap. 33. & quõ panis fidelis, qui in eo promittitur, corpus Christi sit in sacramento, & cur fidelis dicitur: & quare cibus & potus viuificus S. Eucharistiæ vocetur in scriptura panis, aqua, mel, lac: & quomodo hæc prophetia metonymiam hæreticorum redarguat, & conuincat, non habere eos Eucharistiam: & quomodo panis, & aqua fidelis, quæ hic promittuntur populo Christiano, non possint accipi de doctrina vllo modo: & quomodo qui nolunt videre hic, Christum vili specie panis velatum, non videbunt eum in gloria & decore suo in cęlo, iuxta prophetiã Esaiæ. item de capite 55. eiusdem prophetæ Esaiæ, quomodo in eo prophetet de corpore Christi in sacramẽto, cum inuitat ad emendum sine argento, & comedendum: & quomodo ipse idem Propheta hoc ex posuerit, cum subiungit, & disponam vobis testamentum æternum san-

et (David fidelis; & quomodo hoc intelligendum sit Paulo, & euangelio cum hoc loco collatis.

CAP. XXXII.

AD hæc ipsa igitur sacramēta veri cibi & veri potus, hoc est, corporis & sanguinis Christi pertinet quod ait idem Esaias cap. 33. prophetans enim de Ecclesia Christi, describensq; eius legitimum & verum habitatorem, quod Dauid etiam Psalmo 14. fecit, Qui ambulat, inquit, in iustitiis & loquitur veritatem, qui proijcit auaritiam ex calumnia, & excutit manus suas ab omni munere; qui obturat aures suas, ne audiat iudicium sanguinis; qui claudit oculos suos, ne videat malum, hic habitabit in excelsa spelunca petræ fortis. sic est enim apud LXX. qui excelsam speluncam vocant Ecclesiam, sicut in Euāgelio vocatur ciuitas supra montem posita. & dominus exprobrans Iudæis, qui in templo emebant, & vendebant, quod domum orationis fecissent spelūcam latronum, satis docuit debere quidem esse Ecclesiam speluncam, nō tamen latronum, sed ouium, vbi tutæ sint à lupis & furibus, quia fur non venit, nisi vt furetur, mactet & perdat. Huius excelsæ speluncæ fundamentum est petra fortis, quæ Christus est. Deinde sequitur. Panis ei dabitur, & aqua eius fidelis. panem dicit mysticum, id est, sanctam Eucharistiam, quæ iis, qui tales sunt in Ecclesia, quales Propheta descripsit, digne datur. Sic Iustinus Martyr contra Tryphonem intellexit, & exposuit; Sic etiam idem B. Cyrillus in cōment. huius Prophetæ interpretatur, inquiens, τοῖς γὰρ οἰκοῦσι τὴν ἐκκλησίαν ἄρτος ζωῆς δίδοται χριστός, id est, ijs qui habitant Ecclesiam, panis vitæ Christus tribuitur. Aquam vero fidelem interpretatur idem baptismum, quod stabiles, inquit, firmosq; faciat baptizatos. etsi fortasse magis cohærere videtur cum eo, quod dixit, Panis ei dabitur, vt sicut propter vim nutriendi & roborandi verum cibum, qui est Christi caro, vocauit panem, sic verum potum, qui est sanguis Christi, propter vim ζωογόνον id est, viuificā vocet

Locus Es. cap. 33. de sacramēto corporis & sanguinis collatus cum euangelio.

Vbi & quare Ecclesia in scriptura uocetur spelunca.

Quare sancta Eucharistia uocetur panis, & aqua, mel, & lac, & uinum.

cet aquam, vt aliàs alia ratione solet scriptura vocare lac propter vim augendi, mel propter vim καθαρτικὴν quæ inest in melle, id est, vim emundandi, vinum vero propter vim ἀναζωτικὴν, id est, faciendi reuiuiscere. Vnde idē B. Cyrillus interpretans illum locū Esaiæ cap. 49. non esurient,
„ neque sitient, Postquam, inquit, consecuti sumus miseri-
„ cordiam, habuimus cibum ψυχοφελῆ id est, vtilem animę.
„ Comedimus enim panem de cælo, & bibimus aquam vi-
„ uā, de qua dominus dixit Samaritanæ, Qui biberit ex hac
„ aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum. Aquam retulit hic Cyrillus ad sacramentum veri potus, fidelem vero dixit huiusmodi aquam quod sit incorruptibilis, & ipsa digne bibentibus tribuat vitam sine interitu & sempiternam, subaudiendum est, ὑπὸ κοινοῦ eadem fidelitas, id est, incorruptibilitas in pane, vt sit, panis fidelis ei dabitur, & aqua fidelis, quæ idem Esaias prophetans de resurrectione Christi appellat cap. 55. sancta Dauid fidelia, id est, corpus & sanguinem, non amplius ad corruptionē reuersura, vt Paulus in Actis Apost. cap. 13. interpretatus
„ est, ideoque aliàs dicit, Non dabis sanctum tuum videre
„ corruptionem. Dicant ergo Metonymici, quomodo hæc Prophetia eorum pani sacramentali cōuenit, si corruptibilis est? aut quomodo non erit corruptibilis, si natura panis est? Idem dicendum est de vino eorum sacramentali, quod vocant. cum enim aqua fidelis in hac prophetia potum verum & incorruptibilem significet, conuenienter
„ Euangelio, in quo dominus dixit, Qui bibit meum sangui
„ nem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in no
„ uissimo die, quomodo ipsi hanc prophetiam interpretabuntur, vt consonet Euangelio, qui neque cibum, neque potum fidelem, id est, incorruptibilem habent? Quòd si quis quod hic Esaias prophetice de pane fideli, & aqua item fideli dixit, contendat non de sacramento corporis & sanguinis, vt Cyrillus, & nos eum secuti, interpretati sumus, sed de doctrina & sermone, qui fidelis est, & in scriptura sancta fidelis dicitur, admonendus est iste, vt antecedentia

Eucharistia panis fidelis dicta.

Quomodo nomen panis fidelis in prophetia Esaiæ nō potest congruere pani sacramentali Metonymicorū ut congruit & uerbis hac nostræ.

Quòd hæretici Metonymici nō possunt prophetiam hanc de pane, & aqua fideli interpretari, ut cōsonet euāgelio.

Quomodo, & quare non possit accipi hoc loco panis, & aqua fidelis de doctrina, & sermone fidei.

cedentia consideratè perpendat: descripsit enim Propheta Esaias qualem esse oporteret, cui panis iste fidelis dandus esset, & aqua ista fidelis bibenda, ei scilicet, qui ambularet in iustitijs, loqueretur veritatem; auaritiam proijceret; non acciperet munera: qui aures & oculos à peccato contineret: denique qui esset membrum viuum corporis Christi, quod est Ecclesia. At verò tales vt efficiamur, doctrina prius adhibenda est, nec enim necesse est ad audiendum sermonem Dei fidelem, vt prius probi simus; immo
„ vt tales reddamur, verbum Dei audiendum est. quomodo
„ enim inquit, credent ei, quem non audierunt? Quomodo
„ autem audient sine prædicante? & paulo post. Ergo fides
„ ex auditu est; auditus autem per verbum Christi, conuenit igitur hic locus Prophetæ cũ eo; quod Apostolus ait,
„ Probet autem seipsum homo, vtrum ne talis sit, qualem propheticus sermo hic requirit. quod statim sequitur, mirifice quoque conuenit cum hoc sacramẽto, in quo Christus adest velatus: Regem, inquit, in decore suo videbunt
„ oculi eius oculos eius dicit, cui iste panis fidelis digne datur. quia quem nunc videt vili specie panis tectum, videbit postea in decore suo; id est; in propria specie gloriæ suæ. Metonymici vero nullam spem videndi Regem in decore suo habere possunt, quamdiu eum siue decore suo in vili & abiecta specie panis, & vini videre nolunt: neque possunt terram de longe cernere, id est, promissionẽ possessionis cælestis patriæ, sicut de illis Apostolus scripsit; Et hi omnes, inquit, iuxta fidem defuncti sunt, non acceptis
„ repromissionibus, sed à longe eas aspicientes, & salutan-
„ tes: non possunt, inquam, à longe aspicere gloriam regni cælestis, quamdiu nolunt accipere in Sion spirituali, quæ est Ecclesia Dei, panem fidelem, idest, incorruptibilem, qui est S. Eucharistia. Illud etiam quod sequitur, ad sacra
„ mentum corporis Christi maxime pertinet, & cor tuum,
„ inquit, meditabitur timorem. Cor eius dicit, cui hic cibus incorruptibilis, & potus item incorruptibilis, quem aquã fidelem vocauit, datur: hic est enim qui propter communionem

Quomodo Metonymici nõ possunt habere spem, uisuros se regem gloriæ in decore suo iuxta prophetiam Esaiæ, quamdiu nolunt eum uidere hic sub uili specie panis, & uini.

nionem cum timore probat seipsum, vt sicut Apostolus ait, sic de pane illo edat, & de calice bibat: qui enim mãducat, & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit nõ diiudicans corpus dñi. Hæc est meditatio timoris, quã Propheta dicit, eius, cui datur hic panis viuus, & fidelis, qui nõ sinit digne manducantẽ interire, quiq; in Ecclesia Dei est. Eis vero, qui nihil aliud ibi esse præter naturã panis cũ metonymia sua cõmentitia, quam somniant, profitentur, quę meditatio timoris ab illo pane suo afferri potest? Quo modo enim qui indigne illũ ipsum panem manducat, nõ diiudicat corpus dñi, si ibidem non adest corpus dni? Præterea quę deinceps sequuntur apud Esaiam. nec enim propositũ est mihi interpretationẽ Prophetæ continuare, nisi quantum satis esse videatur ad id quod agimus. Pergamus ergo ad caput 55. dixerat in extrema parte capitis
„ proxime superioris id est, 54. Hęreditas seruorum domi-
„ ni, & iustitia illorum apud me. Hæreditatem salutis æternæ, gloriæque cælestis significat, quam illi quidem accipient, quos dominus iustificauerit: hos enim & glorifica-
„ bit. subiungit deinde proximo capite, id est 55. omnes sitientes venite ad aquam, eos scilicet qui sitiunt iustitiam, vt est in Euangelio Matthæi. id est, qui ardenter desiderãt iustificari, vocat ad accipiendum spiritum S. cuius participatio est iustitia; & quem scriptura sacra, vt dominus in Euangelio Ioannis interpretatus est, aquam appellat in ænigmate propter vim viuificam. Deinde quia gratia saluati sumus per fidem non ex nobis, Dei enim est donum, & quia gratis iustificatis conuenit verus cibus ex carne Christi, verusque potus sanguinis eius, idcirco subiungit,
„ Et qui non habetis argentum, properate, emite & come-
„ dite, Venite, emite absque argento & pretio vinum & adi-
„ pem. sic enim est apud 70. quoniam prophetans de gratia noui testamenti, vocauit ad explendam sitim, & famẽ gratis, imagines vero & ęnigmata veteris testamenti ad spiritualem anagogem spectant; probabile est, vt de vero potu, qui est sanguis Christi iustificantis; & de vero item

cibo, qui est caro eiusdem viuifica, sit sermo propheticus.
Hunc igitur locũ cũ B. Cyrillus in cõmentarijs Esaię inter
» pretatur, sic ait, οὐκ ἀπίθανον δὲ καὶ χριστοῦ μυστήριον ὑπαινίτ-
» τεσθαι λέγειν τὸ προκειμένον· εἶχεν τὴν δύναμιν. οἱ γάρ τοι πίνον-
» τες τὸ ὕδωρ τὸ ζῶν, τουτέστι διὰ τοῦ πνεύματος καταπλουτήσαντες χά-
» ριν διὰ τοῦ μεταχεῖν αὐτοῦ, καὶ ἀγοράσαντες τοῦτο διὰ τῆς πίστεως, ἐν με-
» θέξει γενήσονται καὶ οἴνου, καὶ στέατος, τουτέστι, ἁγίου σώματος τοῦ χριστοῦ.
» Reddamus latine. Non est inquit, alienũ à probabilitate,
» si dicatur, eam vim habere propositos versus, vt significe-
» tur in ęnigmate mysterium Christi. Qui enim biberunt a-
» quam viuam, id est, qui gratiam spiritus S. per participa-
» tionem eius large sibi compararunt; & aquam istam fidei
» pretio emerunt, vinum & adipem, id est, sanctũ corpus &
» sanguinem Christi participabunt. quod 70. hoc loco interpretati sunt adipem, B. Hieronymus vertit lac, quod in ęnigmate significat propter vim augendi, quæ inest in lacte, idem sacramentum S. Eucharistiæ, quę facit crescere in salutẽ, sicut B. Petrus dixit. ipse enim lac etiã hoc ipsum sacramentum, secutus scripturam, vocauit, vt superius loco suo satis, vt opinor, docuimus. Cũ propheticus sermo inuitat ad emendum vinũ & adipem sine argẽto, & absq; pretio vllo, satis aperte significat Propheta, non se de genere vini loqui, quod pretio aliquo æstimari possit, sed qđ nullo penitus. panis vero Metonymicus hæreticorũ, quãuis contẽdant esse sacramentalem, cum natura sua nihil sit, nisi panis, erit natura sua pretio ęstimabilis & argento; & quamuis alia commutatione poterit emi, ex quo fit vt hic propheticus sermo non illos vocet & inuitet ad hanc gratiam noui testamenti, de qua hoc loco Esaias prophetat, inquiens, Venite, emite absque argento & absque vlla commutatione. Nos vero gratis per fidem, vt ait Cyrillus, quæ Dei donum est, emimus, quia credimus, post consecrationem non iam panem esse ex frumento terreno, sed corpus Christi, sicut ipse sumpto in manus pane, dixit, & factum est, Hoc est corpus meum; neque vinum, sed sanguinem, sicut ipse etiam dixit, Hic est enim sanguis meus noui

Quomodo beatus Petrus prophetiam Esaiæ secutus S. Eucharistiam uocauit lac.

Quid propheta significarit, dum inuitat ad emẽdum uinum, & adipem uel lac sine pretio, qđ in panem sacramentalẽ Metonymicorũ, quadrare nõ potest, ex quo sequatur non inuitari eos ad gratiam noui testamenti de quo prophetat.

ui teſtamenti. de huiuſmodi pretio fidei,quo opus nobis erat, prius admonuit nos dominus,cum in Euãgelio Ioãnis, dũ vellet de ſacramento S.Euchariſtię diſſerere,Amẽ, amen, inquit, dico vobis, Qui credit in me, habet vitam ęternam,Ego ſum panis vitæ,& quæ ſequuntur.Ergo quia ad verum cibum & cęleſtem noui teſtamenti, qui eſt ipſa
„ caro Chriſti,vocat & inuitat dominus per Prophetam.val
„ de apposite ſubiungit, vt eſt apud 70. Et diſponam vobis teſtamentum ęternum, ſancta Dauid fidelia. nouũ enim teſtamentum dicit, cuius ſanguinẽ dedit nobis dominus ad bibendum ſub ſpecie vini, ſicut in Euãgelio Marci ait, Hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur;& ſancta Dauid vocat corpus & ſanguinem Chriſti,ſicut Eccleſia in orationibus ſacerdotalibus myſtici ſacrificij frequenter vocat; fidelia vero adiunxit,pro eo, quod eſt, non reuerſura ad corruptionem; ſicut Paulus Apoſtolus, vt paulo ante dixi, in Actis Apoſtolorũ interpretatus eſt,cum Chriſti reſurrectionẽ teſtimonio Prophetæ probat. quod valde opportune in hoc loco Propheta poſuit;Quoniam niſi Chriſtus à mortuis ſuſcitandus fuiſſet, corpus ſuum & ſanguinem diſcipulis in ſacramento non dediſſet.dedit enim corpus in ſacramento impaſſibiliter, qualiter reſurrexit.Itaq; vt corpus & ſanguinẽ Chriſti,quæ hæretici in ſacramento negant,nobis perpetuo remanſura toto tempore noui & ęterni teſtamenti intelligeremus, neq; de corpore Chriſti extra ſacramentũ,quod breui tempore cũ diſcipulis fuit,acciperemus,dixit prius, diſponam vobis teſtamentum æternum, adiungens continuo,ſancta Dauid fidelia.Quomodo enim manet nobiſcum teſtamentum æternum,quod nobis diſponit dominus,ſi ſanguis quo dedicatũ eſt, qui dicitur & eſt ſanguis noui teſtamenti,nobiſcum nõ manet?vt enim vetus teſtamentum quandiu fuit apud Hębreos, tandiu fuit in eorũ ſynagoga ſanguis vitulorum & hircorum, quo dedicatũ fuit, ſic quandiu durat vſque ad conſummationem ſęculi nouum teſtamentum, eſt in Eccleſia ſanguis Chriſti. Qua

Quare prius dixerit propheta,diſponam uobis teſtamẽtum ęternum, & deinde ſubiũxerit ſancta Dauid fidelia,quę carnẽ & ſanguinem Chriſti non reuerſura ad corruptionẽ ſignificant.

Quomodo qui corpus & ſanguinem à ſacramẽto excludũt, nouum teſtamẽtum ab eccleſia item excludũt.

re qui corpus & sanguinem Christi à sacramēto excludūt & extra, cum in cælo includunt, sciāt se testamētū nouum ab Ecclesia simul excludere. Sed hactenus de Esaiæ locis.

De loco Oseæ prophetæ ex cap. 14. de eodem sacramento corporis Christi, cum prophetans de nouo testamento, & de bonis eius, promittit victuros siue roborandos esse in eo fideles frumento; & quales esse oporteat, secundum Prophetam, qui hoc pane mystico roborandi sunt: & quomodo hæc in panem sacramentalem hæreticorum conuenire nequeant: & de loco Greg. Nysseni de corpore Christi in sacramento: & quomodo admiratio Oseæ prophetæ, cum ait, quis sapiens, & intelliget hæc? ad illud de frumento, quo dixerat victuros esse, & roborandos fideles in nouo testamento, retulerit.

CAP. XXXIII.

Conferamus deinceps locū Oseæ prophetę cap. 14. prophetans enim de gratia noui testamenti, Ero, inquit, dominus, quasi ros Israel, scilicet ad aspergendum sicut Apostolus ait, corda à conscientia mala eorum qui ad fidem Christi vocati pœnitentiam agent, & baptizabuntur. Sequitur. Germinabunt sicut liliū, id est, erunt bonus odor in Christo propter virtutes, & vacabunt à solicitudine huius seculi. hoc enim significat in ęnigmate, germinare siue florere sicut liliū, quod nullo labore arationis nullaq; solicitudine, neque studio agriculturæ, mira pulchritudine & suauitate induitur. Et erumpet radix eius vt libani, id est, thuris. Hoc est, Erunt ita firmi & stabiles in fide cum humilitate, vt est arbor libani humilis, & quæ alte radices agit; ita vt non agitentur omni vento doctrinę, permanētes, sicut Apostolus ad Colossenses scripsit, fundati in fide, & stabiles, & immobiles à spe Euangelii. Sequitur apud 70. Ibūt rami eius, quod dilatationē Ecclesiæ significat. Erit quasi oliua gloria eius, & odor eius, vt libani, id est, thuris. Semper, inquit, virescent fructibus virtutum suauissimis & Deo gratissimis. conuertentur & sedebūt sub vmbra eius. Designat sedere in vmbra, tum conuersionem ad Deum tanquam ad perfugium &

Locus propheticus Oseę de bonis noui testamēti: in quibus summum ponit roborari frumēto, mystico scilicet.

requiem laborantium, tum constantiam & securitatē, ac humilitatem conuersorum. Subiungit deinde Propheta,
„ viuent frumēto, siue vt est, apud 70. roborabuntur frumen
„ to, & germinabūt quasi vinea, ne de eo genere frumēti acciperemus, quod studio agriculturæ & labore operis rustici nascitur. dixerat prius, germinaturos esse sicut lilium, id est, sine agricultura. Prophetat igitur de pane mystico Ecclesię Dei; qui dat vitā mundo, quod est robur eius admirabile, sicut ait Propheta Esaias cap. 3. Ecce dn̄s Sabaoth auferet à Iudæa & Hierusalem validū, & fortem, omne robur panis & omne robur aquæ. quem locū cum explanat B. Cy
„ rillus, Sermo, inquit, est mysticus. nos enim qui per fidem
„ vocati sumus ad Christum, panem habemus cæleste, hoc
„ est Christum, id est corpus eius. Si quis vero roget quod
„ sit robur eius, respondemus viuificum esse. dat enim vitā mūdo. Hactenus Cyrillus. Hoc ergo mysticum frumentū, id est, corpus Christi sub specie panis, qui digne manducare voluerint, tales esse debent, quales Oseas propheta hic descripsit, vt sint instar lilij, id est, vt careant solicitudine huius sęculi eatenus saltem, vt sicut dominus in Euangelio monuit, non grauentur corda eorū curis vitæ huius, item vt sint humiles, & per fidem in Christo fundati, & stabiles, tum omni fructu virtutum, & odore orationis ornati, omnique spe auxilij in Dei prouidentiam reiecta. Dicant ergo Metonymici, cum propheta Oseas dicit de istis, quorum dona & virtutes descripsit, viuent frumento, accipiunt ne de vita corporali? Non erunt tam fatui, vt concedant, quasi melior sit vita corporis ex natura, quàm vita animæ ex gratia Dei. vitā igitur animæ promittit Propheta ex pane vitæ. Quomodo enim fieri potest vt panis, in quo non sit vita ipsa, sed natura tantum panis ex frumento siue tritico, vitam animæ prębeat? aut quomodo nisi sit sub specie panis ex frumento caro Christi viuifica, verū erit, quod ait Propheta, frumento viuent? Sicut enim, vt corpus pane viuat, necesse est, vt panis vim habeat insitā alendi, & viuificandi corpus; sic vt anima pane viuat, necesse

Quomodo propheta Oseas docuerit, quod dixit, uiuent frumento, de corpore Christi qđ in sacramento comeditur, necessario intelligendum esse.

Quomodo in panem Metonymicorum non possit quadrare quod Oseas prophetat frumento roborandos esse & eo uicturos spiritualiter in nouo testamento.

Quòd panis in quo non est uita ipsa uitam animę præbere non potest.

cesse etiam est, vt panis in se habeat vim animam viuificā di, quod fieri non potest aliter, nisi natura, id est, substantia eiusmodi panis sit vita ipsa, quę est diuinitas corporis Christi. Deinde, si panis sacramentalis hæreticorum, natura panis tātum est, ergo satu & aratione vt fiat, opus est: non erunt igitur sicut lilia, de quibus ait, considerate lilia agri, quomodo crescunt, non laborant neque nent. noster vero panis mysticus, quia non est natura siue substantia panis, non indiget aratore neque satore, neq; pistore, neque mola, neque pistrino, sed tantum verbo Dei, quo fit per ministerium presbyteri mutatio naturæ panis in corpus Christi viuum & viuificum. Sed iam ad intelligendum absque vlla dubitatione esse hanc prophetiam de magno mysterio siue sacramento corporis domini, satis nos 70. interpretatio excitat, quos diuino & prophetico spiritu antiqui Patres interpretatos esse vno cōsensu affirmant; sic enim in eis legi, testatur B. Hieronymus. frumēto inebriabuntur, pro quo nunc recte quoque legitur, frumento roborabuntur, vt cum hoc, quod primo aspectu absonum apparet, legeremus, altius penetrantes ad intelligentiā mysterij excitaremur. docte enim & solerter Origenes 4. libro περὶ ἀρχῶν notauit prouidentia Dei factum esse, vt essent in lege & prophetis, & vetere historia quædā ἀδύνατα, idest, impossibilia, ne si ipsius legis siue Prophetię atque historiæ vtilitas, & consequentia αὐτόθεν, id est, ex se appareret, continuo fortassis existimaremus nihil aliud esse ibi intelligendum pręter id, quod in promptu esset; atque ita vel à dogmatibus recederemus, vel nihil altius, & diuinius non excitati intelligeremus. Quis ergo ignorat non posse panem inebriare? quare cum audimus hic ex Propheta inebriari frumento, anagogice erudimur de mystico pane, qui in eisdem mysterijs cum mystico vino consecratur; id est, erudimur de corpore Christi sub specie panis, in quo corpore est sanguis, qui idem est sub specie vini. Admonemur item de mystica, & anagogica ebrietate, quam hæc mysteria in eis, qui digne ea parti-

Quomodo sacramentum Eucharistię, quod se dicūt habere Metonymici, satu, & aratione, & mola pistrini fit, non autem uerbo dei.

Quare 70. interpretes pro eo quod est in Hebraico frumento roborabūtur, uerterint, frumento inebriabuntur, & quid Origenes admonuerit obseruādum esse in quibusdā, quę scriptura sancta posuit impossibilia.

participant, efficiunt, de qua non semel a nobis in hoc tractatu explicatum est. Sequitur deinceps, memoriale eius, sicut vinum libani, id est thuris, odoratum inquam, Sic enim B. Cyrillus in commentarijs huius Prophetæ accepit, memoriale ergo eius sicut vinum thuris dixit, vt anagogice, sicut dixi, intelligeremus de vino mystico prophetari, quod in commemorationem passionis Christi datum est, & in odorem suauitatis instar thuris Deo offertur; quodque virtutes suas, id est, diuinas eos redolere facit, qui illud bibunt digne, ait enim B. Gregorius Nyssenus in Cōment. in Ecclesiastem cap. 3. Quale est natura sua quod participatur, in tale necesse est commutetur, qui participat: vt os bene olet eius qui aliquid odorati aromatis ore accepit; ac rursus male, qui allium, aut quid aliud tetri odoris. Igitur, quia amor, inquit, naturaliter, cum eo, quod amatur, commiscet, id efficimur, quod amando eligimus, vel bonus odor Christi, vel malus. qui enim quod bonum est, amat, ipse quoque bonus erit. bonum enim, quod in ipso est, in seipsum illum transfert, qui illud bonum accipit. Deinde subiungit Gregorius Nyssenus, διὰ τοῦτο ἐδώδιμον ἡμῖν ἑαυτὸν προτίθησιν ὁ ἀεὶ ὤν, ἵνα ἀναλαβόντες αὐτὸν ἐν αὐτοῖς, ἐκεῖνο γινώμεθα, ὅπερ ἐκεῖνός ἐστι. φησὶ γὰρ, ὅτι ἡ σάρξ μου ἀληθῶς ἐστι βρῶσις, καὶ τὸ αἷμα μου ἀληθῶς ἐστι πόσις, ὁ οὖν ταύτην ἀγαπῶν τὴν σάρκα οὐκ ἔστι φίλος τῆς ἰδίας σαρκός. καὶ ὁ πρὸς τοῦτο τὸ αἷμα διατεθεὶς τοῦ αἰσθητοῦ αἵματος καθαρεύει, ἡ γὰρ τοῦ λόγου σάρξ, καὶ τὸ τῇ σαρκὶ ταύτῃ ἐγκείμενον αἷμα οὐ μίαν τινὰ χάριν ἔχει, ἀλλὰ ἡδὺ γίνεται τοῖς γευομένοις, ὀρεκτὸν τοῖς ἐπιθυμοῦσι, καὶ τοῖς ἀγαπῶσιν ἐράσμιον. Interpretemur latine. Ob hanc causam, inquit, esculentum se nobis proponit is, qui semper est; vt accipientes illum in nobis, illud efficiamur, quod ipse est. Ait enim caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Quare qui hanc carnem amat, non est carnis suæ amicus: & qui hunc sanguinem, à sanguine sub sensum cadente purus est. Siquidem caro verbi & sanguis, qui in hac carne inest, non vnam aliquam gratiam habet

Locus Gregorij Nisseni de sacramento S. Eucharistiæ, qui nullo modo accommodari potest ad metonymiam hæreticorum.

„ bet: quin potius dulcis efficitur gustantibus, appetendus „ capientibus, & diligentibus amabilis. Hactenus Gregorius. Si panis est figura corporis Christi, non debuit dicere Gregorius Nyssenus, auctor alioqui ingenio & doctrina excellenti, esculentum se proponit Dominus, sed figuram corporis sui esculentam proponit. disciplina enim Metonymicorum est, non ore corporis corpus Christi, sed panis substantiam comedi. prosequamur Oseæ locum, & videamus quàm recte conueniant, quæ sequuntur cum su„ perioribus, Ephraim, inquit, quid ipsi est, & idolis? sic „ enim est apud LXX. Præcipit Propheta, vt caueant, qui hostiam istam mysticam edunt, ne vllam communionē, aut societatem cū dæmonibus habeant, quod Paulus quoque eodem spiritu de eisdem mysterijs scribens, in epist. prio„ re ad Corinthios, præcipit, inquiens, Nolo autem vos so„ cios fieri dæmoniorum. non potestis calicem domini bi„ bere & dęmoniorum. Prophetauit itaque Oseas non esse amplius immolaturos hostias idolis, neque dæmonijs vinum libaturos eos, quibus frumentum istud mysticū comedendum esset. Quod si adhuc contendant Metonymici pro sua contumacia, illud Propheticum, frumento viuent, & memoriale eius, sicut vinum libani, de figura corporis & sanguinis Christi accipiendū esse, figuram enim sufficere, & eam datam esse ad celebrandam memoriam „ mortis Christi, sicut ipse dixit, Hoc facite in meam com„ memorationem; & rursus, Hoc facite, quotiescunque bibe„ titis in meam commemorationem, si inquam ita intelligendum esse putant, quid est, quod Propheta tanquā de magno quopiam sacramento prophetans, quod Dei sciētiam & reuelationem requireret, quodque nisi credatur, „ intelligi non possit, subiungit, quis sapiens & intelliget ista? intelligens & sciet hęc? Si panis metonymicus hæreticorum panis tantum est, & vinum non nisi vinum, quid est in eis admirabile, & quod omnem naturam superet, vt sine sapientia diuina non possit intelligi? An esse panem signum tantū corporis Christi, aut vinum sanguinis diffi-

Quàm bene cō uenerit prophetia Oseę in qua pręcipitur, ne qui participes fiūt sacrę hostię, participes fiant idolorum, cum eo, quod apost. Paulus 1. cor. c. 9. scribit de fugiēda participatione idolorum ab ijs, qui communionis corporis Christi participes fiunt.

Locus propheticus, qui plane figuram Metonymicorū redarguit, ita ut elabi nō possint.

Quomodo in sacramento, qđ Metonymici sa-

est ad intelligendum. Minime. Quæ enim natura signa sunt, ut notitiæ signa rerum, quarum similitudines sunt, sicut eædem notitiæ natura easdem res apud omnes significant, sic omnes naturaliter easdem res intelligimus. quæ autem θέσει, id est, positione signa sunt rerum, vt voces, & scripturæ; vt positione significant nobis res, ad quas significãdas impositæ sunt, sic nos vt impositionem accepimus, sic ex scripturis voces, & ex vocibus res, sine vlla difficultate communi consuetudine intelligimus. sin autem ita institutum & positum sit, vt res aliæ alias res significent solum, erunt tunc vice vocum siue litterarũ eiusmodi res; sicut apud Metonymicos panis & vinum signa tantum sunt corporis & sanguinis domini, vt ipsis placet. Sed quale est hoc vt conueniat huc illa prophetica admiratio, Quis sapiens & intelliget ista? intelligens, & sciet hęc? scio dicturos esse hic, non in eo positam esse sapientiam istam summam & intelligentiæ difficultatem, quòd ista sint signa tantum; sed quòd istis signis corporis & sanguinis Christi adhibitis ori corporis, verum corpus Christi & verus sanguis eius exhibentur per fidei efficaciam extra panem ori spiritus adhibita. Hæc enim est istorum κενοφωνία profana & à Satana inuenta, quæ verbo, quod os domini locutum est, tota plane redarguitur. non enim dixit, nisi manducaueritis signum siue figuram corporis & sanguinis filii hominis, non habebitis vitam in vobis; sed, nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis. neque dixit, qui manducat signũ vel figuram corporis mei, & ipse viuet propter me, sed, qui manducat me, & ipse viuet propter me. se enim, vt paulo ante aiebat Gregor. Nyssenus proposuit ἐδώδιμον, nos dicamus more nostro, comedendum. Quod ergo ait propheta Oseas, quis sapiens, & intelliget ista? intelligens, & sciet hæc? in frumentum illud mysticum, de quo prophetabat Oseas, quo homines spiritualiter viuunt, & in memoriale illud sicut vinum libani apte & proprie conuenit. credere enim esse sub specie panis verum corpus Christi, quod à

ciunt, nihil sit admirabile, neque quod naturæ leges superet ac proinde non quadret in illud interrogatio admiranis, Quis sapiens, & intelliget ista?

De signis natura, & signis positione.

Quomodo apud Metonymicos panis, & uinum quæ ipsi uocant sacramentalia, uice ut est, siue litterarum sunt signa corporis, & sanguinis domini.

Quomodo profana inanitas uerborum disciplinę Caluini uerbo, quod os domini locutũ est, plane redarguatur.

Quomodo quod propheta Oseas cum admiratione quęrit, quis sapiens, & intelliget ista? ad il-

lud frumentum mysticum refertur, quo homines spiritualiter uiuunt, de quo paulo ante prophetabat.

nobis comeditur, & vitam præbet animę, & comedendo efficimur in sacramento vnum corpus cum Christo, & inter nos. credere item sub specie vini esse verum sanguinem, qui à nobis in memoriale mortis eius bibitur; hoc, inquam, credere, vere sapientis est, & diuinæ intelligentis; sicut qui non credit, quod os domini locutum est, vere insipiēs est. Mirabiliter congruit cum hoc prophetico loco quod Apostol. in epist. ad Ephes. scribit de hoc

Locus Pauli ex epis. ad Eph. collatus cum loco Oseę.

„ mysterio cap. 3. quoniam secundum reuelationē, inquit, „ notum mihi factum est sacramentum, sicut supra scripsi „ in breui, prout potestis legentes intelligere sapientiam „ meam in mysterio Christi, quod alijs generationibus nō „ est agnitum filijs hominum, sicut nunc reuelatum est san„ ctis Apostolis & Prophetis in spiritu; gentes esse cohære„ des & concorporales, & comparticipes promissionis in „ Christo per Euangelium. Ad hanc ergo scientiam mysterij Christi, de qua scientia dit nunc Propheta, Quis sapiens & intelliget ista? pertinet esse nos factos concorporales Christi, quod quidem, vt antea testimonio etiam B. Cyrilli confirmauimus, factum est per magnum sacramentum sacræ communionis, de quo sacramento dominus dixit, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo. sic enim efficimur cōcorpores, id est, vna caro & vnus spiritus.

De loco Malachię, in omni loco offertur nomini meo sacrificium mundū, quomodo quod ibidem prophetauit glorificandum esse ab ortu solis vsque ad occasum nomen Dei, in hoc sacrificio impleatur: & quomodo Euangelio Ioannis mirifice hoc consonet: & quæ sint illa quæ in sacramento S. Eucharistiæ testificamur de gloria Dei: & de duplici glorificatione Christi secundum Euangelium in passione, & in S. Eucharistia.

CAP. XXXIIII.

De loco insigni Malachię de sacrificio sanctæ Eucharistiæ.

INfinitum est, si omnes scripturæ sanctæ de S. Eucharistia locos persequi velim. Ille tamen insignis & illustris locus Malachiæ vel propter eam causam non est prætereundus,

cundus, quòd cum non ita pridem Tridentina Synodus de 300. ferè Episcoporum sententia de sacrificio & Eucharistiæ, cum de ea decretum faceret, accepit & accipiendū esse iudicauit, [a] Clementem Romanum, [b] Iustinū martyrem, [c] Irenæum & alios Patres secuta. Sed excutiamus nos more nostro locum, & vt ratio interpretandi nobis proposita postulat, cum Euangelio conferamus, vt cum hoc fecerimus, postea ad locum ipsum tanquam in iudicium vocatos, reos Metonymicos peragamus. Et sacrificium, inquit, non suscipiam de manibus vestris, quia ab ortu Solis vsque ad occasum nomen meum glorificatum est in gētibus; abrogationem veterum sacrificiorum prædicit Propheta propter noui sacrificij sanctionem. Declarat deinde qua ratione glorificatum sit nomen suum, cum subiungit, Et in omni loco, id est, quia in omni loco (frequenter enim in scriptura sancta coniunctio (&) causam denotat) thymiama offertur nomini meo, & sacrificium mundum; quia magnum nomen meum in gentibus dicit dominus omnipotens. Diuinè consonat hic locus Euangelio Ioannis, vbi egresso Iuda, continuò post acceptam bucellam dixit Iesus, Nunc clarificatus, siue glorificatus est filius hominis; & Deus clarificatus est in eo. hoc enim dixit propter mysterium gloriosum corporis & sanguinis sui, quod tunc mutato pane & vino in ea, tanquā omnipotens dedit: quòd ab vniuersa Ecclesia Deo ad gloriam & cultum eius offerendum esset. Sed quærat aliquis, quomodo per hoc mysterium sanctæ Eucharistiæ nomen Dei in cunctis gentibus glorificetur? quia scilicet gentes, quę Deum ignorabant, & dæmonia in idolis suis colebant, & quæ à Deo facta sunt diis falsis quasi auctoribus assignabant, ad Deum per illuminationem Euangelij conuersæ, cultum Deo patri per Iesum Christū in hoc sacrosancto sacrificio adhibent, eundemque Iesum Christum auctorem omnium, quę facta sunt, ęque vt Deum patrem confitentur. ipse enim, vt Magnetes vetus auctor in superiore tractatu aiebat, nisi panis creatura sua esset, im-

a lib. 8. Constit. Apost.
b Contra Tryphonem.
c Lib. 4. contra hereses.

Quomodo nomen dei per mysterium S. Eucharistię glorificetur in uniuerso mundo.

Quod nisi panis creatura dei esset, nunquam vere dicere potuisset, hoc est corpus meum.

mo & terra ipsa, vnde primum panis extitit, nunquam vere dicere potuisset, sumpto in manus pane, Hoc est corpus meum, & sumpto calice, Hic est sanguis meus. Deinde in hoc sacrificio profitentur datum nobis esse Iesum Christum à Deo patre, vt pro nobis mortem pateretur, nobisque relinqueret exemplum, vt sequeremur vestigia eius; qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius; ad hoc enim vt ait B. Petrus, vocati sumus: & ipse idem dominus Iesus, qui factus est nostra Eucharistia, & sacrificium mundum, Hoc, inquit, est corpus meum, quod pro vobis datur, Hoc facite in meam commemorationē: tum etiam cum hic cibus cęlestis sit vita ipsa, qui carnem viuificam comedunt, futuram corporum immortalitatē, vitamque sempiternam plane testificātur. Vnde B. Ignatius martyr. in epist. ad Ephesios, pharmacum immortalitatis, & antidotum non moriendi sanctam Eucharistiam esse dicit. sic filius hominus clarificatus est, & Deus clarificatus est in eo, vt idem dominus Iesus dixit intuens in suam Eucharistiam, de gloria enim qua per passionem, quę iam instabat, sicut Apostolus ait, coronatus est, statim subiunxit in futuro, & Deus clarificabit eum in semetipso, & continuo clarificabit eum. Hanc etiam gloriā passionis eius, quam pro impijs & peccatoribus sola misericordia & charitate flexus, sustinuit, in hoc sacrificio mundo, prædicamus, sicut Apostolus à Domino IESV accepit, Quotiescunque enim inquit manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem domini annunciabitis, donec veniat. Hæc igitur est gloria nominis Dei, quæ ex sacrificio sanctæ Eucharistiæ existit, de qua per Prophetam prædixit, abrogata lege vetere de sacrificijs, inquiens, non suscipiam sacrificium de manibus vestris; quia ab ortu Solis vsque ad occasum glorificatum est nomen meum in gentibus: nomen filij vocat nomen suum, quia eadem & vna est vtriusque potestas & natura. Quare sicut filius hominis glorificatus est, & Deus glorificatus est in filio, sic in prophetia Malachiæ dixit

Quę sint, quę in sacramento sanctę Eucharistiæ profitemur, & testificamur, unde dei gloriam celebramus.

De duplici glorificatione Christi per passionē, & per Eucharistiam.

Quod nomē suum uocet Pater, cum ait, nomen meum glorificatum est.

dixit Deus Pater, nomen meum glorificatum est in gentibus, id est, filius meus glorificatus, & ego glorificatus sum in eo, quia nomini meo offertur sacrificium mundum, quod est ipse filius, qui ait, Hoc est corpus meum. Sed adhibeamus grauissimam martyris Irenæi explanationẽ huius loci prophetici, vt quæ hactenus diximus eodem pertinentia, maiorem habeat auctoritatem, si tantum ac tam grauem & antiquum auctorem secuti videamur. is ergo libro 4. contra hæreses quasi in extrema parte capitis 32. de sancta Eucharistia loquens, Sed & suis, inquit, discipulis dans consilium primitias Deo offerre, ex suis creaturis nõ quasi indigenti, sed vt ipsi nec infructuosi, nec ingrati sint, eum qui ex creatura panis est, accepit, & gratias egit dicens, Hoc est corpus meum; & calicem similiter, qui est ex ea creatura, quę est secundum nos, suum sanguinem confessus est: & noui testamenti nouam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in vniuerso mundo offert Deo, ei qui alimenta nobis pręstat primitias suorum munerum in nouo testamento; de quo in 12. Prophetis Malachias sic præsignificauit, nõ est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens; & sacrificium non accipiam de manibus vestris, quoniam ab ortu Solis vsq; ad occasum glorificatum est nomen meum in gentibus dicit Dominus omnipotens; manifestissime significans per hæc, quoniam prior quidem populus cessauit offerre Deo: omni autem loco sacrificium offertur ei, & hoc purum; nomẽ autem eius glorificatur in gentibus. Exponit deinceps, vt dicebam, quid sit glorificari nomẽ eius in gentibus, inquiens. Quod est autem aliud nomẽ, quod in gẽtibus glorificatur, quã quod est dñi, per quẽ glorificatur pater & glorificatur homo? Et quoniã proprij filij eius, & ab eo factus est homo, suũ illud vocat. Quemadmodũ si quis Rex ipse filij sui pingat imaginẽ, iuste suã illã dicit imaginem, secundum vtrunque, & quoniam ipse pingens, id ad salutem dedit hominum. Quoniam ergo nomen filij proprium patris est, & in Deo omnipotente

Interpretatio Irenæi in loco prophetico Malachiæ de sacrificio mystico.

Explanatio grauissima Irenęi in locum Malachiæ de glorificatione nominis dei per oblationẽ S. Eucharistiæ in vniuerso mundo.

" per Iesum Christum offert Ecclesia, bene ait secundum
" vtraque & in omni loco thymiama offertur nomini meo
" & sacrificium purum. Hactenus Irenæus. En quare ab ortu Solis vsque ad occasum glorificatum est nomen Dei, in gentibus; quia scilicet in Deo patre omnipotente per Iesum Christum offert Ecclesia, vbique nomini eius hostiam sanctæ Eucharistiæ. Quomodo vero in sancta Eucharistia glorificatum sit, & semper glorificetur, exponit idem Irenæus paulo post, vt nos paulo ante, eundem Irenæum secuti, exposuimus. Redarguens enim sectatores disciplinæ Valentini, qui alium demiurgum præter Deum
" patrem & Christum introducebant, Quomodo, inquit,
" constabit eis, panem, in quo gratiæ actę sint, (id est, qui
" factus est Eucharistia) corpus esse domini sui, & calicem
" sanguinis eius, si non ipsum fabricatoris mundi filium di-
" cant? id est verbum eius, per quod lignum fructificat, de-
" fluunt fontes, dat primũ quidem herbam, post deinde spi-
" cã, deinde plenum triticum in spica. Hactenus Irenęus. Si ergo nõ potest Valentinus tueri cõstanter, esse Eucharistiam corpus domini, nisi concedat panem esse creaturã eius, ex quo sequitur, eum esse fabricatorem mundi, & Dei fabricatoris mundi filium, consequens rursus est, si offeramus Deo panẽ, qui est creatura eius, accepta benedictione mystica corpus domini fieri, ut fit, sicut ipse dixit sumpto in manus pane creatura sua, hoc est corpus meũ. Vides Metonymice, quemadmodum neque Valentinus inter tot monstra fabularum, quas fingebat, nunquam negauit esse corpus domini in sancta Eucharistia? Inde igitur Irenęus Valentinum coarguit, qui Christum negabat esse demiurgum, id est, mundi opificem, cũ alioqui cõcederet, mystica benedictione panem in corpus suum, & calicem in sanguinem suum mutare, cum diceret, Hoc est corpus meum, Hic est calix sanguinis mei; hæc enim facere non posset, nisi panis esset creatura eius, & terra ipsa, quæ per eum è se fundit primum quidem herbam, deinde spicam, postea plenum triticũ in spica. ex eo enim fit

Quomodo Valentinus inter monstra fabularum suarum nũquã negauit corpus domini in sancta Eucharistia.

fit panis, vnde exiſtit ſancta Euchariſtia. Inde etiam redarguit eiuſdem Valentini hæreſim de carne non reſurgente. huic enim hęreſi ſancta Euchariſtia repugnat. Quo
„ modo enim, inquit, Irenæus, rurſus dicunt carnem in cor
„ ruptionem deuenire, & non percipere vitam, quæ a cor-
„ pore domini & ſanguine alitur? Ergo aut ſententiam mu
„ tent; aut abſtineant ab offerendo, quæ prædicta ſunt. De
„ inde ſubiungit. Noſtra autem ſententia (de Chriſto ſcili-
„ licet omnium creaturarum auctore, & de reſurrectione
„ corporum) conſonans, inquit, eſt Euchariſtiæ, & Eucha-
„ riſtia rurſus confirmat ſententiam noſtram. Offerimus
„ enim ei, quę ſunt eius, congruenter communionē & vni-
„ tatem prædicantes carnis, & ſpiritus. Hæc Irenæus, quæ perinde ſunt, ac ſi diceret; Quia ab eo creata ſunt, quæ ei offerimus, panem ſcilicet & vinum, idcirco myſtica benedictione in corpus ſuum, & ſanguinem mutare poteſt & mutat, cum quibus diuinitas vnita eſt. Hæc autem carnē ſcilicet & diuinitatem participare, & cum eis vniri prędicamus eos, qui ſanctā Euchariſtiam accipiunt: hoc enim ſignificat, quod dixit Irenæus, prædicantes communionē
„ & vnionem carnis & ſpiritus. Deinde ſubiungit, Quemad
„ modum enim qui eſt à terra panis, percipiens vocationē
„ Dei (conſecrationem dicit) iam, inquit, non communis
„ panis eſt (communem panem vocat, qui in vſu commu-
„ ni ad veſcendum eſt) ſed Euchariſtia ex duabus rebus cō
„ ſtans terrena & cęleſti. Rem terrenam & cęleſtem, ex quibus Euchariſtiam conſtare dicit, vocat nunc quæ proxime vocauerat carnem & ſpiritum, quę in ſancta Euchariſtia participamus, & cum quibus vnimur; cum carne quidem corporaliter, cum ſpiritu autem, id eſt, cum diuinitate ſpiritualiter, eo modo quo ait Ioannes Damaſcenus lib. 3. de imaginibus: ſic inquit Irenęus, Et corpora noſtra perci-
„ pientia Euchariſtiam, iam non ſunt corruptibilia ſpem
„ reſurrectionis habentia. Hoc dicit quia caro Chriſti, quę comeditur, propter diuinitatem, cum qua vnita eſt, viuifica eſt. Satis igitur apparet, quod paulo ante dixit Irenæus,

næus, quomodo sententia nostra de Christo creatore mūdi & de resurrectione corporum cum sancta Eucharistia consonat, & rursus sancta Eucharistia sententiam nostrā confirmat. Sequitur in Irenæo. „ offerimus autem ei non „ quasi indigenti, sed gratias agentes donationi eius, & sanctificantes creaturam. Gratias scilicet agimus donationi corporis & sanguinis, creaturamque sanctificamus, cum in hęc dona corporis, & sanguinis panē & vinum, qui sacerdotes sumus, tanquam Dei ministri mystica benedictione per verbum Dei mutamus, Deo illa offerentes. quę dona diuinissima diuinus etiam Dionysius quasi in extremo tractationis de communione dicit digna esse secundum naturam suam, quibus gratiæ agantur. Hoc etiam est quod in Missa Basilij Magni, facta consecratione, sacer„ dos dicit, offerentes tibi τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν, id est tua ex tuis. tua scilicet dona ex tuis creaturis. Hæc igitur dona, quibus gratiæ agantur, vt ait Irenæus, & quidem digne, natura sua, vt ait Dionysius, cum non habeant Metonymici ex creaturis, sequitur illico, non habere eos Eucharistiam: aut si panem suum sacramentalem Eucharistiam faciunt, cum sit creatura; rursus sequitur, creaturę & quidem rationis experti gratias ab ipsis agi: aut si non agantur, ne nomen quidem Eucharistię eorum pani conuenire. Quomodo enim Eucharistia nominetur, quæ non est digna & quidem natura sua gratiarum actione? Vos igitur Metonymici estis, qui secundum prophetiam Malachiæ, qui Deum gloria, qua in gentibus celebrandus esset, prædixit, impie fraudatis. Si enim Eucharistia creatura est, vt vos somniatis, quomodo per eam profitemini Christum esse mundi creatorem? quomodo carnis resurrectionem? Quomodo per eam testificamini, sic Deum dilexisse mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Quomodo surrexisse à mortuis per gloriam Patris? Quomodo probatis esse eum cum Ecclesia, vt ipse testatus est vsque ad cōsummationem sæculi? An non propter hæc nomen fili

Quomodo Metonymici hęretici non habent Eucharistiam, quia Eucharistia, quam ipsi dicunt, non est natura sua digna gratiarum actione, aut si habent, & gratias ei agunt, idololatrę sunt quia gratias agunt creaturæ ad cultum eius, aut si gratias ei non agunt, neque nomen Eucharistię merentur.

Quomodo hęretici Metonymici, gloria à Malachia prophetata deum fraudant, & priuant.

filii in Deo patre & Patris in filio in cunctis gentibus glo
rificatur? At hæc omnia vna ſancta Euchariſtia nobis con
firmat, & atteſtatur; quia ipſe eſt Ieſus Chriſtus, qui ope-
rans ea poteſtate, qua creauit omnia,& in eis frumentum
ex quo fit panis, & vitem, ex qua vinum, vere dicit, mu-
tans ſubſtãtiam panis & vini in corpus & ſanguinem ſuũ,
„ Hoc eſt corpus meum: &, Hic eſt ſanguis meus noui te-
„ ſtamẽti: & illud rurſus, Qui manducat meam carnem &
„ bibit meum ſanguinem, habet vitam ęternam, & ego re-
„ ſuſcitabo eum in nouiſſimo die: & illud quod Apoſtolus
poſt conſecrationẽ corporis & ſanguinis ſubiũgit, quod
„ item à domino accepit, quotieſcunque manducabitis pa-
„ nem hunc & calicẽ bibetis, id eſt, corpus & ſanguinẽ,quę
per myſticam benedictionem ex creaturis ſuis panis & vi-
ni dedit, mortem, inquit, domini annunciabitis, donec
„ veniat. Nos igitur hanc mortem per ſanctam Euchari-
ſtiam vere annunciamus, quippe qui in ea eum, qui vere
mortuus eſt, & crucifixus, pręſentem eſſe confitemur; nõ
autem Metonymici, qui negant. aut ſi in figura corporis
Chriſti mortem domini iſti annunciant; figura igitur,vt
antea dixi, corporis Chriſti ipſorũ opinione crucifixa eſt. Quomodo ſecundum hęreticos Metonymicos figura corporis Chriſti crucifixa eſt, ut fiant noui Marcioniſtę.
vt iam tanquam noui Marcioniſtæ,ſic ſecundum litteram
illud prophetæ Hieremiæ interpretentur,Mittamus lignũ
in panem eius, quaſi panis,qui ſit figura corporis Chriſti,
crucifixus ſit, & non corpus Chriſti. Hoc ipſum conclu-
ſit Tertullianus in Marcioniſtas,licet alia ratione, vt ſupe
rius docuimus. Sed vt locum Malachiæ vndique ſepia-
mus, ne eum Metonymici falſa interpretatione tentare
audeant, ſi dicant ſacrificium mundum, quod Malachias
prædixit, non ſacrificium incruentum eſſe, quod eſt S. Eu
chariſtia, ſed potius preces,quæ vbique Deo adhibentur,
„ ſicut Apoſtolus ad Timotheum ſcripſit, volo ergo viros
orare in omni loco leuantes manus puras ſine ira, & di Quomodo uerbum, quo Malachias uſus eſt in oblatione ſacrifici mundi, quã
ſceptatione. obijciamus iſtis, vt obmuteſcant, proprieta-
tẽ verbi προσάγεσθαι quo 70. interpretes hoc loco diuino
conſilio vſi ſunt. quod enim latinus interpres vertit, In
omni

prædicit, ad oblationem hostię uiuentis secundum usum scripturę S. pertinet.

Quid προσάγεσθαι, & προσαγωγὴ significēt; & quid προσφέρεσθαι. differat a προσάγεσθαι.

" omni loco offertur thymiama nomini meo, & sacrificiū mundum, græce est προσάγεται, vt si dicas, adducitur, non προσφέρεται, idest, offertur; quod tā de sacrificio animato & viuente, quā de inanimato dicitur. quod in prōptu est, & frequens, si quis velit, in Leuitico obseruare: προσάγεσθαι vero semper in Leuitico de hostia animata & viuēte dicitur, & nūquā de sacrificio anima carēte. Notauit etiā hoc S.Maximus Dionysij Areopagitę scholiastes in verbo προσαγωγῆς, quod à verbo προσάγεσθαι ducitur; cum Dionysius Areopagita in capite de Chrismate locum epistolæ Pauli ad Romanos cap. 5. & verbum προσαγωγῆς, quo ibi Apostolus vsus est, interpretatur. sic enim ait Dionys. est altare nostrum diuinissimum Iesus, qui est cōsecratio diui-
" na diuinarum mentium; in quo, vt ait scriptura, cōsecra-
" ti, & facti mystice holocaustum, accessum habemus. sic
" enim interpres latinus vertit, quod græce est, ἐσχήκαμεν προσαγωγὴν, pro eo ac si græce diceremus, προσήχθημεν, id est, habuimus adductionē; pro adducti sumus. at ij, qui holocausta & victimę in baptismo fiunt, in eo enim commoriuntur Christo, & in eo tanquam in altari Deo patri consecrātur, & sic per fidem, sicut Apostolus ait, ad gratiā istam ἀσεβείας, in qua stant, adducuntur, ij inquam, non interficiuntur, vt pecudes; sed hostię potius viuentes sūnt, quæ proprie adduci dicuntur ad sacrificandum. non sic autem preces siue orationes, non dicuntur adduci, vt fiāt ipsæ sacrificia siue oblationes; sed dicuntur offerri, siue adhiberi. Thymiama vero, de quo Propheta hoc loco prędicit, non solum orationem odoris Deo suauissimi, quę vbique ei adhibetur, sed ex verbo προσάγεσθαι cui adiungitur, didicimus Iesum etiam significare, sicut idem Dionysius ibidem tradit: explicans enim quid in ęnigmate com-
" positio ecclesiastica thymiamatis significet. Credimus, in-
" inquit diuinissimum Iesum supra naturā suauissime olen-
" tem, diuina iucunditate, quę ex odorationibus spiritua-
" libus afflatur, mentes nostras replere.

Hactenus de loco Malachię, qui finem huic secundo

tracta

tractatui, ne modum excederet, impoſuit ad ęterni Dei Patris gloriam & Filij coęterni ac conſubſtãtialis, cũ vtriuſque ſancto Spiritu in ſæcula ſęculorum coadorando, & conglorificando, Amen.

Errata corrigenda ſic lege, prætermiſſis quæ minuta ſunt tum in litteris, tum in punctis. Primus numerus paginam, ſecundus lineam oſtendet.

Pag. 31. in. 2. poſtilla poſt auctore lege Methodio. 58. 1. accipiens. 76. 17. effuſo. 89. in 1. poſtil. quia. 93. in 1. poſtil. panem. Petri Martyris. 98. 23. carnem. 117. debet eſſe 125. 20. poſt te. 132. 3. accepiſſe. 137. 34. tondente. 165. 29. gratę. 171. in argum. lin. 2. de deſcenſu angelorum. 174. 15. tua. 176. in argum. lin. 3. abundat, in. 184. in 1. poſtil. eius. 216. lin. ult. uoluntarie. 237. 23. ἐγέραιρε. 256. 17. times. 288. 35. natura. 312. 4. ζωῆς. 314. 28. χρισός. 341. 7. habeant. Vbi occurret uerbum Irinæus lege Irenęus.

REGESTVM.

abcd ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ
AA BB CC DD EE FF GG HH II KK LL MM NN OO PP QQ RR SS TT VV.

Omnes duerni, præter VV ternio.

